COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XXXIII.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

S. ATHANASIUS.

IV.

PROSTAT INSUPER VENALE

LUGDUNI,

APUD RUSAND, BIBLIOPOLAM;

MONTIS PESSULANI,

APUD VIRENQUE, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD { GAUME FRATRES, BIBLIOPOLAS; ANT. POILLEUX, BIBLIOPOLAM;

ROMÆ,

APUD MERLE, BIBLIOPOLAM;

PERPINIANI,

APUD ALZINE, BIBLIOPOLAM.

TRECIS, E TYPIS CARDON,
VIA VULGO DICTA MOYENNE, N° 2.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE :

BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES DE L'ÉGLISE.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS TRIGESIMUS TERTIUS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DES SAINTS-PÈRES.

M. DCCC. XXXII.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

EPISTOLA AD MARCELLINUM.

EXPOSITIONES IN PSALMOS.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EPISTOLA

AD MARCELLINUM,

IN INTERPRETATIONEM PSALMORUM.

I. Miror tuum in Christo propositum, dilecte Marcelline. Nam et præsentem tentationem, quamvis plurima in ea passus, probe toleras, et ascesin seu exercitationem non negligis. Sciscitatus enim ex tuo tabellario, qua ratione post ægritudinem versaris : didici, te omnibus quidem divinis Scripturis vacare, potissimum tamen Psalmorum librum evolvere; maximeque studere, ut cujusque Psalmi veram sententiam assequare. Quamobrem te summopere laudo, cum magno eumdem librum, totamque Scripturam studio prosequar. Hoc itaque modo affectus, incidi olim in quemdam senem studiosissimum, voloque tibi, quæ mihi ille de sacro Psalterio, quod manu tenebat sermocinabatur, perscribere : habent enim quamdam probabilitatem cum enarratione veri simillima conjunctam. Ita enim locutus est.

II. Omnis nostra, o fili, Scriptura, cum vetus, tum

nova, divinitus inspirata, utilisque ad doctrinam est, ut scriptum habetur. Attamen Psalmorum liber quædam observatu digna habet, iis qui attendere voluerint. Quilibet enim liber suum quod præfert argumentum tractat et prosequitur : verbi gratia, Pentateuchus mundi originem, gesta Patriarcharum, exitum Israëlis ex Ægypto, et cum legis traditione, Tabernaculi et Sacerdotii constitutionem. Triteuchus, sortium distributionem, Judicum acta, Davidis genealogiam. Libri Regum et Paralipomenon, gesta Regum. Esdras, captivitatis solutionem, reditum populi, Templi et Urbis extructionem. Prophetæ, de adventu Salvatoris, de præceptis servandis monita, prævaricantium reprehensiones, prophetias de gentibus. At liber Psalmorum, omnium reliquorum fructus quasi insitos in se continens, cantus edit, et proprios insuper inter psallendum exhibet.

III. Nam quæ Genesin spectant psallit Psalmo decimooctavo : « Cœli enarrant gloriam Dei, et opera manuum » ejus annuntiat firmamentum[1] : » et Psalmo vigesimotertio : « Domini est terra, et plenitudo ejus : orbis ter- » rarum et universi qui habitant in eo. Ipse super maria » fundavit eum[2]. » Quæ vero ad Exodum, Numeros, et Deuteronomium pertinent, pulchre canit in septuagesimo septimo, centesimo quarto, centesimo quinto, centesimo decimo tertio, his verbis : « In exitu Israël de » Ægypto, domus Jacob de populo barbaro[3]. » Ea ipsa psallit in centesimo decimo quarto : « Misit Moysen ser- » vum suum, Aaron, quem elegit sibi : *et*, misit tenebras et » obscuravit : et convertit aquas eorum in sanguinem : » *et*, edidit terra eorum ranas[4]. » Atque integrum omnino Psalmum istum, de iisdem rebus conscriptum esse de-

[1] Psal. XVIII, 9. — [2] Psal. XXXII, 1, 2. — [3] Psal. CXIII, 1. — [4] Psal. CIV, 26, 28, 30.

prehendere est. Quæ vero Sacerdotium Tabernaculumque spectant refert in exitu tabernaculi, vigesimo octavo Psalmo : « Afferte Domino, filii Dei, afferte Domino » filios arietum[1]. »

IV. Res vero Jesu Nave, et Judicum tangit Psalmo centesimo sexto, sic : « Et constituerunt civitates habitatio- » nis, et seminaverunt agros, et plantaverunt vineas[2]. » Nam sub Jesu Nave, tradita illis fuit terra promissionis. Cum autem in eo ipso Psalmo frequenter dicat : « Et cla- » maverunt ad Dominum cum tribularentur, et de ne- » cessitatibus eorum liberavit eos ; » librum Judicum indicat. Tum enim ipsis clamantibus, variis temporibus judices excitabat, liberabatque populum ab iis qui ipsum affligerent. Regnorum quoque historias quodammodo canit in decimo nono dicens : « Hi in curribus, et hi in » equis nos autem in nomine Domini Dei nostri magni- » ficabimur. Ipsi impediti sunt et ceciderunt, nos autem » surreximus et erecti sumus[3]. » Quæ porro Esdram spectant in centesimo vigesimo quinto graduum decantat : « In convertendo Dominus captivitatem Sion facti su- » mus sicut consolati[4]. » Et rursum in centesimo vigesimo primo : « Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, » in domum Domini ibimus. Stantes erant pedes nostri in » atriis tuis Jerusalem. Jerusalem quæ ædificatur ut ci- » vitas, cujus participatio ejus in idipsum. Illuc enim » ascenderunt tribus tribus Domini, testimonium Is- » raël[5]. »

V. Quæ autem Prophetarum sunt, in singulis pene Psalmis significat adventum Salvatoris, et quod Deus cum sit adventurus sit. Ita in Psalmo quidem quadragesimo nono, ait : « Deus manifeste veniet, Deus noster et non

[1] Psal. xxviii, 1. — [2] Psal. cvi, 36, 37. — [3] Psal. xix, 8. — [4] Psal. cxxv, 1. — [5] Psal. cxxi, 1, 2, 3, 4.

» silebit[1] : » in centesimo decimo septimo : « Benedic-» tus qui venit in nomine Domini. Benediximus vobis » de domo Domini, Deus Dominus et illuxit nobis[2]. » Quod autem ipse sit Patris Verbum, ita canit in centesimo sexto : « Misit Verbum suum et sanavit eos, et eri-» puit eos de interitionibus eorum[3]. » Deus enim qui venit, est ipsum Verbum quod missum fuit. Hoc porro Verbum cum sciret esse Dei Filium, vocem Patris canit in quadragesimo quarto : « Eructavit cor meum Verbum » bonum[4], » et iterum in centesimo nono : « Ex utero » ante luciferum genui te[5]. » Quid enim aliud Dei prolem dixeris quam Verbum et Sapientiam ipsius? Cum sciret enim Psalmographus ipsum esse Patris Verbum, ait in trigesimo secundo : « Verbo Domini cœli firmati sunt, » et spiritu oris ejus omnis virtus eorum[6]. »

VI. Quin et Christum ipsum venturum minime ignoravit; immo ea de re mentionem facit Psalmo quadragesimo quarto : « Thronus tuus Deus in sæculum sæculi, » virga directionis, virga Regni tui. Dilexisti justitiam » et odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus Deus » tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis[7]. » et ne quis eum secundum phantasiam venisse arbitretur, significat eum ipsum hominem futurum, illumque esse per quem omnia facta sunt; cum dicit in Psalmo octogesimo-sexto: « Mater Sion dicet homo, et homo natus est in ea, et ipse » fundavit eam Altissimus. » Hoc enim perinde est ac si diceret : « In principio erat Verbum, et verbum erat apud » Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta » sunt[8]. » Quare cum ex Virgine nasciturum sciret, nequaquam id siluit, sed statim hujus rei indicium dedit in quadragesimo-quarto : « Audi, filia, et vide, et inclina

[1] Psal. XLIX, 5.—[2] Ps. CXVII, 26, 27. —[3] Ps. CVI, 20. —[4] Ps. XLIV, 1. —[5] Ps. CIX, 3. —[6] Ps. XXXII, 6. —[7] Ps. XLIV, 7, 8. —[8] Joan. I, 1.

» aurem tuam et obliviscere populum tuum et domum » patris tui, quia concupiscet Rex decorem tuum, quo- » niam ipse est Dominus tuus[1]. » Hoc quippe simile est huic Gabriëlis dicto : « Ave gratia plena, Dominus te- » cum[2]. » Nam ubi eum Christum dixisset, humanam statim generationem ex Virgine factam declaravit his verbis : « Audi, filia. » Et Gabriël quidem, ex nomine Mariam compellat, quod genere ab illa alienus esset : at David ipsam, ex suo semine oriundam, filiam appellat.

VII. Ubi autem dixit Psalmorum liber, hominem eum futurum esse, consequenter illum carne passibilem significat. Dum autem videt futuras Judæorum insidias, canit in secundo : « Quare fremuerunt gentes, et populi « meditati sunt inania ? Astiteruut reges terræ et prin- » cipes convenerunt in unum adversus Dominum et ad- « versus Christum ejus[3]. » In vigesimo autem primo, ipsam mortis rationem ex persona Salvatoris loquitur : « In pulverem mortis deduxisti me. Quoniam circum- « dederunt me canes multi, consilium malignantium « obsedit me. Foderunt manus meas et pedes meos, di- « numeraverunt omnia ossa mea. Ipsi vero considerave- » runt et inspexerunt me. Diviserunt sibi vestimenta » mea, et super vestem meam miserunt sortem. » Quod ait autem manus et pedes suos confossos esse, quid aliud quam crucem significat ? Hæc postquam docuit, adjicit, non sui causa, sed propter nos id pati Dominum, aitque rursum ex persona ejus in octogesimo septimo : « Super me confirmatus est furor tuus[4], » in sexagesimo autem octavo : « Quæ non rapui tunc exsolve- « bam[5]. » Non enim ideo mortuus est quod reus esset, sed pro nobis passus est, iramque adversum nos con-

[1] Psal. XLIV, 11. — [2] Luc. I, 28. — [3] Psal. II, 1. — [4] Psal. LXXXVII, 8. [5] Psal. LXVIII, 5.

ceptam ob prævaricationem, in se sustinuit; nobis quidem dicentibus in centesimo trigesimo octavo : « Do» minus retribuet pro me[1] : » Spiritu quoque dicente in septuagesimo primo : « Et salvos faciet filios pauperum, « Et humiliabit calumniatorem : quia liberavit paupe« rem a potente, et pauperem cui non erat adjutor[2]. »

VIII. Quapropter ejus quoque in cœlos ascensum prædicit, aitque in vigesimo tertio : « Attollite portas, » principes, vestras, et elevamini portæ æternales, et in» troibit Rex gloriæ[3]. » In quadragesimo autem sexto : « Ascendit Deus in jubilatione, Dominus in voce tubæ[4] » Sessionem quoque annuntiat, aitque in centesimo nono : « Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, do» nec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum[5]. » In nono autem Psalmo perniciem quoque Diaboli addit, et clamat : « Sedisti super thronum qui judicas justitiam : » increpasti gentes et periit impius[6]. » Nam quod omne judicium a Patre acceperit, id minime celavit, sed ipsum omnium judicem venturum prænuntiat, in septuagesimo primo : « Deus judicium tuum Regi da, et justitiam tuam » filio Regis. Judicare populum tuum in justitia et pau» peres tuos in judicio[7]. » In quadragesimo autem nono « ait: Advocabit cœlum desursum et terram discernere po» pulum suum. Et annuntiabunt cœli justitiam ejus, quo» niam Deus judex est[8].» Et in octogesimo primo : « Deus » stetit in Synagoga deorum, in medio autem deos diju» dicat[9]. » Quin et vocationem gentium ex eo ipso libro pluribus ediscere licet, præsertim ex quadragesimo sexto : » Omnes gentes plaudite manibus, jubilate Deo in voce » exultationis[10]. » In septuagesimo autem primo : « Co-

[1] Psal. CXXXVIII, 8. — [2] Psal. LXXI, 4, 12. — [3] Psal. XXIII, 9. — [4] Psal. XLVI, 6. — [5] Psal. CIX, 1. — [6] Psal. IX, 5, 6. — [7] Psal. LXXI, 1. — [8] Psal XLIX, 4, 6. — [9] Psal. LXXXI, 1. — [10] Psal. XLVI, 1.

» ram illo procident Æthiopes, et inimici ejus terram » lingent. Reges Tharsis et insulæ munera offerent. Et » adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ser- » vient ei[1]. » Et hæc quidem in Psalmis canuntur, in singulis autem aliis libris annuntiantur.

IX. Cæterum se non ignorare aiebat, in singulis Scripturæ libris eadem de Salvatore potissimum significari, esseque illud omnium ipsarum commune argumentum, eamdemque Spiritus concordiam. Etenim sicut ea quæ in aliis extant libris, in hoc reperire licet; ita quæ in hoc sunt, in aliis sæpe numero inveniuntur : nam et Moyses Canticum conscribit, Hesaïas canit, Abbacum cum Cantico precatur. Rursum in quolibet libro videre est, prophetias, legislationes et historias. Idem namque Spiritus est in omnibus, et secundum divisionem ejus in singulis factam, unusquisque datam sibi gratiam administrat et implet; sive prophetia sit, sive legislatio, sive historiæ commemoratio, sive Psalmorum gratia. Cum autem unus atque idem sit Spiritus, cujus sunt omnes divisiones, et qui secundum naturam indivisus est; ideo in se totus atque integer est : sed secundum intelligendi modum, manifestationes et divisiones Spiritus singulis fiunt, ac deinceps juxta præsentem necessitatem Spiritu edoctus quisque sermonem administrat; ita ut, quemadmodum supra dixi, legislator Moyses aliquando prophetet et canat, et Prophetæ dum vaticinantur præcepta tradant : « Lava- » mini, mundi estote, et, Ablue malitiam cordis tui Je- » rusalem[2] : » aliquando historias perscribant, ut Daniel Susannæ, Hesaïas Rabsacis et Sennacherim. Eadem quoque ratione Psalmorum liber, cui proprium est cantica canere, quæ in aliis libris obiter dicuntur hæc ille fuse loquitur cum cantico, uti dictum est. Leges tamen ipse

[1] Psal. LXXI, 9. — [2] Isai. I, 16.

tradit, « Desine ab ira et derelinque furorem. Declina a » malo et fac bonum, inquire pacem et persequere » eam[1]. » Interdum historiam habet de itinere Israëlis, et prophetat de Salvatore, uti supra dictum est.

X. Communis quidem est ejusmodi gratia Spiritus, ut necessitas postularit, et Spiritus voluerit. Neque enim refert sive plus sive minus quis habuerit ejusmodi necessitatis, ut unusquisque teneatur sine defectu proprium perfectumque ministerium implere; at Psalmorum liber etiam sic gratiam quamdam habet singularem, eximiumque aliquid observatu dignum. Nam ad alia quæ cum cæteris libris habet affinia communiaque, hoc sibi proprium et admirandum habet, quod etiam uniuscujusque animi motus, eorumque mutationes et castigationes in se descriptas et expressas contineat; ut qui ex ipso voluerit quasi ex imagine eas accipere et intelligere, ita semetipsum efformare possit ut illic scriptum habetur. In aliis quippe libris legem solum quis audit præcipientem quid facere oporteat, quid non oporteat : Prophetias item audit, ut solum sciat venturum Salvatorem : historiisque attendat, unde ediscere potest Regum sanctorumque acta. At in Psalmorum libro præterquam quod ea ipsa potest quivis audiens ediscere, motus insuper animæ suæ ibi deprehendit ediscitque; ac deinde secundum ea quæ patitur et a quibus detinetur, potest ex eo ipso libro exemplar quoddam sermonum eligere; ita ut non solum qui audierit, non (sine fructu) pertranseat, sed edoceatur quid dictu factuque opus sit ad curandum morbum. Sunt quidem et in aliis libris sermones qui mala prohibeant; in hoc vero qua ratione a malis sit abstinendum exprimitur : exempli causa, præcipitur pœnitentia; pœnitentia autem est cessatio a peccato; in hoc autem libro, qua ra-

[1] Psal. xxxvi, 8, 27.

tione sit pœnitendum, et quibus in pœnitentia verbis uti oporteat, edocetur. Rursum ait Paulus : « Tribulatio pa-» tientiam operatur, patientia vero probationem, pro-» batio autem spem, spes autem non confundit[1] : » in Psalmis vero scriptum expressumque est quî tolerare oporteat tribulationes, quid tribulatum dicere par sit, quid post tribulationes, qua ratione quisque probatur, quinam sint sermones eorum qui sperant in Dominum. Præceptum item est in omnibus gratias agere, at docent Psalmi, quid, qui gratias agit, loqui debeat. Deinde cum ab aliis audiamus : « Quicumque pie volunt vivere in » Christo persecutionem patiuntur[2], » a Psalmis edocemur, quid fugiendo sentire debeamus, quales in persecutione, quales post persecutionem, erepti, Deo sermones proferre debeamus. Jubemur Domino benedicere, Domino confiteri, at in Psalmis informamur qua ratione Deum laudare oporteat, quibusque verbis decenter confiteamur. Quin et singulis in rebus quisque reperiet divina cantica ad nos nostrosque motus motuumque temperationes accommodata.

XI. Etenim hoc quoque rursus in Psalmis admirandum, quod in aliis quidem libris, quæ Sancti de quibusdam dicunt, hæc ipsa qui legunt, iis de quibus dicuntur referant : et qui audiunt, sese alios existiment ab iis de quibus sermo habetur, ita ut quæ gesta dicuntur admirationi solum habeant et imitanda sibi proponant. At librum istum qui sumit prophetias de Salvatore ut in aliis Scripturis more solito cum admiratione et adoratione percurrit : alios vero Psalmos, quasi proprios sibi sermones legit, qui autem audierit, quasi hæc eadem ipse proferret, compungitur, atque ita canticorum verbis afficitur quasi sua essent. Explicationis causa, ne gravemur

[1] Rom. v, 3. — [2] 2 Tim. III, 12.

exemplo beati Pauli Apostoli idipsum repetere. Plurima sunt Patriarcharum verba, ipsis propria : nam Moyses loquebatur et Deus respondebat : Elias et Elisæus in Carmelo monte sedentes Dominum invocabant dicebantque semper : « Vivit Dominus, in cujus conspectu astiti ho- » die[1]. » Aliorum item sanctorum Prophetarum verba, imprimis quidem de Salvatore sunt : deinde plurima dicta sunt gentibus et Israëli, neque tamen quis unquam Patriarcharum verba, ut sibi propria locutus fuerit : neque Mosi propria verba imitari proferreque ausus fuerit, nec Abrahami de verna, de Ismaële, et de magno Isaaco, quamvis eadem ipsa necessitate prematur. Nec si quis commiseratione aut videndi Dei desiderio teneatur, unquam dixerit ut Moyses : « Ostende mihi teipsum : vel, » Si quidem remittis eis peccatum eorum, remitte; sin » minus, dele me de libro tuo quem scripsisti[2]. » Sed nec quisquam Prophetarum verba ut propria usurpans, iis aut similibus quempiam reprehenderit vel laudaverit, quibus ipsi reprehenderunt laudaveruntque : neque illud : « Vi- » vit Dominus in cujus conspectu hodie sto, » ut proprium sibi sermonem imitari præsumpserit. Etenim legenti libros perspicuum est, se illa verba, non ut propria, sed ut Sanctorum, et eorum qui per ista significantur proferre. At qui psalmos legit, res mira, post prophetias quæ de Salvatore et de gentibus sunt, reliqua tanquam sibi propria verba loquitur, et ea quasi de se scripta essent quisque psallit, nec quasi alius ea dicat, vel quasi alium significent ea accipit et percurrit; sed perinde afficitur atque si ipse de se loquatur : et quæ dicuntur, quasi ipse egerit, ita de se loquendo ad Deum refert. Nequaquam enim illa ceu Patriarcharum aut Moysis aliorumve Prophetarum verba usurpare reformidat; nam Psalmi tam

[1] 3 Reg. XVII, 1 : 4 Reg. VIII, 14 et seqq. — [2] Exod. XXXII, 32.

ejus qui præcepta servavit, quam ejus qui prævaricatus est, utriusque, inquam gesta, continent. Necesse autem est quemvis hominem alterutrius conditionis esse, atque ita verba se singulis posita loqui, ac si præcepta servarit, vel prætergressus sit.

XII. Atque mihi quidem videtur, psallenti verba Psalmorum esse instar speculi, ut proprii animi motus in ipsis contempletur, atque ita affectus ea recitet. Etenim qui legentem audit, ita canticum suscipit ac si de se diceretur : ipseque vel propria convictus conscientia atque compunctus, resipiscet; vel de spe in Deum, vel de auxilio credentibus exhibito, quasi sibi præberetur, gaudebit de hujusmodi gratia, atque gratias Deo agere incipiet. Cum itaque tertium Psalmum quispiam canit, suas perpendens ærumnas, quasi sua reputat illius verba : decimum vero et decimum sextum quasi propriam fiduciam et orationem pronuntiat : quinquagesimum autem, quasi pœnitentiæ suæ verba profert. Cum vero psallit quinquagesimum tertium, quinquagesimum quintum, quinquagesimum sextum, centesimum quadragesimum primum non quasi alius: sed quasi ipse persecutionem pateretur sic afficitur, et sic ista verba, quasi propria sibi, Deo canit. Ac demum quisque Psalmus ita a spiritu dictatus atque compositus est, ut in eo, quemadmodum supra dictum est, animi nostri motus deprehendantur, omnesque quasi de nobis prolati, et velut nobis proprii sint, ad recordationem motuum nostrorum, et ad vitæ nostræ emendationem. Quæ enim a psallentibus recitantur, hæc pro forma nobis esse possunt.

XIII. Hæc porro rursus gratia est Salvatoris; homo quippe propter nos factus, proprium corpus pro nobis in mortem obtulit, ut omnes a morte redimeret. Quin et cœlestem probatissimamque suam vivendi rationem no-

bis exhibere volens, in semetipso illam expressit, ne quis postea ab inimico facile deciperetur, cum ad securitatem pignus habeat, nempe victoriam quam ipse de Diabolo pro nobis reportavit. Quapropter non solum docuit, sed et fecit et docuit; ut unusquisque audiat quidem ipsum loquentem, simulque in illum quasi in imaginem respiciens, ceu exemplar ad agendum ab illo mutuetur, dum ait : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde[1]. » Perfectiorem porro virtutis doctrinam nemo invenerit, ea quam Dominus expressit in semetipso. Nam sive injuriarum tolerantiam, sive humanitatem, sive clementiam, sive fortitudinem, sive misericordiam, sive justitiam spectes, omnia in ipso peracta reperies, ut nihil ei ad virtutem desit qui humanam Domini vitam contemplatus fuerit. Quod cum nosset Paulus ait : « Imitatores mei » estote, sicut et ego Christi[2]. » Græcorum siquidem legislatores verborum solum tenus gratiam habent; Dominus autem, ut revera omnium Dominus, qui sua curat opera ; non modo leges condit, sed semetipsum exemplar tradidit; ut qui voluerint agendi vim notam habeant. Quapropter ante illius in nos adventum, idipsum in Psalmis insonuit, ut quemadmodum in semetipso perfectum et cœlestem hominem exhibuit, sic ex Psalmis motus affectionesque animorum, qui voluerit, perdiscere valeat, cum in ipsis cujusque motus curationem emendationemque inveniat.

XIV. Quod si aliquid ad persuadendum aptius loqui oportuerit : omnis quidem Scriptura sacra virtutis est veræque fidei magistra; liber autem Psalmorum præfert quamdam imaginem vitæ et instituti animarum. Quemadmodum enim qui Regem adit, habitum verbaque sua componit et adornat, ne statim atque loquendi initium fa-

[1] Matth. xi, 29. — [2] 1 Cor. iv, 16.

ciet, ut rudis et imperitus arguatur ; ita divinus hic liber, eum qui ad virtutem properat, et Salvatoris in corpore vitæ institutum nosse cupit, primum per hanc lectionem admonet de motibus animi : atque ita deinceps informat admonetque eos qui ista legerint. Sunt autem (ut hoc primum in isto libro observetur) Psalmi, alii sub forma narrationis, alii prophetiæ, alii precationis, alii confessionis.

In forma narrationis hi sunt, decimus, quadragesimus tertius, quadragesimus octavus, septuagesimus secundus, septuagesimus septimus, octogesimus sextus, octogesimus octavus, centesimus nonus, centesimus decimus tertius, centesimus vigesimus sextus, centesimus trigesimus sextus, numero duodecim.

In forma vero orationis sunt, sextus, sexagesimus septimus, octogesimus nonus, centesimus primus, centesimus trigesimus primus, centesimus quadragesimus primus; una sex.

Qui colloquii, precationis, et obsecrationis modo, quintus, sextus, septimus, undecimus, decimus tertius, decimus quintus, vigesimus quartus, vigesimus septimus, trigesimus, trigesimus secundus, trigesimus septimus, quadragesimus secundus, quinquagesimus tertius, quinquagesimus quartus, quinquagesimus sextus, quinquagesimus octavus, sexagesimus, sexagesimus tertius, octogesimus secundus, octogesimus quintus, octogesimus septimus, centesimus trigesimus nonus, centesimus quadragesimus, centesimus quadragesimus secundus : una vigintiquinque.

Qui in forma alloquii, precationis, et gratiarum actionis, centesimus trigesimus octavus, solus.

Qui colloquii tantum forma, tertius, vigesimus quintus, sexagesimus octavus, sexagesimus nonus, septuagesi-

mus tertius, septuagesimus octavus, septuagesimus nonus, centesimus octavus, centesimus vigesimus secundus, centesimus vigesimus nonus, centesimus trigesimus : simul duodecim.

Sub forma confessionis, quinquagesimus, solus.

Qui conjunctam habent confessionem cum narratione, nonus, septuagesimus quartus, centesimus quartus, centesimus quintus, centesimus sextus, centesimus decimus septimus, centesimus trigesimus quintus, centesimus trigesimus sextus, simul octo.

Qui conjunctam habet cum confessione et narratione laudem, est centesimus decimus; unus.

Sub forma admonitionis est trigesimus sextus solus.

Qui prophetiam habent, sunt, vigesimus, vigesimus primus, quadragesimus quartus, quadragesimus sextus, septuagesimus primus, simul quinque.

Annuntiationem cum prophetia junctam habet centesimus nonus solus.

Adhortationis vero, et quasi præceptionis modum habent, vigesimus octavus, trigesimus secundus, octogesimus, nonagesimus quintus, nonagesimus sextus, nonagesimus septimus, centesimus secundus, centesimus tertius, centesimus decimus tertius, una novem.

Hortatorius cum cantico est, centesimus quadragesimus nonus, unus,

Qui vitam virtute ornatam describunt, sunt, centesimus quartus, centesimus undecimus, centesimus decimus octavus, centesimus vigesimus quartus, centesimus trigesimus secundus, simul quinque.

Qui laudem annuntiant sunt, nonagesimus, centesimus duodecimus, centesimus decimus sextus, centesimus trigesimus quartus, centesimus quadragesimus quintus, cen-

tesimus quadragesimus sextus, centesimus quadragesimus octavus, centesimus quinquagesimus, una decem.

Qui gratiarum actionis sunt, octavus, decimus septimus, vigesimus nonus, trigesimus tertius, quadragesimus quintus, sexagesimus secundus, septuagesimus tertius, octogesimus quartus, centesimus decimus quartus, centesimus decimus quintus, centesimus vigesimus, centesimus vigesimus primus, centesimus vigesimus tertius, centesimus vigesimus quintus, centesimus vigesimus octavus, centesimus quadragesimus primus, simul sexdecim.

Qui beatitudinem prædicant, sunt, primus, trigesimus primus, quadragesimus, centesimus undecimus, centesimus decimus octavus, centesimus vigesimus septimus, una sex.

Est qui alacritatem exhibeat cum cantico, ut centesimus decimus septimus.

Alius ad fortitudinem hortatur, scilicet, septuagesimus primus.

Sunt qui impios et iniquos redarguant, ut secundus, decimus tertius, trigesimus quintus, quinquagesimus primus, quinquagesimus secundus, simul quinque.

Invocationis est, quartus solus.

Sunt qui vota faciant, sexagesimus sextus et septuagesimus nonus, simul duo.

Gloriationis in Domino verba continent, vigesimus secundus, vigesimus sextus, trigesimus nonus, quadragesimus primus, sexagesimus primus, septuagesimus quintus, octogesimus tertius, nonagesimus sextus, nonagesimus octavus, centesimus quinquagesimus primus, simul undecim.

Objurgandi causa scripti sunt, quinquagesimus septimus, et octogesimus primus, duo scilicet.

Qui cum hymnis verba faciunt, hi sunt, quadragesimus septimus et sexagesimus quartus, duo nempe.

Jubilationis et de Resurrectione est, sexagesimus quintus, unus tantum, et alius jubilationis tantum verba profert, scilicet nonagesimus nonus.

XV. Cum igitur Psalmi tali ordine dispositi sint, licet deinceps legentibus in singulis deprehendere, uti supra dixi, motus et constitutionem animæ suæ, atque singulis in rebus formam doctrinamque, quidve dicendo placere possit Domino : cujusmodi verbis sese possit corrigere, Dominoque gratias agere ; ne si præter ea quidpiam proferat, in impietatem delabatur. Non enim de operibus tantummodo, sed de omni verbo otioso rationem judici sumus reddituri. Si igitur quempiam beatum prædicare volueris, habes qua ratione, in quo, quem dicere debeas, in Psalmo scilicet primo, trigesimo primo, quadragesimo, centesimo undecimo, centesimo vigesimo septimo. Si reprehendere volueris insidias Judæorum adversus Salvatorem, habes secundam odam. Si a tuis persecutionem patiare, multique adversum te insurgant, dicito tertium Psalmum. Quod si afflictus invocaveris Dominum, et exauditus gratias agere velis, psalle quartum, et centesimum decimum quartum. Si improbos insidias parantes conspiciens, orationem tuam auribus percipi volueris, psalle matutinis horis quintum. Si Domini comminationem senseris, teque ea de causa conturbatum videris, potes dicere sextum et trigesimum septimum. Si adversum te quispiam consilium dederint, quemadmodum Achitophel adversus Davidem, et hoc tibi aliquis renuntiet, psalle septimum, et Domino confide, qui te liberabit.

XVI. Cernens Salvatoris gratiam ubique diffusam, redemptumque genus humanum, si alloqui Dominum velis,

octavum psallito. Si rursum pro torcularibus gratias agens Domino canere volueris, habes eumdem octavum, et octogesimum. Pro victoria de inimico et creaturæ liberatione, ne in teipso glorieris, sed gnarus hoc fuisse præclarum facinus Filii Dei, recita supra dictum psalmum nonum. Quod si te quis metu conturbare voluerit, habe tu fiduciam in Domino, et psalle decimum. Cum multorum superbiam videris, improbitatemque modum excedere, ita ut nihil sanctum in hominibus reperiatur, confuge tu ad Dominum et dic undecimum. Quod si diuturnæ sint inimicorum insidiæ, ne animo deficias quasi Dominus sit tui oblitus, sed invoca Dominum canens vigesimum sextum. Cum autem quosdam audieris blasphemantes adversus providentiam, noli eorum impietati communicare; sed Domino supplicans, recita decimum tertium et quinquagesimum secundum. Quod si postea ediscere cupis, qualisnam sit civis regni cœlorum, psalle decimum quartum.

XVII. Oratione opus est tibi propter adversarios tuos et eos qui circumdant animam tuam, cane decimum sextum, octogesimum quintum, octogesimum octavum, et centesimum quadragesimum. At vis scire quomodo Moyses oraverit, habes octogesimum nonum. Liberatus es ab inimicis tuis, et servatus a persequentibus te, cane decimum septimum. Miraris naturæ ordinem, et providentiæ gratiam in illa, legisque sacra præcepta, psalle decimum octavum et vigesimum tertium. Cum videris afflictos, consolare illos bene precando ac dicendo illis verba decimi noni psalmi. Vides te a Domino pasci ac dirigi, hac in re gaudens, psalle vigesimum secundum. Invadunt te inimici tui, at tu animam erigens ad Dominum dic vigesimum quartum, et videbis, « Inique agen-

» tes supervacue[1]. » Perseverant inimici, nihil habentes aliud quam manus sanguine plenas, ac quærentes te perdere, ne deferas homini judicium, suspecta enim sunt omnia humana ; sed Deum judicem postulans, solus enim ille judex, dic vigesimum quintum, trigesimum quartum, quadragesimum secundum. Si acrius instent, et præ multitudine quasi exercitus fuerint, te tanquam nondum unctum despicientes, ideoque oppugnare velint; ne formides, sed cane vigesimum sextum psalmum. At quoniam imbecilla est hominum natura, si impudenter insistant insidiatores ne attendas ipsis, ad Dominum clamato, dicens verba vigesimi septimi. Quod si gratias agendo ediscere velis, quomodo oporteat offerre Domino, spiritualiter intelligens psalle vigesimum octavum; ac deinceps dum domum tuam dedicas, et animam tuam quæ Dominum excipit, immo sensibilem domum in qua corporaliter habitas, gratias agito et dic vigesimum nonum, et ex gradualibus centesimum vigesimum sextum.

XVIII. Cum autem te ab omnibus amicis et cognatis propter veritatem odio haberi perspexeris, ne ejus rei causa animum despondeas, neque notos qui te aversantur reformides, sed ab illis te segregans, futura prospice et psalle trigesimum. Baptizatos autem et a corruptibili generatione redemptos cum videris, Dei clementiam admirans, cane illorum gratia trigesimum primum. Quando cum multis psallere volueris, justos viros, et probe viventes congregans, psalle trigesimum secundum. Cum in hostes incideris et prudenter illos effugeris, atque declinaveris ab eorum insidiis; si velis gratias agere, viros mansuetos convocans, psalle cum iis trigesimum tertium. Et si videris iniquorum erga malitiam studium,

[1] Psal. xxiv, 4.

ne existimato malitiam in ipsis naturalem esse, ut hæretici aiunt, sed dic trigesimum quintum, videbisque ipsos sibi peccandi auctores esse. Si improbos videris multa inique perpetrare, atque adversum pusillos insurgere, et volueris quosdam admonere ne ipsis attendant neque æmulentur, illos, quia brevi futurum est ut extinguantur, tamtibi ipsi quam aliisdicito trigesimum sextum.

XIX. Cum porro tibi attendere statueris, si irruentem videris hostem : nam adversus ejusmodi homines acrius ille insurgit, teque volueris adversus illum concitare, dic trigesimum octavum psalmum. Si irruentibus inimicis, ærumnas patiaris, coluerisque ediscere quanta sit in patientia utilitas, psalle trigesimum nonum psalmum. Cum multos vides pauperes et mendicos, optasque eorum misereri, poteris quidem eos qui jam illos miserati sunt laudare cæterosque ad idipsum cohortari, dicendo psalmum quadragesimum. Deinde si magno Dei desiderio flagrans, audieris inimicos exprobrantes tibi, ne turberis; sed cogitans immortalem talis desiderii fructum, tuam ex spe in Deum consolare animam, et sic allevans demulcensque dolores quibus illa premitur in hac vita, dicito quadragesimum primum. Cum assidue meminisse volueris beneficiorum Dei, quæ Patribus collata sunt, et exitus ex Ægypto, necnon de commoratione in solitudine; quam scilicet bonus Deus, quam ingrati homines sint, habes quadragesimum tertium, septuagesimum septimum octogesimum octavum, centesimum primum, centesimum quintum, centesimum sextum, centesimum decimum, tertium. Cum autem ad Deum confugeris, liberatus ab ærumnis quæ tibi acciderunt, si volueris Deo gratias agere, atque enarrare ejus erga te clementiam, habes quadragesimum quintum.

XX. Sed peccasti et pudore affectus pœnitentiam agis,

et misericordiam flagitas, habes confessionis et pœnitentiæ verba in psalmo quinquagesimo. Quod si apud regem iniquum calumniam passus es, videsque superbe insultantem calumniatorem, recede tu, et dic ea quæ in quinquagesimo primo habentur. Et cum te aliqui persequuntur et calumniantur te, velut Ziphæi et allophyli Davidem, ne tædio afficiare, sed Domino confidens, eumque laudans, recita quinquagesimum tertium et quinquagesimum quintum. Quod si ingruat persecutio, et imprudens persecutor in eam speluncam incidat in qua tu absconderis, ne reformides : in ejusmodi namque necessitate præsto tibi sunt ad consolationem perutiles stilographiæ sermones in psalmo quinquagesimo quinto et centesimo quadragesimo primo. Si autem jusserit persecutor custodiri domum tuam, et tamen effugeris, Deo refer gratiam, eamque in anima tua quasi in cippo inscribe, ut memoriale sit tuæ incolumitatis, et dic ea quæ sunt in quinquagesimo octavo. Si autem exprobrent tibi qui te affligunt inimici tui, et qui videntur amici esse tui, te nugando calumnientur, et in exercitatione tua tantillum temporis contristere, at potes te ipsum consolari hymnis Deum celebrando, ac recitando quartum psalmum. Adversus hypocritas, et in facie gloriantes, dic ad confusionem eorum psalmum quinquagesimum septimum. Adversus eos autem qui in te atrociter irruunt, et capere volunt animam tuam, tu opponas illis tuam erga Deum obsequentiam, et confide; quanto enim illi furiosius institerint tanto magis te Domino submittas, et dic verba sexagesimi primi. Si persecutionem passus in solitudinem recesseris; ne formides quasi solus ibi degas, cum adsit tibi Deus, ad quem diluculo cane Psalmum sexagesimum secundum. Si terreant te inimici, nec finem faciant insidiarum, immo adversum te

omnia scrutentur, etiamsi multi fuerint, nequaquam cedas, nam sagittæ parvulorum erunt plagæ eorum, canente te psalmum sexagesimum tertium, sexagesimum septimum, sexagesimum nonum et septuagesimum.

XXI. Quando Deum celebrare volueris recita sexagesimum quartum. Si quosdam de resurrectione institueris, recita sexagesimum nonum. Postulans a Domino miserationes, lauda illum, psallens sexagesimum sextum. Cum videris impios in pace prospere agentes, ne scandalizeris, neque commovearis, sed dic verba septuagesimi secundi psalmi : cum iratus fuerit Deus adversus populum, habes ad consolationem illius verba prudentiæ in septuagesimo tertio. Quando confessione tibi opus erit, psalle septuagesimum, septuagesimum quartum, nonagesimum primum, centesimum quartum, centesimum quintum, centesimum sextum, centesimum septimum, centesimum decimum, centesimum decimum septimum, centesimum trigesimum quintum, centesimum trigesimum septimum. Vis gentilium et hæreticorum opiniones confundere, et commonstrare, non apud illos esse Dei cognitionem, sed in sola Ecclesia? potes canere atque dicere, quæ in septuagesimo quinto habentur. Inimicis refugia tua præoccupantibus, ac te summopere afflicto, licet perturberis ne animum despondeas, sed ora : et si clamando exaudiare, gratias Deo age, recitans septuagesimum sextum. Si persistentes inimici irruperint et domum Dei profanaverint, sanctosquc trucidarint, illorumque corpora volucribus cœli projecerint, ne his compulsus reformides eorum crudelitatem, vicem miserorum doleas, atque adversus inimicos Deo supplices, dicendo septuagesimum octavum.

XXII. In solemni die volens Domino canere, advo-

catis Dei servis, psalle octogesimum et nonagesimum quartum. Inimicis iterum undique congregatis, et domui Dei minas intentantibus, fœderaque contra pietatem agentibus, ne animo deficias ob eorum multitudinem et potentiam, habes quasi anchoram spei verba octogesimi secundi psalmi. Quod si videris domum Dei et æterna ejus tabernacula, atque eorum desiderio tenearis, quemadmodum Apostolus, dicito octogesimum tertium psalmum. Cessante tandem ira, solutaque captivitate, si volueris Domino gratias agere, habes octogesimum quartum et centesimum decimum quintum. Et si cognoscere velis quid intersit discriminis Catholicam inter Ecclesiam et schismata, atque schismaticos confundere, dicere potes octogesimum sextum. Si velis tibi aliisque addere fiduciam ad Dei cultum, et ostendere quod spes in Deum non confundat, sed intrepidum animum reddat, lauda Deum recitans nonagesimum. Psallere vis in Sabbato? habes nonagesimum primum.

XXIII. Vis gratias agere dominico die? habes vigesimum tertium. Vis secunda Sabbati psallere? dic quæ sunt in nonagesimo quarto. Canere vis die parasceves? laudem habes in nonagesimo secundo. Tunc enim domus ædificata est, licet inimici eam obsidere niterentur: quare triumphale carmen Deo canere convenit, ea scilicet quæ tunc dicta sunt in nonagesimo secundo psalmo. Si captivitate facta, excisa fuerit domus ac rursum ædificata, cane quæ sunt in nonagesimo quinto. Terra a bellatoribus quiescente, atque demum in pace degente, et Domino regnante, si ea de re canere velis habes nonagesimum sextum. Vis quarta Sabbati psallere? habes nonagesimum tertium; tunc enim traditus Dominus ultionem de morte sumere cœpit, deque ea confidenter triumphare. Cum igitur legens Evangelium, videris

quarta Sabbati consilium inisse Judæos adversus Dominum : cernens tunc ipsum confidenter agere, ut pro nobis de Diabolo vindictam sumat, psalle verba nonagesimi tertii psalmi. Rursum quando videris Domini in omnia providentiam, et dominium ejus, atque volueris nonnullos in fide ejus et obedientia instituere, suade illis ut primo confiteantur, et psalle nonagesimum nonum. Et ubi cognoveris ejus judicandi potestatem, quod scilicet misericordia judicium temperando judicaturus Deus sit, si ad eum accedere volueris, habes ad eam rem verba psalmi centesimi.

XXIV. Cum infirma sit natura nostra. Si propter vitæ angustias, quasi inops factus animo deficias, voluerisque consolationem accipere, habes centesimum primum. Et quoniam decet nos per omnia et in omnibus gratias Deo agere, cum volueris ipsum benedicere, habes ad animum tuum excitandum, centesimum secundum et centesimum tertium. Vis laudare Deum, atque nosse, quomodo, et qua de causa laudandus sit, et quænam laudantem proferre deceat? habes centesimum decimum secundum, centesimum decimum sextum, centesimum trigesimum quartum, centesimum quadragesimum quintum, centesimum quadragesimum sextum, centesimum quadragesimum septimum, centesimum quadragesimum octavum, centesimum quadragesimum nonum, centesimum quinquagesimum. Habes fidem, ut dixit Dominus, et credis ea quæ orando loqueris? dic centesimum decimum sextum. Sentis te operibus tuis ascendere, ita ut dicere possis : « Quæ retro sunt obliviscor, ad » ea quæ ante sunt extendo meipsum[1]. ? » habes in singulis profectibus quindecim graduum cantica dicenda.

XXV. In captivitatem redactus es ab alienis cogita-

[1] Philipp. III, 13.

tionibus, atque sensisti te abduci, et pœnitentiam egisti, in posterum desine, atque gradum sistens ubi te peccare deprehendisti, sede et lacrymare, et prout fecit olim populus, dic verba centesimi trigesimi sexti psalmi. Tentationes probationem esse tuam ratus, si post tentationes velis gratias agere, habes centesimum trigesimum octavum. Ab inimicis iterum teneris, et liberari cupis? dicito verba centesimi trigesimi noni. Vis supplicare et orare, psalle quintum, centesimum quadragesimum, centesimum quadragesimum primum, centesimum quadragesimum secundum, centesimum quadragesimum quintum. Inimicus tyrannus insurrexit in populum : at tu sicut David, Goliath ne timeas : sed tu quemadmodum David credito, et psalle verba centesimi quadragesimi tertii. Deinde admirans beneficia Dei in octogesimo sexto narrata, memorque ejus erga te clementiæ, omnibus in rebus exhibitæ, si propterea volueris Deo benedicere, Davidis verba in centesimo quarto posita psalmo recitato. Vis Domino canere? quæ dicas suppetunt in nonagesimo quinto et nonagesimo septimo. Si cum pusillus esses prælatus sis ad usum quempiam fratrum tuorum, ne adversus illos extollare : sed gloriam Domino qui te elegit tribuens, psalle et tu centesimum quinquagesimum primum qui proprius est Davidis. Sed psallere vis Hypacoen, quæ habet alleluia, habes centesimum quartum, centesimum quintum, centesimum sextum, centesimum decimum, centesimum undecimum, centesimum duodecimum, centesimum decimum tertium, centesimum decimum quartum, centesimum decimum quintum, centesimum decimum sextum, centesimum decimum septimum, centesimum decimum octavum, centesimum trigesimum quartum, centesimum quadragesimum quintum, centesimum quadragesimum sextum, centesimum

quadragesimum septimum, centesimum quadragesimum octavum, centesimum quadragesimum nonum, centesimum quinquagesimum.

XXVI. Cum volueris ea quæ Salvatorem proprie spectant psallere, in singulis pene psalmis hæc invenies, præcipue autem habes quadragesimum quartum et centesimum nonum, qui genuinam ejus ex Patre generationem, ejusque in corpore adventum significant; decimum et sexagesimum octavum qui de divina cruce prænuntiant, quantas pro nobis sustinuerit insidias, et quam multa passus sit; secundum et centesimum octavum, indicantes Judœorum insidias malitiamque, et Judæ Iscariotæ proditionem; vigesimum item quadragesimum nonum et septuagesimum primum, significantes regnum ejus et judicandi potestatem, necnon secundum ejus in carne ad nos adventum. Decimus quintus declarat ejus carnalem resurrectionem : vigesimus tertius et quadragesimus sextus, annuntiant ejus ad cœlos ascensum. Cum autem legeris nonagesimum secundum, nonagesimum quintum, nonagesimum septimum, nonagesimum octavum, beneficia Salvatoris per cruciatus ejus nobis collata poteris contemplari.

XXVII. Talis est character libri psalmorum ad hominum utilitatem accomodatus, quos quidem psalmos alios ad emendationem motuum singularum animarum conscriptos esse, reliquos vero de adventu in corpore Domini nostri Jesu Christi frequentiores habere prophetias, superius diximus. Quid causæ autem sit quod ejusmodi sermones cum modulatione et oda psallantur, nequaquam prætermittendum est. Quidam enim inter nos simpliciores, tametsi credunt verba esse divinitus inspirata, arbitrantur tamen ob soni suavitatem, volup-

tatemque aurium psalmos cani. At nequaquam ita se res habet, non enim voluptatem, aut eloquentiam affectavit Scriptura : sed id quoque ad animæ utilitatem constitutum est, omnibus, sed duabus maxime de causis; primo, quia decuit divinam Scripturam, non obiter, sed fusius Deum hymnis celebrare. Continua igitur oratione dicuntur legis et Prophetarum verba, necnon historiæ omnes, cum novo Testamento : fusius autem efferuntur psalmorum, odarum et canticorum scripta : atque eo modo observabitur, ut totis viribus et tota potestate Deum diligant. Secundo, quemadmodum harmonia tibias apte componens unum concentum efficit; ita cum in anima varii sint motus, insitque vis cogitandi, concupiscendi, irascendi, ex quorum permotione membrorum corporis operatio exoritur; ratio postulat, hominem secum non dissentire, nec a semetipso dissidere; ita ut optima quidem cogitet, pessima vero faciat, ut Pilatus qui dicit quidem : « Nullam causam mortis invenio in » illo[1]. » attamen cum Judæorum sententia concurrit : aut prava concupiscat, nec valeat perpetrare, ut senes in Susannam : aut rursum a fornicatione abstineant quidem, sed furentur; aut non furentur quidem, sed occidant; aut non occidant, sed blasphement.

XXVIII. Ne itaque hujusmodi aliqua perturbatio in nobis sit, ratio postulat; ut anima, quæ ut ait Apostolus Christi mentem habet, ea duce utatur, atque per illam animi affectus cohibeat, et corporis membris imperet, quo rationi obsequantur; ut sicut in harmonia plectrum, ita ipse homo quasi psalterium effectus, et spiritui omnino intentus, omnibus membris motibusque suis obediat inserviatque Dei voluntati. Istiusmodi autem imperturbati et sedati animi imago typusque est harmo-

[1] Luc. XXIII, 22.

nica illa psalmorum lectio. Quemadmodum enim verbis quæ proferimus, animi cogitationes prodimus atque indicamus; sic cum spiritualem in anima harmoniam, verborum modulatione, quasi symbolo significari velit Dominus, jussit ut continue caneretur, atque psalmi cum cantu recitarentur. Et illud est animæ desiderium, ut recte affecta et composita sit ut scriptum est : « Lætatur » quis in vobis? psallat[1]. » Hoc modo si quid in ea turbulentum, asperum, et incompositum est, psalmodia mitigatur. Tristitia vere levatur psallentibus nobis : « Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me[2]? » Errorem vero suum agnoscet dicendo : « Mei autem » pene moti sunt pedes[3]. » Metum autem spe confirmabit dicens : « Dominus mihi adjutor, non timebo » quid faciat mihi homo, et ego despiciam inimi- » cos meos[4]. »

XXIX. Qui igitur hoc modo divina contica non legunt, non prudenter psallunt, sed sese oblectant, culpandi sane, quia « non est speciosa laus in ore peccato- » ris[5]. » Qui autem prædicto modo psallunt, ita ut verborum modulatio ex animæ numeris, et ex consonantia cum spiritu proferatur; hi lingua quidem psallunt, et cum item mente psallant, non sibi solum, sed etiam audire se volentibus magnæ sunt utilitati. Beatus igitur David cum eo modo Saüli psalleret, non solum Deo placebat, sed et perturbationem et furoris morbum ex Saüle abigebat, parabatque illius animæ tranquillitatem. Ita quoque sacerdotes dum psallerent; populorum animos ad tranquillitatem advocabant, et ad concordiam cum iis qui in cœlis choreas agunt. Quod itaque cum modulatione psalmi dicantur, id non fit ex suavis concentus

[1] Jac. v, 13. — [2] Psal. xlii, 5. — [3] Psal. lxxii, 2. — [4] Psal. cxvii, 6, 7. — [5] Eccli. xviii, 9.

studio, sed signum est harmoniæ cogitationum animæ. Harmonicaque lectio, indicium est animæ rectæ compositæ, atque tranquillæ. Etenim Deum laudare in cymbalis bene sonantibus, in cithara et decachordo psalterio, argumentum illud erat et signum membra corporis, instar chordarum, rite composita esse : cogitationesque animæ quasi cymbala esse, ac denique sono et spiritu oris hœc omnia moveri et vivere; ita ut, quemadmodum scriptum est, spiritu vivat homo, et actus corporis mortificet : ita enim qui recte psallit animam suam concinnat, et quasi ex inæqualitate ad æqualitatem adducit; ita ut secundum naturam consistens a nullo perterreatur, quin potius phantasiis tranquilla evadat, et majori futurorum desiderio afficiatur. Sacrorum namque verborum modulatione recte composita, passionum suarum obliviscitur : atque læta ad sententiam quæ secundum Christum est respicit, et optima quæque cogitat.

XXX. Decet igitur, o fili, ut quisquis hunc librum legit, legat quidem sincere et probo animo omnia quæ in illo habentur, utpote divinitus inspirata : ac demum ex illo quasi ex paradiso, utilitates sibi decerpat, quas e re sua esse perspicit. Existimo namque in hujusce libri verbis, omnem humanam vitam, animæque affectiones, cogitationumque motus contineri atque describi, nihilque iis amplius in hominibus reperiri. Nam sive pœnitentia sive confessione sit opus; sive tribulatio aut tentatio apprehenderit, sive quis persecutionem passus, sive ab insidiis liberatus, sive mœstus aut turbatus sit, aut aliquid hujusmodi patiatur, quemadmodum superius dictum est : aut si videat se quidem proficere, hostem vero destrui; sive laudare, sive gratias agere, sive Domino benedicere velit, habet in divinis psalmis doctrinam harumce rerum.

Licitum enim illi est in singulis quod voluerit ex supra dictis eligere, et quasi de se dicta essent ea recitare, ac perinde affectum atque scriptum est, ea ipsa Deo referre.

XXXI. Ne quis autem ea sæcularibus verbis, quadam eloquentiæ specie ductus, ornare aggrediatur, neque conetur quispiam dicta transponere aut ullatenus immutare, sed sine ullo artificio, prout dicta sunt, ea recitet et psallat, prout dictum est : ut sancti viri qui ea ipsa nobis ut ministri tradidere, sua agnoscentes verba, nobiscum orent; immo potius ut Spiritus qui in sanctis locutus est, ibi conspiciens verba sua illis inspirata, patrocinium nostrum una suscipiat. Quanto enim præstantior est sanctorum vita aliorum vita, tanto excellentiora eorum verba sermonibus nostris, atque efficaciora esse jure quis dixerit. His enim Deo placuerunt, et hæc dicentes, ut ait Apostolus : « Vicerunt regna, operati sunt justitiam, » adepti sunt repromissiones, obturaverunt ora leonum, » extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, » convaluerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, » castra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de » resurrectione mortuos suos[1]. »

XXXII. Unusquisque igitur hæc jam dicens confidat fore ut per ea Deus supplicantes auditurus sit : sive enim tribulatur qui hæc dicit, magnam percipiet in ipsis consolationem ; sive tentatur aut persecutionem patitur qui ita psallit, probatior apparebit, atque a Domino protegetur, qui etiam hæc proferentem defendit, iis diabolum fugabit, dæmonasque ejus abiget. Hæc porro dicens, si quidem peccaverit, sese ad pudorem vertet, atque peccandi finem faciet; si non peccaverit se lætum conspiciet, quia iis quæ ante sunt extenditur, atque oppugnatus ita

[1] Heb. XI, 33.

psalmorum vi prævalet : non commovebitur autem in æternum a veritate; immo eos qui se deceperint, et in errorem deducere tentaverint, coarguet, cujus rei non alius sponsor quam ipsa Scriptura aderit. Deus enim præcepit Moysi ut magnam odam conscriberet, doceretque populum; atque eum, qui princeps constitutus erit, jubet scribere Deuteronomium, ejusque verba præ manibus semper habere ac meditari, cum satis ea sint cum ad virtutis commonitionem, tum ad opem iis ferendam qui sincero animo meditati ea fuerint. Sane cum in terram promissionis ingressus est Jesus Nave, conspectis gentium castris, regibusque Amorrhæorum omnibus ad bellum congregatis, vice telorum gladiorumque Deuteronomium legit ad aures omnium, verbaque legis in memoriam revocavit, atque cum iis populum ceu armis instruxisset, inimicos superavit. Rex autem Josias, invento libro, et ad omnium aures perlecto, non ultra inimicos reformidavit. Et si quando bellum populo ingrueret, arca quæ legis volumina continebat omnes præcedebat, et id illis æque ad subsidium sufficiebat ac quælibet acies, nisi quoddam inter bajulos ejus, aut inter populum, esset peccatum, aut hypocrisis, quæ prævaleret. Fide namque et probo proprioque affectu est opus, ut lex orationi suffragetur.

XXXIII. Ego certe, aiebat senex, audivi a prudentibus viris, quod olim in Israële sola Scripturarum lectione dæmonas fugarent, et insidias ab ipsis adversum homines paratas retegerent. Quare omni damnatione dignos esse dicebat eos, qui his omissis, ascitisque aliunde verbis elegantibus, iis sese exorcistas nominarent. Potius enim ludunt, ac se dæmonibus ridendos offerunt; quod accidit, ut habent Acta Apostolorum, filiis Scevæ Judæis, qui eo ipso modo exorcizare tentaverant. Hæc itaque

cum audiunt ab illis dæmones, ipsis illudunt : contra vero Sanctorum verba reformidant, nec possunt ea sustinere. In Scripturarum namque verbis est Dominus, quem cum ferre non possent, clamabant : « Rogo te ne » me ante tempus torqueas[1]. » Urebantur siquidem, cum præsentem Dominum tantum viderent. Ita et Paulus imperavit impuris dæmonibus, itidemque Discipulis subjiciebantur dæmonia. Et super Elisæum Prophetam facta est manus Domini, cum tribus Regibus prophetavit de aquis : dum scilicet psaltes, juxta ejus mandatum, psalleret. Eodem modo jam ista super eos qui patiuntur quisquis recitare debet, patientemque juvabit, suamque fidem veram firmamque comprobabit; ita ut ubi illam Deus conspexerit, perfectam sanitatem rogantibus tribuat. Id cum cognosceret Sanctus ille; aiebat in centesimo decimo octavo psalmo; « justificationes tuas medi» tabor, non obliviscar sermones tuos; » et rursum : « Cantabiles mihi erant justificationes tuæ in loco pere» grinationis meæ[2]. » In his enim etiam salutem consequebantur, dicentes : « Nisi quod lex tua meditatio mea » est, tunc forte periissem in humilitate mea[3]. » Quando et Paulus iis ipsis confirmabat discipulum suum, cum diceret : « Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus » manifestus sit[4]. » Hæc meditans, atque ea ratione psalmos legens, uniuscujusque sensum, Spiritu duce, consequi poteris. Talem vero vitam tu quoque imitaberis qualem habuerunt qui hæc locuti sunt deiferi sancti viri.

[1] Luc. VIII, 28. — [2] Psal. CXVIII, 54. — [3] Ibid. 92. — [4] 1 Tim. IV, 15.

SANCTI PATRIS NOSTRI

ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI,

EXPOSITIONES IN PSALMOS.

ARGUMENTUM.

I. In Hebraïco libro Psalmorum, sine numeri additione omnes Psalmi inscripti sunt, atque variis modis. Alii quidem una juncti, alii divisi sunt. Statim quippe ab initio primus et secundus in textu Hebraïco copulantur; contra vero nonus, qui apud nos conjunctus est, in Hebraïco textu dividitur in duos. Totus porro Psalmorum liber in quinque partes distributus est. Observandum est autem ordinem Psalmorum, nequaquam historiæ et temporum seriem et rationem tenere : verum in multis mutari temporum ordinem, ut commonstrat liber Regnorum. Cum enim Judaïcus populus idolorum cultui admodum addictus esset, in summam paternarum Scripturarum oblivionem venerunt, usque adeo ut ne Mosaicæ quidem legis liber compareret; nec quidpiam paternæ pietatis penes ipsos reliquum esset. Cum itaque Prophetas interemissent, quod eorum impietates coarguerent : ac propterea in manus Assyriorum traditi, in captivitatem abducti fuissent; sub hæc quidam Propheta, qui Synagogam eorum strenue curabat, cum aliis Scripturis librum quoque Psalmorum collegit : non quod simul unoque tempore Psalmos omnes repererit, sed diversis temporibus; ac primos ordine posuit eos qui primi re-

perti fuerant : quo factum est ut ne omnes quidem ipsius Davidis Psalmi ordine ponantur, atque Psalmi filiorum Core, et Asaph et Salomonis, Mosis quoque, Ætham Israëlitæ, Æman, rursumque Davidis permixtim positi in libro occurrant; non quo tempore editi, sed quo inventi fuere : quod ipsum in Prophetarum periodis et clausulis reperias.

II. Qui Psalmi vero post primum et duodecimum consequuntur sine titulo, necnon ii quibus titulus quidem præmittitur, nec tamen indicatur quo sint auctore editi, eorum esse dicunt Hebræi, quorum nomen in scribitur in Psalmis qui titulo vacuos antecedunt. Æstimo autem primum et secundum, qui unum constituunt psalmum, Davidis esse; quia quotquot in prima parte subsequuntur, ipsius sunt. A tertio enim ad quadragesimum omnes Davidis inscribuntur : quamobrem mihi ad ipsum videntur pertinere primus atque secundus. Quam sententiam confirmat liber Actuum Apostolorum, in quo dicitur : « Domine tu fecisti cœlum et terram, et mare, et » omnia quæ in eis sunt. [Deus] Patrum nostrorum qui » dixisti per Spiritum sanctum per os David pueri tui, » Quare fremuerunt gentes et populi meditati sunt ina- » nia[1]? » His enim perspicue dixit, Psalmum secundum Davidis esse. Verisimile autem est, ideo titulum, Davidis, omissum fuisse in eo psalmo, quia nudam et apertam complectitur prophetiam de Domino, qua dicitur, « Adversus Dominum et adversus Christum ejus. » Quibus consequenter adjicit ex ipsa Christi persona : « Dominus dixit ad me, Filius meus es tu. » Omnes itaque Psalmi, centum quinquaginta feruntur. Quidam porro arbitrantur omnes B. Davidis esse : neque tamen id aliqua nota significatur. Et verum quidem est univer-

[1] Act. IV, 24.

sos Davidi ascribi; at in titulis indicatur quo auctore quisque psalmus editus sit. Nam quatuor canticorum principes, ministri vero ducenti octoginta octo, electi fuere. Horum quatuor principum psalmi aliquot circumferuntur, ut vel ipsis docetur titulis. Quando enim dicit: » Psalmus filiis Core, Æthan, Asaph, et Æman, » ab ipsis Æthan, Asaph, Æman, filiis Core psallitur. Cum dicit, « Psalmus Asaph; » ipse Asaph recitavit; cum dicit, « Psalmus Idithum, » ipse Idithum psallit : ubi dicit, Davidis, ipse David est qui pronuntiavit. Cum autem dicit, Davidi, ab aliis recitatur psalmus in Davidem. Sunt quidem omnes centum quinquaginta, quorum septuaginta duo Davidis sunt, novem Davidi, duodecim Asaphi, duodecim filiis Core, unus Idithum, unus Ætham, unus Æman, unus Salomonis, duo Aggæi et Zachariæ; sine titulo triginta novem, unusque Mosis : omnes centum quinquaginta.

III. Animadvertendum itaque mysterium, quæ scilicet causa sit cur, cum diversi sint cantores, neque omnes psalmi Davidis sint; psalterium tamen ad Davidem referatur : hæc ne silentio prætermittamus. Ideo sic inscriptum fuit, quia ipse David in causa fuit cur istæc ederentur : ipse namque cantores elegit. Is igitur qui causa fuit, tanto honore dignatus est, ut quæcumque cantores dixerint, quasi Davidis reputentur.

IV. Cum propheta esset David, atque interioribus apertis oculis, probe nosset malignos spiritus gaudere de lapsu hominum, et contra dolere quasi victos de eorumdem resipiscentia, et emendatione, intelligibili ac spirituali modo orationes adversum illos emittebat; ex iis hostibus qui sub aspectum cadunt assumpta metaphora. Nisi enim hac ratione Prophetarum scopum interpretemur, non modo nullam animæ utilitatem, ex eorum

dictis, ad mansuetudinem adipiscendam, percipiemus; verum etiam in asperam quamdam, atque evangelicæ doctrinæ adversam, animi duritiem ex frequentibus adversus inimicos precibus delabemur, tantum abest ut diligamus illos. Nam sexcenties ait David : « Confundantur pudore » et ædificiantur omnes inimici mei, et non confundar » ego. » Similia enim ne credamus dixisse viros prophetas et amicos Dei alio quam superius a nobis explicato more. Atque ita intelligat oportet vir quisque sedulus ac studiosus, sicubi imprecantem Prophetam inveniat, ab hostibus qui sub sensum cadunt ad intelligibiles inimicos facta translatione. Demum vacare oportet Ascetam singulorum verborum intelligentiæ.

PSALMUS I.

ARGUMENTUM.

Initium prophetiæ Christo ab ipso secundum carnem nascituro offert David. Quamobrem imprimis beatos dicit qui sperant in eo[1]. *Beatos autem vocat eos qui non abeunt in concilium impiorum, neque stant in via peccatorum, neque sedent in cathedra pestilentium. Nam tres ordines apud Judæos erant contra salvatorem insurgentes, Scribæ scilicet, Pharisæi, et Legisperiti, qui jure atque merito impii, peccatores et pestilentes nuncupentur. Via dicitur hæc vita, quia ii qui nascuntur, ad finem pergunt.*

I. Beatus « vir qui non abiit in consilio impiorum. » Potest consilium impiorum cœtus dici ac conventus im-

[1] Psal. I, I.

proborum. Cumque noxium sit sese impiorum cœtibus immiscere, beatum dicit eum, qui ne tantillum quidem ad illorum conventus accedit. Hujusmodi erat Joseph ab Arimathia : qui corpus Domini ac Dei sepelivit. De illo namque dictum fuit, quod non astipularetur consilio eorum qui Jesum prodidere. « Et in cathedra pestilen- » tium non sedit. » Per cathedram, doctrinam significat, ut ipse ait : « Super cathedram Moysi[1]. » Cathedra igitur pestilentium, est doctrina iniquorum.

II. « Die ac nocte. » Fervens animi studium significat. Siquidem non est meditandum negligenter legem Domini. « Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege » ejus meditabitur die ac nocte[2]. » In lege, evangelica videlicet. Contentionem significat ac diligentiam, non enim remisse ac negligenter oportet legem Domini meditari. Neque modo meditandum, modo supersedendum meditatione; sed semper et assidue divinis oraculis sese addicere opus est id enim significatur hoc dicto; « die ac » nocte. » Bona est merces boni operis : qui enim divinæ vacat legi, ejus fluentis irrigatur. Christus quoque doctrinam suam vocavit aquam, cum ait : « Si quis sitit, » veniat ad me et bibat. » Ligno ad aquas posito comparatus est, quod semper floret, semper fructibus tempestivis onustum est. Nam virtutis athletæ laborum quidem fructus in futuro reportant, et, ceu quibusdam foliis inde emissis, spe bona adumbrantur, laborumque gravitatem hujusmodi recreatione suffurantur. Tali viro omnia semper prospere vertent. Nihil enim divinis legibus adversarium admittet, qui voluntati legis suam accommodat voluntatem : quia a principio ille omnes malitiæ species eliminavit, et declarata divinarum legum perfectione, ita infert : « Omnia quæcumque faciet. »

[1] Matth. XXIII, 2. — [2] Psal. I, 2.

III. (*His adjicit Dan. Barbarus.* Die autem meditatur qui in virtutibus proficit, nocte vero, qui cum perturbationes insurgunt, immotam servat animi generositatem.)

IV. « Et erit tamquam lignum quod plantatum est[1]. » Confessionis, sive etiam parabolæ lignum Christus esse describitur in divinitus inspirata Scriptura, juxta illud : « Lignum vitæ est omnibus suscipientibus eam[2]. » Ait igitur eos qui in Christum crediderint, corpus ejus futuros esse. Transformabit enim corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. « Decursus » porro « aquarum, » divinas vocat Scripturas : in quibus passim Christum reperire est prædicatum. Lignum vitæ Christus, rami Apostoli, fructus, sanguis et aqua ex latere fluens : quorum ille quidem in formam et exemplum martyrii, illa autem, baptismatis. Folia sunt sermones : fructum ligni intelligas esse rectam fidem; folia item ipsius, præceptorum observationem : fructus etiam sunt ii qui salutem consequuntur, radix, baptisma; agricola, pater. « Quod fructum suum dabit in tempore suo.[3] » Fructum ligni intelligas rectam fidem : Folium autem ejus, est plena observatio mandatorum. « Et folium ejus » non defluet, » non decidet. « Et omnia quæcumque » faciet prosperabuntur. » Nulla enim secundum Deum actio utilitate caret. Tempus dandi, accipientis opportunitas est.

V. «Ideo non resurgent impii in judicio[4]. » Nimirum quia non habent radicem, sed similes sunt pulveri terræ a ventis agitato. Ventum autem intelligas Dei comminationem, qua dicit : « Discedite a me maledicti in ignem » æternum[5]. » Qui tali audita voce jure decident, non

[1] Psal. I, 3. — [2] Prov. III, 18. — [3] Psal. I, 3. — [4] Ibid I, 5. — [5] Matth. XXV, 41.

enim constitere in Christo, qui credentium fulcrum est ac fundamentum. Nam in judicio ait, non in interrogatione. « In consilio justorum, » ait. Nam separabit justos a peccatoribus.

VI. « Quoniam novit Dominus viam justorum.[1] Novit, » ibi positum est pro, « honorat; » secundum id quod dictum a Deo est ad Mosem : « Novi te præ omnibus[2], » quasi dicat : honoro te, et invenisti gratiam coram me.

PSALMUS II.

Davidi, caret inscriptione apud Hebræos.

ARGUMENTUM.

Postquam in primo Psalmo Judaïcæ gentis principes vocavit impios, peccatores et pestilentes; in hoc iterum eorum opera recenset hujusmodi usus nominibus, ipsis optime congruentibus. Postquam primum psalmum per impiorum memoriam concluserat, eorumdem mentione secundum iniit Psalmum, docens supra memoratum impiorum finem eos, qui furore in salvatorem acti sunt, excepturum.

I. « Quare fremuerunt gentes. » Fremitum vocat brutam ferocitatem. Illud autem, *quare*, in communi dicitur, ut intelligatur etiam : « Quare populi meditati sunt » inania? » Et qui, quæso, non inanis ipsis fuerit hujusmodi meditatio, utpote qui Salvatorem generis sui non

[1] Psal. I, 6. — [2] Exod. XXXII, 12. — [3] Psal. II, 1.

acceperint? Quæ, ait, causa tanti odii, ut in unum concurrant gentes et populi? Illud enim « fremuerunt » significat, tantum superbierunt, quod est cum tumore et arrogantia turbas movere et tumultuari. Translatusque est hic loquendi modus a bruto equorum impetu, nullum decorem servante, quod Judæis contigit adversus Christum insurgentibus. Quæ causa est, quod in unum concurrant gentes et populi? forte etiam Israëlitas vocat gentes et populos, sive Herodem et Pilatum quasi Ethnicos, Judæos ut populos memorat.

II. « Astiterunt reges terræ. Astiterunt » ac si diceret, sese suopte consilio ad id negotii destinarunt Reges, Herodes nempe et Pontius Pilatus. Ita sancti Apostoli in Actibus interpretati sunt. « Et principes convenerunt in » unum. » Supra dicti scilicet ordines; Scribæ nimirum, Pharisæi et Legisperiti. « Adversus Dominum et adversus » Christum ejus[1]. » Insidiæ enim in Christum paratæ, in ipsum quoque Patrem vertunt. Nam si Pater in Filio et Filius in Patre, quomodo non una in utrumque vertatur contumelia?

(*Adjicit Daniel Barbarus.* Nam præpositiones duæ, et articuli duo, duas quoque personas inducunt, Patrem nimirum, et Filium, juxta illud, quod a Christo dictum est : « Qui me recipit, recipit eum qui me misit; » et qui me spernit, ambos spernit. »)

III. « Dirumpamus vincula eorum[2]. » Deest illud, « di« centes; » ut hæc sit sententia : convenerunt contra Dominum et contra Christum dicentes : Dirumpamus vincula eorum. Noluerunt enim intra sacram esse sagenam de qua scriptum est : « Simile est regnum cœlorum » sagenæ[3]. Et projiciamus a nobis jugum ipsorum. » Gravitatem legis, de qua dixit : « jugum enim meum suave

[1] Psal. II, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Luc. X, 16.

» est, et onus meum leve[1]. Jugum ipsorum : » nam insidiæ contra Christum ad ipsum recurrunt Patrem. Si namque Pater in Filio, et Filius in Patre est, quomodo non fuerit iis illata contumelia?

IV. « Qui habitat in cœlis irridebit eos[2]. » Tamquam stulta consulentes : qui enim ab illis confixus est morti traditus, cum in cœlis sit et omnia contineat, vana inaniaque declarat eorum consilia. Ejusque Pater omniumque Dominus, dignas hujusce rei exposcet pœnas. « Et Do- » minus subsannabit eos. » Quasi nihilum despiciet, odio habebit, aversabitur. « Irridebit » ac si diceret, odio habebit, aversabitur. Sed qui insidiatoribus, inquit, excelsior est, irridebit eos, sive risu dignas eorum insidias declarabit, utpote qui stulto negotio manum admoverint. Nam subsannatio est flatus per nares emissus, ad despectum eorum qui ingentem fremitum edunt. Quod autem præpositis superioribus hæc dicantur, ampliorem præbent risus materiam. Neque id solummodo, inquit, sed iram experturi sunt.

V. « Tunc loquetur ad eos in ira sua[3]. » Tunc, quandonam, nisi cum dicerent, « Dirumpamus vincula eo- » rum? » Quid autem est quod in ira sua loquetur? Illud : « Væ vobis, Scribæ et Pharisæi[4], *Et*, auferetur a » vobis regnum Dei. » Et illud : « Et vobis quoque legis- » peritis væ[5]. » Nam Romanus exercitus in captivitatem illos abduxit. Furor autem ab ira differt, quod furor sit velut ira ebulliens et adhuc accensa; ira autem, appetitus vindictæ. Imperfectior itaque furor est, quam ira : estque ira ceu complementum. Verborumque hujusmodi interpretationem palam facit vel ipse rerum exitus. Exercitus namque Romanorum ipsos invadens Urbem

[1] Matth. xi, 29. — [2] Psal. ii, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Matth. xxiii, 13. — [5] Luc. x, 46.

vastavit, atque Templum incendit, et magnam partem ipsorum internecione delevit : illos autem qui mortem effugerunt, captos servituti tradidit. Animadvertat velim quisque vir fidelis, quod quasi duarum personarum mentionem deinceps faciat; primo quidem Domini Christi : siquidem « adversus Dominum, *inquit*, et ad- » versus Christum ejus : » deinde vero, ejus qui habitat in cœlis et Dominus est : « Qui habitat in cœlis irridebit » eos, et Dominus subsannabit eos : » ac rursum eodem modo assidue et consequenter procedit.

VI. « Ego autem constitutus rex ab eo super Sion[1]. » Tamquam reprobato Israëlitico populo, fidem quæ apud gentes futura erat, enarrat. Sion vero, Ecclesiam significat.

VII. « Dominus dixit ad me, Filius meus, etc[2]. » Ac si diceret, ipsa me Patris natura Filium declaravit : non jussu quodam id perficiente; sed essentia ipsa me figuram substantiæ Patris esse commonstrante. Apposite additur « Es » quod generationem ante sæcula declarat : erat enim semper Filius. Adjecit autem illud « Hodie » genui te » ut generationem secundum carnem commonstraret : illud enim « Hodie » tempus indicat : quare pro temporali generatione positum est. Consequenter item pro humana generatione adjiciuntur isthæc « Genui » te. » Hic mihi, quæso, animadvertas, quo pacto generationem Unigeniti Christi sibi propriam Pater faciat.

VIII. « Et possessionem tuam terminos terræ, reges eos » in virga ferrea.[3] » Id est in cruce, cujus materia lignum, cujus virtus ferrum. Juxta quosdam, Romanum imperium significat.

(*Adjicit Dan. Barbarus.* Conterit figulus vas, quod

[1] Psal. II, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8.

e manibus cadit : non delens sed reformans : non aliud lutum, quam vetus, aquam tantum addens, quod et Christus fecit.)

IX. « Et nunc Reges intelligite[1]. » Id est, considerate, ad pœnitentiam convertimini. « Erudimini qui judi» catis terram. » Per illud : « erudimini » profectum significat; per illud autem, « Apprehendite discipli» nam, » perfectionem.

(*Dan. Barb.* « de via justa, » a qua qui aberrant cadunt a « via justa. »)

X. « Apprehendite disciplinam[2]. » Evangelicam videlicet : « Et ne pereatis de via justa. » Ejus scilicet qui dixit : « Ego sum via[3]. »

PSALMUS III.

David quando fugiebat a facie Abessalom filii sui[4].

ARGUMENTUM.

Proposita Psalmi inscriptio ita habet. Nam hoc est quod psalmus enuntiat, quod scilicet a Judaïco populo vexetur prophetarum chorus. David enim significat desideratus : quod revera competit prophetarum choro. Sicut ergo Abessalom rebellionem excitare tentabat adversus patrem suum, seu Davidem; ita et Judæi contra patres suos prophetas insurrexerunt, non admittentes Dei mandata; imo vero obsistentes illis.

[1] Psal. II, 10. — [2] Ibid. 12. — [3] Joan. XIV, 6. — [4] Psal. III, 1.

I. « Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me?[1] » Illud, *quid*, pro, vehementer, positum est.

II. « Non est salus ipsi in Deo ejus[2], » Deus, inquit, ejus, non salvum faciet eum. Siquidem in peccatum ejus tantum quod perpetrarat intuebantur, ejusque pœnitentiam ignorabant. Hoc autem propalam facit de Davide dictum psalmum fuisse. Illud enim insurgere, proprie dicitur de iis, qui antea e subditorum erant conditione, sed postea bellum excitarunt.

III. « Tu autem Domine susceptor meus es, gloria » mea[3]. » Quia dictum jam est, hunc psalmum ex persona Domini, pronuntiari, jam dicendum est ejus caput, quod Deus est, exaltari, cum divinitas ejus fidelibus perspicue commonstratur[4]. « Tu autem, Domine, sus- » ceptor meus es. » Hæc vox Prophetæ fidei apprime convenit, qui tales rerum conditiones firmo atque intrepido animo ferebat, confidebatque se minime relictum iri; immo vero non auxilium modo ad futurum, verum etiam erigendum se fore atque regnum accepturum : id enim aiunt quidam significare illud « Exaltans caput. » Gloria itaque justi Deus est, in quem spem reposuit : cujus autem gloria est Deus, hujus caput exaltatur.

IV. « Voce mea ad Dominum clamavi[5]. » Docetur in occurrentibus casibus, non ad alium quam ad Deum confugiendum. « Voce mea ad Dominum clamavi. » Præmisit precationem, dehinc post diapsalma, gratiarum actionem addit de concesso postulato. At jam ad nos converso vultu, narrat quo pacto preces ejus admissæ sint, aitque : « Voce mea ad Dominum clamavi. » Per « vocem » intelligas intelligibilem mentis Deo uni-

[1] Psal. III, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Hæc non sunt Athanasii sed Didymi. — [5] Psal. III, 5.

versorum supplicationem : non enim de clamore loquitur, sed de prolata per mentem oratione.

Illud porro « Exaudivit me de monte » dicitur secundum vulgarem opinionem. Putabatur enim in Tabernaculo habitare, quia inde oracula sacerdotibus dabantur. Vel « De monte sancto » quasi dicas, de cœlo : ut » etiam illud In monte sancto tuo *et* Appropinquate » montibus æternis. » Potest mons sanctus Dei esse ex quo exaudit orantes Deus Unigenitus illius, de quo dictum est : « Erit conspicuus mons Domini in novissimo die- » rum. » Quod dictum manifestationem ejus significat, quæ futura est in adventu ejus in consummatione sæculorum : aut, ex monte sancto, id est, ex cœlo. Mons sanctus Dei est supernaturalis ejus cognitio.

Diapsalma adhibetur, cum musici cantus mutatio fit, aut cum sententia et vis sermonis alio vertitur.

V. « Ego Dormivi et soporatus sum[1]. » Mentis somnum dicit, per quem incidit in peccatum. Et exurexi : illud « Exurrexi » significat, Divina conversione dignatus, ingruentibus in me malis superior evasi.

VI. « Quoniam tu percussisti omnes adversantes mihi[2]. » Percute, contere, aut percuties. Sollicitat Deum ut contra inimicos insurgat, ad se ulciscendum. « Sine causa » inimicos habet, qui nullam præbuit odii materiam. « Dentes, » autem « peccatorum » aut vim ait esse peccantium adversus Deum, aut verba in ipsum prolata, et blasphema dicta. Aut dentes peccatorum sunt cogitationes irrationabiles, quæ præter naturam nobis incidunt. Nam cogitationibus velut dentibus usi adversarii, plerumque appropinquant nobis, ut edant carnes nostras; videlicet ea quæ ex carne nascuntur. « Manifesta autem sunt opera » carnis » ait divinus Apostolus. Dentes porro ait, sump-

[1] Psal. III, 6. — [2] Ibid. 8.

ta a feris metaphora, quæ in dentibus robur habent, quibus fractis despectui habentur. Etenim homicidæ ac sanguinarii homines ipsis carnivoris feris pejores sunt, atque iisdem comparantur.

VII. « Domini est salus[1]. » Salvum me fac, inquit, Domine. Rogo autem ut salus isthæc in totum feratur populum. Sciendum porro est, totum psalmum ad humanum referri genus, quod cum peccasset, traditum ideo fuit spiritualibus inimicis : Sed clamat in tribulatione et exauditur a Deo, salutemque consecutum est, eo quod nempe Christus a mortuis resurrexerit, ac nostros percusserit inimicos, dæmones scilicet. Ipse namque est qui « molas leo- » num confregit, Dominus[2]. » Atque illius, sive ab illo est salus.

« Domini est salus. » Non est mihi, inquit, spes in homine : sed abs te salutem expecto, pariterque populus tuus qui mecum bello impetitur.

PSALMUS IV.

In finem in carminibus David[3].

ARGUMENTUM.

Hunc Psalmum post reportatam victoriam, victori dicat. Pro illo, in finem *Aquila et Theodotio interpretati sunt,* Victori : *Symmachus vero,* Epinicium, *sive victori carmen.*

1 Psal. III, 9. — 2 Psal. LVII, 7. — 3 Psal. IV, 1.

I. « Cum invocarem exaudivit me Deus justitiæ meæ [1]. » Simile est illi. « Te adhuc loquente dicet : Ecce adsum [2]. » In tribulatione dilatasti mihi. » Non modo ab incidentibus ærumnis liberasti, sed etiam in magnam latitudinem et libertatem posuisti. Siba et Berzel alimenta multa et tapetes Davidi obtulerunt, quando fugiens Absalonem, in desertis locis atque in montibus versabatur, quasi tres pueri in fornace, et Daniel cum leonibus. Quando tribulationum et tentationum rationem intelligimus, tunc maxime dilatamur. Alio item pacto potest latitudo explicari. « Miserere mei et exaudi orationem meam. » Quoniam dixerat se propter justitiam suam exauditum, propterea confugit ad Dei misericordiam.

II. « Filii hominum usquequo gravi corde [3]. » Hæc iis dicta sunt, qui magni exercitus ope, justum opprimi posse confidebant. Hæc autem spes, inquit, et vana et mendax est.

III. « Et scitote quoniam mirificavit Dominus sanc» tum suum [4]. » Hoc est, scitote, qui in multitudine confiditis, quod Deus admirabilem exhibuerit eum qui confidit in ipso. « Dominus exaudiet me cum clamavero. » Tempus pro tempore alio sumitur : nam pro, exaudivit, dixit, exaudiet.

IV. « Irascimini et nolite peccare. Quæ dicitis in cor» dibus vestris in cubilibus vestris compungimini [5]. » Quasi suis isthæc loquitur, ut et omnibus hominibus. Etiamsi, inquit, iram admittatis, sed ne sinatis eam in actum prorumpere in quiete compunctionis eam continentes. Illud enim est quod dicitur : « In cubilibus vestris » compungimini. »

(*Dan. Barb.* « Quæ dicitis in cordibus vestris. » Internas cogitationes vestras in nocte condemnetis : Est

[1] Psal. IV, 2. — [2] Isai. LVIII, 9. — [3] Psal. IV, 3. — [4] Ibid 4. — [5] Ibid 5.

enim compunctio sensus quidam tamquam animæ stimumulus, et aculeus : in nocte autem consilia purgatiora sunt.)

V. « Sacrificate sacrificium justitiæ et sperate in Do- » mino[1]. » Docet quo pacto superare hostes valeamus. Quo pacto superabimus? proba edentes opera, quæ quasi sacrificium offeramus Deo. « Multi dicunt : Quis » ostendit nobis bona? » Hæc sunt eorum verba qui ministeria Deum spectantia negligunt.

VI. « Signatum est super nos lumen vultus tui, Do- » mine[2]. » Lumen mundi Christus est, qui vera nobis bona ostendit, per quæ spiritualem lætitiam habuimus in mente et in corde.

PSALMUS V.

ARGUMENTUM.

Quæ hæreditatem accipit, est anima religiosa sive Ecclesia. Quid est quod hæreditate accipit? « Quæ oculus » non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis as- » cenderunt. » Precatur autem, atque, ut exaudiatur, rectum sui propositum declarat, et adversariorum nequitiam.

I. « Verba mea auribus percipe, Domine[3]. Quoniam » ad te orabo[4]. » Intelligibili, inquit, lumine gaudens, ad te orabo, ac me exauditum iri confido.

[1] Psal. iv, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Psal. v, 2. — [4] Ibid v, 4.

II. « Mane astabo tibi[1]. » Magna studii et contentionis gloria, ex ipso cubili Deo se sistere, ac in gratiarum actione solem prævertere. Sic enim, inquit, videbo divina et sancta tua mysteria, quæ præparasti diligentibus te. « Quia non Deus volens iniquitatem tu es. » Propterea, inquit, me exaudiendum esse confido, quia hujusmodi rerum, quas tu oderis, nullam habui curam. Hæc porro sunt, improbitas, iniquitas, mendacium, invidia, dolus.

III. « Odisti omnes qui operantur iniquitatem. Perdes » omnes qui loquuntur mendacium[2]. » Eos qui in instituto vitæ suæ labuntur vocavit, operantes iniquitatem. Hos vero odio habet Deus. Heterodoxos autem, qui a veritate exciderunt, loquentes mendacium vocat, quos perditurus est Deus. Atque observes velim discrimen inter illud : *Odisti*, et illud : *perdes*. Et primo quidem an illud, *perdes*, pejus sit quam illud, *odisti*. Secundo quid causæ sit, quod illud in præterito tempore, hoc in futuro jaceat. Et qui dicunt idola esse deos, atque ipsos dæmones, qui in idolis dicunt mendacia, obliqua, et oracula.

IV. Virum sanguinum et dolosum abominatur Domi» nus. » Hujusmodi quippe hominem odit Deus et aversatur. « Ego autem in multitudine misericordiæ tuæ in» troibo in domum tuam[3]. » Cælestem dicit Jerusalem primogenitorum matrem. « Adorabo ad templum sanc» tum tuum in timore tuo. » Templum est status animæ sanctæ et virtute florentis, quem qui obtinent fidenter agunt. Christus autem utpote filius in domo ejus requiescet, cujus nos domus. Nam tua fruens clementia. tuaque dextera protegente, continua in sacro gloriæ tuæ templo te persequor adoratione, ait sancta et pura anima, cum enim timorem tui ubique circumferam, num-

[1] Psal. v, 5. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8.

quam patiar ut eum amittam, tuæ confidens clementiæ. « Propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam » meam[1].» Spirituales videlicet.« Cor eorum vanum est[2].» Id est, cor sapientium hujus sæculi; aut etiam hæreticorum. Illi enim veritatis sermonem ignorant.

IV. « Sepulcrum patens est guttur eorum : linguis » suis dolose agebant[3]. » Linguas suas leniunt, et mortifera eructant dogmata.

V. « Decidant a cogitationibus suis[4]. » Ab his, inquit, cogitationibus, quas contra me admittunt, invidentes meo secundum Deum profectui. « Et secundum multitu» dinem impietatum expelle illos » pios scilicet efficiens. Nam qui animam persequuntur Deo grata opera edentem, Deum exasperant, aperteque bello oppugnant.

VI. « Et habitabis in eis[5]. » Ipse namque et Pater ejus venient et mansionem apud eum facient.

VII. « Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen » tuum, quoniam tu benedices justo[6]. » Tua, inquit, benedictione et providentia tuis concessa famulis, qui se tui nominis amoris dedidere, ob tuam erga ipsos sollicitudinem magnifice sentient de tua quam enarrabunt potestate. Atque ita loquitur B. Paulus : « Qui gloriatur in » Domino glorietur[7]. Ut scuto bonæ voluntatis tuæ coro» nasti nos. » Coronam, inquit, pro laboribus dabis in fine : qua tamquam scuto nos proteges.

[1] Psal. v, 9. — [2] Ibid 10. — [3] Ibid 11. — [4] Ibid 12. — [5] Ibid 13. — [6] Ibid 14. — [7] 2 Cor. x, 17.

PSALMUS VI.

In finem, in hymnis, pro octava, David.

ARGUMENTUM.

Ecquid porro aliud fuerit octava, nisi resurrectionis Christi dies, qua laborum fructus percepturi sumus; inimicis scilicet nostris cum pudore et perturbatione retrorsum abactis. Hunc porro canit psalmum, utpote diuturno tempore in pœnitentia versatus, quam obtulit pro peccato.

I. « Domine, ne in furore tuo arguas me[1]. » Non simpliciter, sed cum furore argui recusat. Neque correptionem abnuit, sed eam quæ cum ira fiat.

II. « Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum[2]. » Nulla enim anima ante labitur in peccatum, quam ex viribus quidpiam amiserit. Infirmitatem adumbrat, quæ ex ægritudine animi et ex fletibus provenit.

III. « Et anima mea turbata est valde[3]. » Animæ scilicet facultates. « Et tu, Domine, usquoque? » Diuturnam pœnitentiam declarat hoc dictum.

IV. « Convertere, Domine, eripe animam meam[4] » [Id ait] quasi Domino ob peccatum averso. « Salvum » me fac propter misericordiam tuam. » Totum salutis nostræ negotium misericordiæ Dei ascribendum.

[1] Psal. vi, 2. — [2] Ibid 3. — [3] Ibid 4. — [4] Ibid 5.

V. « Quoniam non est in morte qui memor sit tui[1]. » Quoniam, inquit, diuturnum mihi est pœnitentiæ tempus, timeo ne mors tuam misericordiam prævertat, ubi nullus erit confessioni locus. Cujus gratia, maturare misericordiam tuam postulo.

VI. « Laboravi in gemitu meo[2]. » Audiamus Regis illius pœnitentiam, qui non solum laboravit, sed etiam ingemiscendo magno affectus est dolore; non solum collacrymatus est; sed lavit per singulas noctes lectum suum. Neque tamen id ille respicit quod jam præteriit, sed similia facturum se pollicetur per totum vitæ tempus : et quod alii tempus laudibus insumunt, id ille confessioni deputat. « Lavabo per singulas noctes lectum meum. » Pro nocte una, inquit, quam peccando transegi, multas exegi noctes rigando lacrymis lectum meum.

VII. « Turbatus est a furore oculus meus[3]. » Mentem ait; ipsa quippe est animæ oculus. « Inveteravi inter » omnes inimicos meos. »Hic tempus ærumnæ declarat. Quod in recte factorum numero reponit, quia multum fuit.

VIII. « Quoniam exaudivit Dominus vocem fletus » mei[4]. » Quasi jam exauditus longum contra inimicos contexit sermonem. Nec minima illa est ad virtutem via, fugere et abjicere improborum consortium. Hic enim est pœnitentiæ fructus et lacrymarum lucrum. Aut fortassis illud per ellipsim dictum est, ut intelligatur : Concede nobis ut dicamus iis qui in nos irruunt adversariis : Abscedite quoniam exaudivit me. Quoniam ipse susceptus sum, qui peccati causa expulsus fueram.

[1] Psal. VI, 6. — [2] Ibid 7. — [3] Ibid 8. — [4] Ibid 9.

PSALMUS VII.

Davidi, quem cantavit Domino pro verbis Chusi, filii Jemini.

ARGUMENTUM.

Amicissimus Davidi erat Chusi : Qui mittitur a Davide ad Abessalom, ut Achitopheli, consiliorum contra Davidem auctori, adversaretur. Qui cum abscessisset, ac proditionem simularet, consilium postulante Abessalone, Chusi et Achitopheli, atque consilium dante Achitophele, ut Davidem insequeretur; Chusi autem secus suadente, non oportere scilicet, nec e re fore, insequi virum peritum belli; iis verbis Davidem servavit. Is vero quasi non humano servatus auxilio, Deo canticum hoc in gratiarum actionem offert : ejusque gratiæ totum, ac nulli hominum ascribit.

I. « Domine Deus meus in te speravi[1]. » Quoniam, inquit, de mea salute nihil ab homine sperandum puto, licet Chusi consilia bona sint; tu tamen salvum me fac[2], et quidem ex instantibus inimicis, sed maxime a spirituali leone, qui animæ meæ insidias parat.

II. « Si reddidi retribuentibus mihi mala[3]. » Injuriarum oblivionem præfert, qua Deum ad misericordiam provocat. « Decidam merito ab inimicis meis inanis. »

[1] Psal. vii, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 5.

Justus post victoriam plenus onustusque ab inimicis abscedit. Improbus autem ubi victus est, iis vacuus excidit, nullam habens rerum copiam.

III. « Persequatur inimicus animam meam[1]. » Quod ait est hujusmodi : incidam in manus diaboli si quid ex supradictis admisi. [*Alio modo.*] Id est, si hoc illudve feci, ne a peccato liberer ante mortem. « Exaltare in fi- » nibus inimicorum meorum. » Id est, in robustis inimicorum tuorum. Nam fines summitates significant.

IV. « Et exsurge Domine Deus meus in præcepto[2]. » Palam his verbis adventum annuntiat Salvatoris. » Et » Synagoga populorum circumdabit te. » His aperte declarat Ecclesiæ fidem in ipsum.

V. « Et propter hanc in altum regredere[3]. » Synagogam videlicet. Illud vero : « In altum ; » aut venerandam significat Crucem, ad quam ad peccata nostra, aut reditum in cœlum. Abiit enim ut pro nobis sese sisteret ad conspectum Patris.

VI. « Judica me, Domine, secundum justitiam meam[4]. » Rogat iterum a suis eripi inimicis, ex malis sibi illatis ad misericordiam provocans.

VII. [*Daniel Barbarus*, « justum adjutorium meum a » Domino[5]. » Justa petenda sunt, ut ipsa petitionis vis et natura, momentum ejus qui servat rectos corde facile attrahendo inclinemus.]

VIII. « Qui salvos facit rectos corde. » Nosti, inquit, cordis nostri cogitationes ; quapropter tuum imploro auxilium.

IX. « Deus judex justus fortis et patiens[6]. » His verbis aperte declarat Dei longanimitatem, qui supplicium differt, etsi non omnino parcat. « Sagittas suas ardenti-

[1] Psal. VII, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9. — [5] Ibid. 11. — [6] Ibid. 12.

» bus effecit[1]. » Sagittas dicit supplicium : « ardentibus, » iis scilicet qui pœnam ignis meruerunt.

X. « Ecce parturiit injustitiam[2]. » Inimicus videlicet vitæ nostræ. « Concepit dolorem et peperit iniquita- » tem. » Hoc est et deliberavit, et quod decreverat in actum deduxit.

XI. « Lacum aperuit et effodit eum etc[3]. » Cum in Salvatorem Christum mortem parasset, morti ipse traditus est.

PSALMUS VIII.

In finem pro torcularibus, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

« In finem » dictum est, quia in fine sæculorum terminum habent ea quæ prophetico spiritu prædicta sunt. De Christo namque et de Ecclesiis, quæ secundum incarnationem extiterunt, sermonem habet. Quando quidem unigenitus, vitis, fideles vero, palmites vocantur. Quod si contendat Judæus, psalmum in communi de homine dici; etiam hoc pacto notum sit, quod ideo omnia ipsi subjecta sunt, quia ad imaginem Dei, qui carnem assumpturus erat, factus est. Olim in legali cultu, in templo erat Προλήνιον *q. d. protorcular, id est altare : sed post gentium vocationem, multa sunt torcularia, ipsæ scilicet Ecclesiæ, fructus eorum qui pie vivunt percipientes.*

[1] Psal. VII, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16.

I. « Domine Dominus noster quam admirabile est nomen tuum in universa terra[1] ! » Obstupescit ob datam nominis Dei hominibus notitiam. Non ultra enim solis iis qui in Judæa sunt notus est Deus.

II. « Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem[2]. » Eorum scilicet qui coram Deo infantes sunt quoad malitiam. Hoc autem in Evangeliis etiam scriptum est perspicue dixisse Salvatorem, cum pueris ipsum laudantibus os Pharisæi obturabant. « Propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et ultorem. » Aut sensibilem, aut intelligibilem inimicum ait aut populum Judaïcum. Christum enim ceu inimicum pellebant, et simulabant se Patris ulciscendi animo id agere, quamobrem ut eam illis defensionem penitus adimeret ait : « Qui odit me, odit et » Patrem meum. Inimicum et ultorem[3], » diabolum dicit. Qui postquam compulit ad peccatum, pœnas peccatoribus infligit, peccati gravitate ob oculos ipsis posita. Aut populum Judæorum, veritatis quidem inimicum, ultorem vero, quia videbatur legem vindicare.

III. « Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum » tuorum[4]. » Indignantur illi infantibus laudem perficientibus. Illud autem tantum tamque pulchrum opificium, cœlos nempe, ego qui sum creationis tuæ pusillum opus, contemplor.

IV. « Quid est homo quod memor es ejus, aut filius » hominis quoniam visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis[5]. » Isthæc Paulo ad Salvatorem nostrum referente, id ad expositionem satis esto.

V. « Omnia subjecisti sub pedibus ejus[6]. » Postquam dixit Deus : « Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, » adjecit : « Et dominentur piscibus

[1] Psal. viii, 2 Ibid. 3. — [3] Joan. xv, 23. — [4] Psal. viii, 4. — [5] Ibid. 5. — [6] Ibid. 8.

» maris » et reliquis, quæ accurate recenset[1]. » Quibus etiam dicit : « Crescite et multiplicamini et replete ter» ram, et dominamini illi[2]. » Rationabili quippe naturæ, utpote ad similitudinem Dei conditæ, omnium rerum imperium tradidit. Acceptaque homo divinæ imaginis virtute, ut rex omnium est Deus, ita homo terrenorum omnium constitutus est princeps. Quod si in universum dicatur : « Et constituisti eum super opera manuum » tuarum; « itemque alio loco dicat : « Et opera ma» nuum tuarum sunt cœli[3], » palam est quod super cœlos constituerit eum, nec latenter innuit in cœlis commorationem fore eorum, qui a terra illuc transferuntur, quando regni cœlorum hæreditatem accepturi sunt, uti promissum fuit. Dicit vero Paulus : « Hæredes quidem » Dei, cohæredes autem Christi[4]. » Eo plane modo intelligendum illud est : « Omnia subjecisti sub pedibus » ejus. » Et nunc quidem animalia : sed quia vitæ Angelicæ par in cœlo hominibus reposita est; cum ibi constitutus erit super opera manuum ejus, cœlorum et omnium quæ in illis sunt speculator erit. Beatus autem Paulus, hoc etiam de Salvatore accepit, ut futurum in sæculo venturo. Quare ait illi Pater : « Sed a dextris » meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum » tuorum[5]. Oves et boves universas[6]. » His adumbrat eos qui crediderunt ex Israël. « Insuper et pecora cam» pi. » His gentes indicat. « Volucres cœli, » eos dicit qui in vita sua elati et superbi sunt, qui alte sentiunt, homines admodum insipientes.

VI. « Domine Dominus noster quam admirabile est » nomen tuum in universa terra[7] ! » Repetit illud, admi-

[1] Gen. I, 26. — [2] Ibid. 28. — [3] Psal. CI. — [4] Rom. VIII, 17. — [5] Hebr. I. — [6] Psal. 10, 9, 1. — [7] Psal. VIII, 10.

ratione stupefactus, uti jam dixi, ob datam hominibus Dei cognitionem.

PSALMUS IX.

In finem, pro occultis filii, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Hoc Psalmo ea declarat quæ latenter a Salvatore facta sunt. Multa autem illa erant occulte gesta : Nativitas scilicet secundum carnem ex Maria Virgine per Spiritum sanctum : stupendæ ac miraculis insignes virtutes : mors ipsa ac descensus in infernum, resurrectio demum ex mortuis. Hæc quippe omnia occulte ab illo gesta sunt. Abscondit enim illa etiam principibus mundi hujus. Pro hisce occultis Propheta personam gerens humanæ naturæ ingreditur gratias agens ac dicens : « Confitebor tibi, Domine. » Occultorum porro illorum revelatio mors est, atque ea quæ in inferno gesta sunt : necnon resurrectio et ascensio.

I. « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo.... » In convertendo inimicum meum retrorsum, etc. » De quibusnam confessio sit declarat. Inimicum autem ejus, mortem esse ait, quæ retrorsum convertitur, videlicet, ad non esse.

II. « Infirmabuntur et peribunt a facie tua. » Quando

[1] Psal. IX, 1. — Ibid. 2. — [3] Ibid. 4.

ait retrorsum mors convertetur, tum omnis adversaria potestas destruetur : nam si ultima omnium inimica mors destruitur, palam est prius destrui adversarias potestates[1].

III. Illud. « Quoniam fecisti judicium meum et cau» sam meam[2], » causam affert gratiarum actionis; hoc autem : « Sedisti super thronum, » indicat Dei in judicando inspectionem.

IV. « Increpasti gentes et periit impius[3]. » Intelligibiles inimicos scilicet. « Nomen eorum delesti in sæcu» lum. » Draconem ait spiritualem, id est, diabolum, quia increpatio emendationem significat. Jure quis dixerit, emendatis per Apostolos gentilibus, periisse impium, extincto prorsus atque deleto altarium ejus nidore. Postquam enim gentes increpatæ, et ad Dominum conversæ sunt, qui in ipsis utpote inobsequentiæ filiis vim suam exercebat, diabolus, scilicet, una cum idolorum templis periit, quæ, ceu civitates quædam, continebant eos qui impietatem sectabantur. Atque ita deleta sunt, ut ne vestigium quidem eorum remanserit. Potest illud de postremo quoque judicio explicari; tunc enim increpatis peccatoribus, diabolus, qui proprie impius audit, funditus peribit. Civitates porro, extincta quæ in ipsis ante dominabatur impietate, ædificium pietatis susceperunt.

V. « Inimici defecerunt frameæ in finem[4]. » Frameas diaboli adversarias dicit potestates, quibus potens ille est. Civitates sunt adversariæ potestates, quæ quasi civitates prævalidæ muris instructæ, errore deceptos complectebantur. Et cujusmodi, quæso, civitates ait, nisi eas de quibus alibi dicitur : « Redegisti in pulverem civi» tates potentes, ita ut cadant ipsarum fundamenta[5] ? » Quæ, uti declaratum est, sunt adversariæ potestates. « Pe-

[1] I Cor. xv. — [2] Psal. ix, 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Isaï xxv, 2.

» riit memoria eorum cum sonitu. » Ita ut eorum pernicies ubique pervulgetur. Aut exitium supremum dicit, sive malorum vehementiam, et perniciei conspicuitatem. Ejus namque pernicies ultro citroque audita fuit.

VI. « Et factus est Dominus refugium pauperi[1]. » Sese frequenter pauperem ac mendicum vocat, etiamsi in regia versaretur. Noverat enim humana omnia vel umbris imbecilliora esse. « Opportunitatem » vocat tempus tribulationis : semper enim auxilio egemus, etiam in prosperitate : verum in ærumnis, auxiliorum usum magis experimur. Mendico, scilicet spirituali populo ait. « Adjutor in opportunitatibus in tribulationibus. » Ut illud : « In tempore accepto exaudivi te[2]. »

VII. « Psallite Domino qui habitat in Sion[3]. » In cœlesti, inquit, Jerusalem. « Annuntiate inter gentes studia » ejus. » Hæc quasi ad Apostolos et Evangeliorum præcones loquitur. Quæ porro sint ejusmodi studia in sequentibus indicat.

VIII. « Quoniam requirens sanguinem eorum recor» datus est[4]. » Sanguinem ait pro illo effusum requiret, ut vindictam postulet. « Non est oblitus clamorem pau» perum. » Pauperes rursum vocat eos qui propter ipsum mendicant, qui assidue ipsum supplices rogant, postulantque ultionem injuriarum sibi a dæmonibus illatarum.

IX. « Qui exaltas me de portis mortis[5]. » Ideo excitas me ex terra humiliationis, ut choreas agam in cœlesti Sion. « In portis filiæ Sion. » In cœlesti Jerusalem. Illud porro « annuntient » intelligas, assidue canam.

X. « Cognoscitur Dominus judicia faciens etc[6]. » Judicium namque plane justum est, ut ii qui mortem ho-

[1] Psal. IX, 10.—[2] Isai. XLIX, 8. — [3] Psal. IX, 12. — [4] Ibid. 13. — [5] Ibid 15. — [6] Ibid. 17.

mini struxere, in ea ipsa re comprehendantur. Fortasse (id ait) quia ii in quos fertur judicium, judicem cognoscent tempore judicii.

XI. [*Dan. Barb.* « Convertantur peccatores in infer» num[1]. » Dæmones scilicet, et quicumque illis servierunt. « Omnes gentes quæ obliviscuntur Deum. » Græci, hæretici, Judæi.]

XII. « Exsurge, Domine, non confortetur homo[2]. » Precatur unigenitum in terris illucescere; ne superbus ille diabolus, quem in præsenti vocat hominem, supercilium ultra tollat. « Judicentur gentes in conspectu tuo. » Salutarem gentium vocationem rogat citius adesse.

XIII. « Constitue Domine legislatorem super eos[3]. » Ecquis legislator ille, nisi qui Novi Testamenti legem nobis induxit? « Sciant gentes quoniam homines sunt. » Per ingentem dæmonum fallaciam, in jumentorum morem commutati erant; ut de illis diceretur : « Comparatus est » jumentis insipientibus, et similis factus est illis[4]. »

PSALMUS X.

Secundum Hebræos.

I. « Ut quid, Domine, recessisti longe[5]. » Rogat accelerari gentium vocationem modico post tempore futuram. Idipsum autem effecit diaboli superbia.

II. « Dum superbit impius incenditur pauper[6]. » Su-

[1] Psal. IX, 18. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. 21. — [4] Psal. XLVIII, 13. — [5] Ps. X, 1. — [6] Ibid. 2.

perbia, inquit, improbi, quasi incendium est pauperi, populo scilicet tuo. « Comprehenduntur in consiliis qui» bus cogitant. » Id est, comprehendentur. Nam tu es, inquit, qui comprehendis sapientes in astutia eorum[1].

III. « Quoniam laudatur peccator in desideriis animæ » suæ[2]. » Tanta, inquit, fuit ejus clementia ut, quia impii impuniti remanebant, demum apud quosdam stultissimos homines eorum vita accepta esset et laudaretur.

IV. « Exacerbavit Dominum peccator[3]. » Exacerbavit quidem irridendo illius de providentia et de judicio verba. Multi namque cum hujuscemodi quidpiam audiunt statim rident. Hoc autem subjungitur : « Secundum mul» titudinem iræ suæ. » Ut ita se habeat tota sententia. Exacerbavit Dominum, inquit, peccator, multitudinem iræ sibi thesaurizans. Illud enim « suæ » de exacerbante est accipiendum. Deinde quod dicitur : « non quæret, » cum interpunctione legendum, ut ita intelligatur. An ille homo Deum exacerbat, iræ sibi magnitudinem accendens, et Deus non quæret? Cum interpunctione itaque legendum, ut sit hic sensus. Annon quæret Deus? annon tribuet ipsi secundum iram quam sibi thesaurizavit, in die iræ suæ?

V. « Non est Deus in conspectu ejus[4]. » Expulso ex anima sua Dei timore, semper in malitia perseverat. Principium omnis malæ actionis est, non cogitare judicem Deum. « Auferuntur judicia tua a facie ejus. » Nosse non vult te judicem esse justum : qui enim non novit esse Deum, neque judicem esse novit. « Omnium inimico» rum suorum dominabitur. » Simile est illi : « Uni» versum orbem manu comprehendam quasi nidum[5]. »

[1] Job. v, 13. — [2] Psal. x, 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Isai. x, 14, juxta 70.

VI. « Dixit enim in corde suo : Non movebor etc[1]. » Id est : Non inducar in errorem, non evertar in generationem, non in malis ero.

(*Adjicit Dan. Barb.* Nam quicumque vitii particeps est, nihil grave se subiturum putat.)

Tentationes aliæ animo, corpori aliæ objiciuntur; aliæ iis quæ circum corpus versantur. Quæ animo offeruntur, cogitationes impuræ nuncupantur, quæ peccata et dogmata falsa generant; quæ corpori admoventur, sunt causæ plagarum, cruciatuum, persecutionum, carcerum, mortis; quæ circa corpus versantur tentationes, sunt pecuniarum et possessionum mulctæ, filiorum et uxorum jacturæ. Palam itaque est ex supradictis satanam aliquo ex memoratis tentationum generibus, in justos omnes dominatum habuisse : solus quippe Christus « peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore » ejus. »

VII. « Cujus maledictione os plenum est[2]. » Permanentem, inquit, se felicitatem habiturum putat : quamobrem et amaritudine et dolo os ejus plenum est : atque insidias parat pauperibus, ut laqueis suis interficiat eos. Illud porro, « cum divitibus, » quid aliud sibi voluerit, quam, cum iis qui divites in malis sunt? Illi namque cum Diabolo patre suo contra pauperes una machinas parant.

VIII. « Sedet in insidiis cum divitibus[3]. » In conventibus et cœtibus sedens, insidias et machinas insontibus parat.

IX. « Inclinabit se et cadet[4]. » Postquam dixit : Vici, tunc lapsus erubescit.

X. « Dixit enim in corde suo : oblitus est Deus[5]. » Hæc dicit Diabolus, non quod ita se res habeat, sed quo

[1] Psal. x, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 10. — [5] Ibid. 11.

nos decipiat atque ut supplentemur, rati Deum humana negligere.

XI. « Exurge Domine Deus meus[1]. » Precatur ut Dei in puniendo mora et clementia moveatur : nam cum Dei manus contra impiorum stultitiam non attollitur, tunc petulantiores evadunt. « Exaltetur manus tua. » Erige manum tuam ut doceas illos, te eorum qui injuriis afficiuntur, curam gerere : et quasi ex somno surgens, ostende ultionem tuam eorum consiliis superiorem esse. Atque illos quidem corrigas, sed injurias affecti misericordiam capias, vehementer commotus et concitatus eorum facinoribus ac blasphemis dictis. « Propter quid, *inquit*, » irritavit impius Deum. »

XII. « Dixit enim in corde suo : non requiret[2]. » Atque id in causa est, quod ille exaltetur et labatur.

XIII. « Vides quoniam tu laborem et dolorem consi» deras[3]. » Tu, inquit, o Domine, omnia nosti, nihil eorum quæ fiunt ignoras, immo nec eorum quæ in mentem et cogitationem veniunt. Quin et labores hominum, furorem et indignationem eorum qui molestia afficiunt accurate nosti. Quoniam omnium cogitationes consideras, et tu es qui corda et renes scrutaris. Et cum hæc videas, longanimis tamen es, gnarus sub manu tua omnes esse, nec quemquam posse aliquo fugere. « Tibi de» relictus est pauper, orphano tu fuisti adjutor. » Hoc est, tuum ille expectat auxilium.

XIV. « Contere brachium peccatoris et maligni[4]. » Hoc est, potentiam inimici. « Quæretur peccatum illius » et non invenietur. » Propter ipsum scilicet peccatum. Tota sententia sic habet : Si quæsieris, inquit, peccatum maligni, non invenietur, id est, peribit peccator propter ipsum peccatum. Inveniuntur qui salutem a Deo

[1] Psal. x, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. 15.

consequuntur, secundum illud : « Inveni David servum » meum » et, inventa est drachma perdita; ac si inventa non fuisset, periisset. Qui pereunt, non invenientur in sæcula : manet quippe judex, ac regnat semper in futuro ac novo sæculo.

XV. « Dominus regnabit in æternum[1]. » In futuro et novo sæculo.

(*Dan. Barb.* Hæc dicit ad ostendendum præsens et futurum regnum illius. Quod si Domini regnum fine caret, quod nullus regni illius finis futurus sit; justi qui ejus participes sunt, perpetuam regni possessionem adipiscentur.)

XVI. « Peribitis gentes de terra illius. » In tempore enim regni ejus projicientur in ignem æternum. Gentes vocat iniquos homines, utpote qui non vivant secundum legem, sed gentilitiam et barbaram immanitatem sectentur. Eos deleri rogat : « Peribitis » inquit, et exitium ipsis comminatur; ut et illi respirare possint, et hi ad meliorem se frugem recipere.

XVII. « Desiderium pauperum exaudisti, Domine[2]. » Hæc namque illorum erat concupiscentia, hoc desiderium, ut futuris donarentur bonis. « Præparationem » cordis eorum audivit auris tua. » Ad hoc namque parati, ad omnia sustinenda corde prompti sunt. Præparatio cordis, est quasi promissio facta a motibus et affectibus animi, ad obsequentiam Deo reddendam.

XVIII. « Judicare pupillo et humili; ut non apponat » ultra, etc[3]. » Cum, inquit, pauperes ulciscetur, tunc non apponet ultra magnificare se homo.

[1] Psal. x, 16. — [2] Ibid. 17. — [3] Ibid. 18.

PSALMUS X.

In finem David.

ARGUMENTUM.

Hunc quoque Psalmum canit postquam inimicos deviceerat. Hic piam sententiam mentemque præfert.

I. « In Domino confido, quomodo dicitis animæ » meæ[1]? » Cur mihi suadetis, inquit, ut fugiam in montes sicut passer, etiamsi in Deo confidam? « Trans» migra in montes sicut passer. » Transfer te, transi, fuge in montes, id est, virtutes.

II. « Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum, » paraverunt sagittas in pharetra[2]. » His verbis ad fugam eum concitabant dicentes, si non fugeret, sagittis confossum iri a peccatoribus. Declarat itaque malas cogitationes esse maligni tela. « Ut sagittent in obscuro » rectos corde. » Quasi dicat, latenter. Hujusmodi namque sunt spiritualium inimicorum tela.

III. « Quoniam quæ perfecisti destruxerunt[3]. » Compulit, inquit, inimicus hominem in corruptionem, licet in incorruptionem conditus esset. « Justus autem quid » fecit? » Etiamsi, inquit, inimici talia fecerint, at Dominus, qui templum habet cœlum, facto justorum et impiorum examine, aliis quidem impertit bona, alios in

[1] Psal. x, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4.

æterna supplicia dejicit. « Dominus in templo sancto » suo. »

IV. « Oculi ejus in pauperem respiciunt[1]. » Significat Dei cognitionem cui nihil latere potest. Oculos autem dicit ejus beneficam inspectionem. « Palpebræ ejus in» terrogant filios hominum. » Palpebras dicit ejus judicialem rerumque exploratricem providentiam.

PSALMUS XI.

In finem pro Octava David[2].

ARGUMENTUM.

De octava dictum fuit in sexto Psalmo. Rogat porro liberari a generatione mala. Hæc autem generatio illa sane fuerit, quæ tempore erat Salvatoris nostri Jesu Christi : de qua ipse dixit : « Viri Ninivitæ surgent » et condemnabunt generationem istam[3]. »

I. « Salvum me fac Deus, quoniam defecit Sanctus, » quoniam diminutæ sunt veritates a filiis hominum[4]. » Insidias in Christum paratas in unum complectitur. Dimissa namque veritate Judæi, mendacium contra Christum commenti sunt.

II. « Labia dolosa in corde[5]. » Quoniam, cum eum magistrum ac bonum appellarent, longe diversa in eum consilia inibant.

[1] Psal. x, 5.—[2] Psal. xi, 1.—[3] Matth. xii, 41.—[4] Psal. xi, 2.— [5] Ibid 3.

III. « Disperdet Dominus universa labia dolosa, lin» guam magniloquam [1]. » Quomodo non magniloqua lingua illa, quæ ausa est Salvatori dicere : « In qua » potestate hæc facis, et quis tibi dedit hanc potesta» tem [2]? Quoniam quæ perfecisti destruxerunt. » Quasi dicat, opera tua evertere satagunt propter me, nam quem unxisti regem, contra calculum tuum armati, student abrogare. Et hoc agunt postquam rectas probasque cogitationes, quæ secundum naturam sunt, eliminarunt, quas scilicet Dominus perfecerat.

IV. « Qui dixerunt linguam nostram magnificabimus, » labia nostra a nobis sunt. Quis noster Dominus est [3]? » Quasi scilicet hæc secum reputarent, facultatem se habere quidvis pro libidine contra Salvatorem proferendi. Illud autem : « Quis noster Dominus est? » Simile est illi dicto : « Hunc autem nescimus unde sit [4]. »

V. « Propter miseriam inopum etc [5]. » Inopes et pauperes secundum spiritum intelligit. Quorum gemitu audito, exurgam, ait. « Ponam in salutari, fiducialiter » agam in eo. » Id est, Palam omnibus faciam salutare, quod etiam curabo evulgari ultro citroque. Ubique enim terrarum prædicatum est.

VI. « Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne » examinatum [6]. » Vera inquit, sunt verba de salutari enuntiata et promissa, quemadmodum argentum sæpe in crucibulum immissum. Illud autem, « septuplum, » pro, pluries posuit, is enim est mos sacræ Scripturæ.

VII. « Tu, Domine, servabis nos [7]. » Ideo, inquit, servabis nos, quia circumdant nos impii, saluti nostræ insidiantes. Hi autem sunt adversariæ et malignæ potestates.

[1] Psal. xi, 4. — [2] Marc. xi 28. — [3] Psal. xi, 5. — [4] Joan. ix, 29. — [5] Psal. xi, 6. — [6] Ibid. 7. — [7] Ibid. 8.

VIII. « Secundum altitudinem tuam multiplicasti fi-» lios hominum[1]. » Altitudinem dicit virtutem : multiplicationem autem illam, temporis diuturnitatem. Ut hæc sit sententia. Per virtutem et potestatem tuam, diuturnitatem temporis et vitam æternam dedisti nobis. Nam post salutarem ascensionem, in infinita sæcula vita nostra extenditur. Aut altitudinem dicit, quia scilicet similes tibi homines effecisti, quatenus eorum fert facultas : aut quia multam eorum curam habuisti.

PSALMUS XII.

In finem David.

ARGUMENTUM.

Hunc canit Psalmum, dum pœnitentiam delicti ageret, et una salutare nostrum annuntiaret. Unde exemplum nacti sumus, quo pacto oporteat nos, cum peccavimus, ad Deum accedere.

I. « Usquequo, Domine, oblivisceris me in finem[2]? » Quasi post diuturnam moram per pænitentiam ad Deum accesserit, propter admissum peccatum. « Usquequo » avertis faciem tuam a me? » Hanc faciem Angeli semper vident.

II. « Quamdiu ponam consilia in anima mea[3]? » Angore crucior, inquit, dum animo mecum volvo, ne forte

[1] Psal. xi, 9. — [2] Psal. xii, 1. — [3] Ibid. 2.

in peccato moriar, et illud maxime est quod animo meo dolores parat. « Dolorem in corde meo die ac nocte. » Corde quotidie meditando.

III. « Usquequo exaltabitur inimicus meus super » me[1] ? » Nam si colentibus nobis Deum, ac religiose viventibus, deprimitur inimicus; manifestum est, peccantibus nobis extolli. Exaltatio namque satanæ, est hominum humiliatio. Siquidem quemadmodum Deus dicitur in salute nostra exaltari; ita et Diabolus in pernicie nostra extolli.

IV. « Illumina oculos meos[2]. » Oculos mentis indicat. Illuminate illos lumine cognitionis.

V. « Ego autem in misericordia tua speravi[3]. » Confido, inquit, peccati me remissionem accepturum, dum tuam perpendo misericordiam. Tua, inquit, per quam salutare tuum dedisti omnibus hominibus. Quod salutare exultationem parabit cordi meo, olim de peccato dolenti.

PSALMUS XIII.

In finem Psalmus David[4].

ARGUMENTUM.

Diserte in præsenti Psalmo declarat hominum in omnibus studiis et actibus suis impietatem iniquitatemque, ut necessitatem prædicet adventus Christi.

[1] Psalmus XII, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 6. — [4] Psal. XIII, 1.

I. « Dixit insipiens in corde suo : Non est Deus[1]. » Quandoquidem non cogitantes Deum esse, qui respiciat omnia humana, ac qui justo judicio judicet, nullum non scelus perpetrarunt; idcirco Dominus de cœlo prospexit. Illud enim aperte Domini ad homines adventum indicat. « Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum. » Cum venit, inquit, Dominus, nullum mansuetudini deditum; sed omnes nulli non pravo operi addictos, invenit. « Sepulcrum patens est guttur eorum[2]. » In suo namque gutture dæmones hominem quasi cibum detinebant, non cogitantes, non posse Deum unquam opificii sui oblivisci.

II. « Nonne cognoscent omnes qui operantur iniqui» tatem[3]? » Cum interpunctione legendum, atque illud, « Dominum, » extra accipiendum; ut hæc sit sententia, et omnes, inquit, declinaverunt, atque id perpetrarunt. Nequaquam futurum est ut Dominum cognoscant. « Qui » devorant plebem meam sicut escam panis, Dominum » non invocaverunt. » Comedebant enim populum ejus suadentes adorare creaturam et non creatorem. Atque illi, inquit, aliis malorum auctores facti, Dominum non invocabunt. Ita namque legendum futurum pro præterito.

III. « Illic trepidaverunt timore, ubi non erat ti» mor[4]. » Mosis lex, inquit, pœnam inferebat, timor autem Domini castus est : nam nos tamquam filios, Patrem timere docuit. Post illud tempus, quo scilicet adventus erit ejus, ibi timebunt ubi non est timor. Non timore qui ex legis comminatione oriatur, sed reverentia quæ liberos deceat.

IV. « Quoniam Dominus in generatione justorum[5]. » Qui justificantur per ejus adventum. « Consilium inopis

[1] Psal. xiii, 2. — [2] Ibid 3. — [3] Ibid 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6.

» confunditur. » Hæc dicit ad eos qui perseverant in incredulitate, et persequuntur eos qui in Christum credidere.

V. « Quis dabit ex Sion salutare Israël[1]; » Hoc duplicem continet Prophetiam : non modo enim hic obsessis partam salutem annuntiat, sed etiam salutarem Christi adventum, multis post sæculis futurum. « Exultabit » Jacob. » Sanctos Patriarchas et Prophetas intelligit, qui summopere læti erunt, cum prædictas ab ipsis promissiones Christus impleverit. Hæ autem erant, quæ omnium gentium salutem prænuntiabant.

PSALMUS XIV.

In finem, Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Hunc canit Psalmum docens quidnam aditum homini præbeat ad illam assequendam sortem : quapropter ita orditur.

I. « Domine quis habitabit in tabernaculo tuo[2]? » Habitatio est commoratio temporanea, non fixam et permanentem vitam, sed transeuntem, ac cum spe transmigrationis ad præstantiora conjunctam significans. Sancti quippe viri est hanc vitam prætereundo agere, atque ad aliam transmittere. Quæ causa est ut David de se ipse

[1] Psal. xiii, 7. — [2] Psal. xiv, 1.

dicat. « Advena ego sum apud te et peregrinus, sicut omnes patres mei. » Quis, ait, dignus erit in cœlestibus illis tabernaculis consistere? « Aut quis tabernaculum » ponet in monte sancto tuo? » Postquam enim quispiam æterno illo tabernaculo dignatus fuerit, beatitudine fruetur in sæcula infinita.

II. « Qui incedit sine macula etc[1]. » Docet quibus modis beatum hujusmodi finem consecuturi sumus : primo quidem si immaculata via incedamus quæ est ipse Christus; deinde, si operemur justitiam : tertio, si cor nostrum veritatis domicilium paremus : quarto, si dolosa instructi lingua non simus : quinto, si malum proximo non inferamus : sexto, si opprobrio proximum superbe non afficiamus : septimo, si personam non accipiamus, octavo, si juramenti fidem non violemus : nono, si non fœneremur : decimo quod est omnis complementum boni, si muneribus pervii non simus. Qui horumce æquitatem ac meritum edidicerit, firmam atque immotam bonorum donationem nanciscetur.

PSALMUS XV.

Tituli inscriptio, Davidi[2].

ARGUMENTUM.

Quam nunc tractamus prophetia, gentium vocationem complectitur, necnon varias inobsequentiæ accusatio-

[1] Psal xiv, 2 et seq. — [2] Psal. xv, 1.

nes adversus Israëlem : itemque ipsum Resurrectionis Salvatoris omnium nostrum Jesu Christi mysterium : unde arbitror canticum istud vocatum στηλογραφίαν *sive tituli aut columnæ inscriptionem fuisse, ipso Davide Propheta illud ceu in columna inscribente, ad posteros transmittendum. Ejus porro verba quasi ex Christi persona canuntur. Namque ut ita sentiamus auctor nobis Petrus est.*

I. « Conserva me, Domine, quoniam speravi in te[1]. » Quasi assumpta humani generis persona, his Deum et Patrem alloquitur. Nec tantum pro se, sed etiam propter nos et pro nobis, utpote per œconomiam et incarnationem unus ex nobis effectus. Dominum itaque Patrem vocat, quod in forma servi fuerit. Conservari autem se postulat propter Ecclesiam quæ caro ipsius est. Caro namque ejus est Ecclesia, quam conservari postulat. Quæ conservatio ideo jure ac merito ad ejus personam referatur.

II. « Dixi Domino Deus meus es tu[2]. » Rursum hic secundum servi formam obsecrat : exhibetque una justitiam quæ in fide per confessionem præstatur. « Quoniam » bonorum meorum non eges. » Hisce verbis bona ait esse sacrificia juxta legem oblata : quæ verbum fidei eliminat. « Numquid manducabo, *inquit*, carnes taurorum, » et sanguinem hircorum potabo[3] ? »

III. « Sanctis qui sunt in terra ejus mirificavit omnes » voluntates ejus in eis[4]. » Sanctos ait eos qui sanctificati sunt in Spiritu : Christi terram, Ecclesiam dicit : illud, « mirificavit, » pro docuit, jacet : illud autem, « ejus, » id est, Patris; ut tota sententia sic intelligatur : sanctificatis in fide notam fecit Patris voluntatem : quare vocatur magni consilii Angelus.

[1] Psal. xv, 1. — [2] Ibid 2. — [3] Psal. xlix, 13. — [4] Psal. xv, 3.

IV. « Multiplicatæ sunt infirmitates eorum[1], » cum idola colerent, « Postea acceleraverunt. » Quamvis, ait, antea infirmarentur, cum in peccatis degerent, at audita prædicatione, quamprimum obtemperarunt. Nam id sibi vult illud : « Postea acceleraverunt, » videlicet quando prædicationi sunt obsecuti. « Non congregabo conventi- » cula eorum de sanguinibus. » Ubi congregabo, inquit, Synagogas ex gentibus, non per sanguinem eas congregabo, id est, non curabo ut per legalem cultum me adeant, verum potius per laudes et per incruentum sacrificium. « Nec memor ero nominum eorum per labia » mea. » Non ultra appellabuntur, inquit, idololatræ et athei, sed vocati et electi. Olim, condignam gestis suis nomenclaturam nacti sunt, idololatræ et polythei, id est, multos colentes deos, nuncupati. Jam vero non ulterius nominum eorum recordabor, sed pios, sanctos, vocatos, electos compellabo.

V. « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei, et » cætera[2]. » Ac si apertius diceret, Pater meus in sortem mihi et portionem gentes donavit, cui obediens fui usque ad mortem. Calix namque mortem significat, juxta illud : « Pater, si possibile est, transeat a me calix » iste[3]. »

VI. « Funes ceciderunt mihi in præclaris meis : et- » enim hæreditas mea præclara est mihi[4]. » Vincula caritatis ait quæ habuit erga Ecclesiam, quæ præclara est, nimirum ipsi placita.

VII. « Benedicam Dominum qui tribuit mihi intellec- » tum[5]. » Hujus dicti interpretatio jacet in Actibus Apostolorum. « Insuper et usque ad noctem increpuerunt me » renes mei. » Mos Scripturæ divinæ renes vocare oc-

[1] Psal. xv, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Matth. xxix, 39. — [4] Psal. xv, 6. — [5] Ibid. 7.

cultas et alte positas cogitationes : noctem vero, quod absconsum est.

VIII. « Providebam Dominum in conspectu meo sem- » per, quoniam a dextris est mihi ne commovear[1]. » In quantum Deus esse intelligitur, ipse est qui firmat et sustinet omnia; in quantum vero homo factus est, probe ipsi convenit dicere se a dextris Dominum habere, ne commoveatur. Nam ubique humanæ naturæ mensuris et terminis conformatur, et propter œconomiam sive incarnationem, non erubescit ea quæ ad evacuationem et humilitatem pertinent. Vide ergo quam præclara in Christo natura nostra evaserit. In conspectum certe Patris adducti oblatique fuimus qui per Adæ transgressionem ejecti sumus, et habuimus eum vindicem et patronum.

IX. « Delectatio in dextera tua usque in finem[2]. » Hoc significat, in voluptatibus et gaudiis sancti degent postquam tempore resurrectionis revixerint. Istam autem voluptatem ac lætitiam, quæ est incorruptio, nos recepturos aiunt a Christo, qui est in nobis, et dextera est Patris. Quod autem verum id sit, palam est ex hujusmodi dicto : « Qui transformabit formam humilitatis nostræ » configuratam corpori claritatis ejus[3]. »

Hæc aliter leguntur in codice Ambrosiano, ubi sic habetur :

I. *Versus* III. *Interpretatio ex eodem Ambrosiano.*

« Sanctis in terra mirificavit Deus[4]. » Sanctificatis in

[1] Psal. xv, 8. — [2] Ibid, 10. — [3] Phil. III, 21. — [4] Vers. 3.

fide notam fecit voluntatem Patris, « in eis » scilicet, qui in terra Dei, sive in Ecclesia erant; aut, aliquibus in terra sancta versantibus; aut quia sancti in cœlo conversationem habentes, in terra ejus desunt, etsi adhuc in hac terra versentur. « Voluntates » autem Dei sunt virtutes cujuscumque speciei, quas mirificat Deus in sanctis suis, qui plus, quam alii homines, in exercenda virtute facultatis habent. Non enim eadem fortitudo Apostolorum et Martyrum est, ac illa qua alii alio modo viriliter agunt, neque continentia Josephi, aliorum similis est. Atque ita quispiam mirificatus propriam sentit infirmitatem, ut divinæ virtuti et magnitudini plurimum inferior. Cum enim multiplicatæ fuerint infirmitates justorum, accedunt illi ad Deum, pœnitentia moti.

II. « Multiplicatæ sunt infirmitates eorum[1]. » Etiamsi vero multiplicentur, non perseverant : nam usque ad primum sensum et experimentum dumtaxat permanent; quia justi viribus valent in Christo confortante. Aut de Apostolis agere videtur, necnon de iis qui eorum opera crediderunt; in quibus conspicua fuerunt divina miracula, utpote qui divina omnia præcepta servaverint. « Multiplicatæ » autem « sunt infirmitates eorum » aut, ut alio modo legitur « labores » multis instantibus populis, oratoribus, Ducibus, Regibus, quibus superatis omnibus, cursum confecerunt : vel brevitas et temporaria conditio tribulationum, infinitum sæculum significat. « Non » congregabo conventicula. » Acceleraverunt ad obsequendum prædicationi : oportet a cædibus et sanguine mundos esse eos qui a Christo congregandi sunt. Conventicula, inquit, ex gentibus, non per sanguinem et cœdes congregabo; neque curabo ut legali cultu accedatur ad me, sed potius cum laudibus ac per incruentum sacrificium.

[1] Vers. 4.

II. « Dominus pars hæreditatis meæ et calicis mei[1]. » Hæreditatem vocat gentium regnum. Ecclesiæ, inquit, meæ, quæ est hæreditas mea, portio est Dominus Pater, ipseque calicis mei est pars, id est, mortis. Ecclesia vero Patrem hæreditate accepit, cum præcepta ejus servavit. Ipsaque mors mea, Patrem habuit in hæreditatem, quemadmodum dicitur : « Hæres Dei, cohæres Christi. »

IV. « A dextris est mihi[2]. » Manifeste coarguit Judæorum stupiditatem. Etenim Petrus, Apostolorum Coryphæus, in Actibus, hæc Christo attribuit. Nam quatenus Deus, ipse est qui omnia firmat et continet; quatenus autem homo, ipsi convenit a dextris Dominum astantem habere, ne commoveatur.

V. « Non derelinques animam meam[3]. » Licet ipse vita sit et vitam præbeat, per œconomiam dicitur a Patre vivificari. « Notas mihi fecisti vias vitæ. » Qui humanitatis personam habet, utpote ad similitudinem nostri factus, sermones effert nobis magis quam sibi, quatenus Deo, competentes.

PSALMUS XVI.

Oratio David.

ARGUMENTUM.

Canitur hic Psalmus ex persona hominis secundum Deum perfecti.

I, « Exaudi, Domine, justitiam meam[4]. » Magna plenus fiducia sermo : nam quod hic justitiam suam memorat,

[1] Vers. 5. — [2] Vers. 8. — [3] Vers. 9. — [4] Psal. XVI, 1.

non jactabundus, nec quo se justum esse prædicet, ita loquitur : sed quasi dicat : juste implorantem auxilium tuum, ac rogantem erui ab injuriis persequente Saüle illatis, exaudi et postulata concede.

II. « Auribus percipe orationem meam non in labiis » dolosis[1]. » Nam orationem non labiis dolosis oblatam, sed lingua pura, et meditandis eloquiis divinis assueta, auribus percipit Deus.

III. « De vultu tuo judicium meum prodeat[2]. » Perspicue precatur Unigenitum sibi judicem constitui. « Oculi tui videant æquitates. » Justum Filii judicium postulat, quo judicavit de nobis.

IV. « Probasti cor meum et visitasti nocte, igne me » examinasti, et non est inventa in me iniquitas[3]. » Iniquitatem solet divina Scriptura vocare blasphema in Deum dicta : « Iniquitatem enim, *inquit*, in excelso lo» cuti sunt[4]. »

V. « Ut non loquatur os meum opera hominum[5]. » Docet id quoque cavendum esse, ut nihil mortale, nihil humanum loquamur. « Propter verba labiorum tuorum » ego custodivi vias duras. » Ob jussa, inquit, tua, angustam et arctam portam ingressus sum.

VI. « Perfice gressus meos in semitis tuîs, etc[6]. » Docetur his verbis ne sibi quisquam fidat; sed Deo innitatur. Semitæ autem Domini sunt observationes mandatorum.

VII. Ego clamavi quoniam exaudisti me, Deus[7]. » Illud « exaudisti » pro exaudies. Ego clamavi, etc. » Non frustra clamo, sed quia plerumque exaudisti me, peto etiam nunc ut exaudias me. Clamor autem ille, est intenta in Deum cogitatio. « Inclina aurem tuam mihi. » Deus totus auris est utpote qui omnia audiat.

[1] Psal. XVI, 2. — [2] Ibid. 3.— [3] Psal. LXXII, 8. — [4] Psal. XVI, 4. — [5] Ibid. 5 — [6] Ibid. 6.— [7] Ibid. 7.

VIII. « Adipem suum concluserunt[1]. » Adipe significat inimicorum maximam prosperitatem.

IX. « Oculos suos statuerunt declinare in terram[2]. » Unus, inquit, scopus fuit illis ut ad terram demittant, et quæ carnem spectant sentire suadeant.

X. « Frameam tuam ab inimicis manuum tuarum[3]. » Quælibet justi anima et potissimum eorum qui peccatores ab impietate ad pietatem revocant, ceu framea est contra malignos spiritus exacuta. Hanc igitur frameam, Domine, quam ipse contra inimicos tuos exacuisti, eripe ab inimicis manus tuæ. Quinam autem sunt inimici manus Dei, nisi qui fidei in Unigenitum, qui manus illius est, adversantur?

XI. « Domine, a paucis de terra divide eos. » Precatur ut a paucis impii separentur, quod est ac si dividerentur.. Quinam autem sunt pauci illi, nisi de quibus dictum est : « Multi quidem sunt vocati, pauci vero » electi[4]. »

(*Daniel Barbarus :* Præparata est, inquit, illis occulta pœna quæ usque ad viscera penetrabit, juxta illud quod de Juda dictum est. « Et intravit maledictio quasi » aqua in interiora ejus, et sicut oleum in ossibus » ejus[5]. »)

XII. « Et de absconditis tuis adimpletus est venter » eorum. » Omnibus, inquit, pretiosis potiti sunt; ideoque ita recalcitrarunt, ut prævaricarentur. « Alio modo. De » absconditis tuis, » ac si diceret, quas tu pœnas occulte nosti, ego ignoro, iis imple ventres eorum, quod periphrasi dictum, pro, eos ipsos. « Saturati sunt filiis, » et dimiserunt reliquias suas parvulis suis. » Omni repleti sunt iniquitate, et eam filiis transmiserunt, atque

[1] Psal. xvi, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 14. — [4] Matth. xx, 16. — [5] Psal. cviii, 18.

ipsam reliquere parvulis filiorum suorum, scilicet usque ad abnepotes.

XIII. « Ego autem in justitia apparebo conspectui » tuo [1]. » Non ero similis illis, neque iisdem queis illi satiabor : sed tua gloria per bona opera replebor.

PSALMUS XVII.

In finem puero Domini David, quæ locutus est Domino verba cantici hujus, in die qua eripuit eum Dominus de manu omnium inimicorum ejus, et de manu Saül, et dixit [2].

ARGUMENTUM.

Continet psalmus irruptionem inimicorum, et implorationem auxilii Dei, descensum Unigeniti, et assumptionem ejus, et post assumptionem, quæ contra dæmones acta sunt, ejectionem Israëlis et gentium vocationem. Illud autem, de manu inimicorum ejus et de manu Saülis, *ad spirituales hostes et horum principem referri potest.*

I. « Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus » firmamentum meum et refugium meum [3]. » Cum Dei senserit beneficia, quod omnium donorum est maximum offert ipsi, nempe caritatem, cui primas in præceptis Salvator detulit.

II. « Laudans invocavi Dominum, et ab inimicis meis

[1] Psal. xvi, 15. — [2] Psal. xvii, 1. — [3] Ibid. 2.

» salvus ero [1]. » Hic docemur gratiam referre de bonis quibus aucti sumus : et rursum postulare quæ desunt. Deinceps autem diversas enarrat inimicorum irruptiones.

III. « Circumdederunt me dolores mortis [2]. » Non mortale hic bellum memorat, sed invisibiles potestates, intus animam ipsius circumdantes. « Et torrentes iniqui- » tatis conturbaverunt me. Dolores inferni circumdede- » runt me, præoccupaverunt me laquei mortis. » Torrentes iniquitatis sunt pravæ cogitationes : eæ enim ipsæ dolores vocantur cum diu in nobis perseverant, et iterum laquei, quia nos per actuale peccatum enecant.

IV. « Commota est et contremuit terra [3]. » Quæ in descensu Domini evenere narrat. Omnes enim incolæ terræ commoti sunt, regio omnis ejus fama repleta est. « Fundamenta montium conturbata sunt. » Montes sunt malignæ potestates, quæ insurrexerunt adversus Dei gloriam. Fundamenta autem eorum ait profundas cogitationes. « Et commota sunt quoniam iratus est eis Deus. » Quia diuturno temporis spatio terræ incolas deceperunt per superstitiosum multorum numinum cultum.

V. « Ascendit fumus in ira ejus [4]. » Iratus, inquit, eorum ignem quo olim homines concremabant, restinxit. Ignisque signum fumum ponit. « Et ignis a facie » ejus exardescet. » Hæc enim Dei Filius contra adversarias potestates occulte operatur ignem eorum extinguens igne alio potiore et ardentiore. Videntes enim dæmones Dominum, in adventu ejus comburebantur a facie ipsius. « Carbones succensi sunt ab eo. » Ii scilicet qui per participationem divino igne sunt illuminati.

[1] Psal. xvii, 3. —[2] Ibid. 5. —[3] Ibid. 8. —[4] Ibid. 9.

VI. « Inclinavit cœlos et descendit [1]. » Apertissime prophetat descensum Domini, et hoc significare videtur : « Humiliavit semetipsum usque ad mortem. Et caligo sub pedibus ejus[2]. » Occultum in œconomia seu incarnatione adventum significat, atque Dei invisibilitatem; ne illius verbis ad rerum corporalium cogitationem pertrahamur.

VII. « Ascendit super Cherubim et volavit, volavit » super pennas ventorum [3]. » Assumptionem illius hisce indicat, Cherubim et pennas ventorum nubem vocat, quæ ipsum suscepit : aut adventus Christi velocitas, aut præsentiæ et auxilii illius celeritas significatur; de qua in Actibus scriptum : « Et cum hæc dixisset videntibus » illis elevatus est, et nubes suscepit eum ab oculis » eorum [4]. »

VIII. « Et posuit tenebras latibulum suum [5], » Occultam scilicet et latentem Salvatoris cum hominibus commorationem. « In circuitu ejus tabernaculum ejus. » Tabernaculum sanctam Ecclesiam significat, in qua pollicitus est se habitaturum. « In circuitu ejus » ait, juxta illud : « Ubi duo vel tres, congregati fuerint in nomine » meo, ibi sum in medio eorum. Tenebrosa aqua in nu» bibus aëris[6]. » Hoc ait quia quæ de illo prænuntiarunt Prophetæ obscure jacent. Qui Prophetæ nubes sunt appellati.

IX. « Præ fulgore in conspectu ejus nubes transie» runt [7]. » Lumen, inquit, adventus illius, manifestas reddidit prophetias. Quia autem comminationes in propheticis verbis habentur, eas grandine et carbonibus adumbravit. Vel, hoc modo; a prædicationis splendore in conspectu ejus transeuntes Apostoli, nubium

[1] Psal. XVII, 10. — [2] Philip. II, 8. — [3] Psal. XVII, 11. — [4] Act. I, 9. — [5] Psal. XVII, 12. — [6] Matth. XVIII, 20. — [7] Psal. XVII, 13.

instar mundum irrigarunt. Grandines autem supplicii genus sunt, ad ulciscendum infideles. « Grando et car- » bones ignis. » His ea significat quæ post assumptionem ejus inimicis acciderunt, spiritualibus dico. Quemadmodum autem cum Israëlem ex Ægyptiis liberaret grandinem et ignem ceu pluviam demisit; ita et cum omnes gentes ex dæmonum servitute liberaret grandinem pluere fecit et carbones ignis. Isthæc autem fuerint ultrices virtutes : quibus intelligibiles illas Ægyptias potestates sustulit.

X. « Et apparuerunt fontes aquarum etc[1]. » Postquam sublati inimici fuerunt, apparuerunt fontes aquarum, salutare videlicet Evangelii verbum, quod vere fuit orbis fundamentum : super eo namque fundati et constructi sumus. Vel hoc modo : fontes intellige sanctos Prophetas, utpote qui salutarem sermonem scaturiant. Ita namque de illis scriptum est. « Et haurietis aquas » cum gaudio de fontibus Salvatoris[2]. » Fundamenta item orbis terræ, Moysis sapientissimi Scripturam accipias : in ea quippe prima basim fidei et divinæ cognitionis invenimus repositam, mysterium Christi in figura gestantem, et pariter in Prophetis. « Apparuerunt » igitur, quasi dicas, ostensi sunt. Aut fontes intelligas et fundamenta orbis, sanctos Apostolos : nam et ipsi salutare verbum scaturiunt, et fundamentum orbis posuerunt, fidem videlicet. Fontes item et fundamenta orbis salutarem baptismum interpretaberis.

XI. « Ab increpatione tua Domine[3]. » Subintellige, sublati sunt prædicti hostes. « Ab inspiratione Spiritus » iræ tuæ. » Non autem statim cum peccant homines eos Deus punit, nam si hoc fieret, ipsi plane interirent : nam iræ supplicia longe ante prænuntiat quam infligat.

[1] Psal. XVII, 15. — [2] Isaï. XII, 3. — [3] Psal. XVII, 17.

Ait enim, « Corripiam eos in ira tribulationis eorum[1]. » Et in hoc dicitur inspirare spiritum iræ suæ.

(*Daniel Barb.* : « Misit de cœlo et accepit me. » Vere humanum genus servavit, de cœlo nobis sancti Spiritus donum demittens. Theodotio : « De cœlo salutem mihi » tribuit. »)

XII. « Assumpsit me de aquis multis. » Aquas dicit tentationes. « De aquis multis. » Aquas vocat tentationes. Ait David « Accepit me; » Hoc est, humanam naturam : baptizata namque sunt in die Pentecostes, quasi tria millia animarum ab Apostolis.

XIII. « Eripiet me de inimicis meis fortissimis, et ab » iis qui oderunt me etc[2]. » Transit ad ea enarranda quæ peccati et pœnitentiæ causa egit. Quod autem ait sic intelligito. Jam mea exaudita confessione Dominus factus est mihi in fulcrum, cum proxime esset ut ego subverterer, et in magnum casum ruerem; si post peccatum in ultimam decidissem defectionem. Cæterum prorsus ille eripiet me, et dabit peccati veniam, tempore adventus ejus a Prophetis prænuntiato. Idque aget Dominus beneficium mihi tribuens, « Quoniam voluit me. » Nam si me noluisset nequaquam Prophetam suum ad me misisset.

XIV. « Et retribuet mihi Dominus etc[3]. » Justitiam omnem virtutem dicit; puritatem manuum in agendo, inculpatas operationes, quæ ab optimo habitu et affectu procedant. Persuasum mihi, inquit, est, eum tempore justi judicii peccatorum meorum immemorem, secundum justitiam meam mihi retributurum. Cum enim alia mea opera in justitia edita in lance comparabit et opponet peccato meo, multum ea peccato a me perpetrato

[1] Oseæ. VII, 12. — [2] Psal. XVII, 18. — [3] Ibid. 21.

præponderare inveniet. Docetur autem eum qui infirmitate quadam lapsus sit, posse per secunda bona opera in pristinum se gradum restituere.

XV. (*Dan. Barbarus :* « Cæterum qui hæc loquitur nihil sibi tribuit; quare ad Salvatorem aiunt hæc referri, qui ex ejus persona hunc psalmum dictari dicunt, « Tenta- » tum per omnia secundum similitudinem sine peccato[1].» Justitiam vero vocat in universum actricem virtutem : puritatem autem manuum, actrices facultates et actiones sordium immunes, et ab optimo habitu proficiscentes. Cæterum ab omni jactantia alienas benefactorum suorum causas Deo tribuit. Vias autem mandata intelligit. Non impie autem se gerit ab eo, quicumque veritatis dogmata et assertiones probe ac recte explicat.)

XVI. (*Dan. Barb.* : « Nec impie gessi a Deo meo[2]. » Justis enim qui prompte illi parent mercedem rependit : ille autem non se impie gerit qui vera dogmata suscipit.) « Quoniam omnia judicia, etc. » Qui lapsi sunt, oportet ut repetitis bonis operibus ad meliorem se frugem recipiant. Etsi autem investigari non queant judicia ejus, atque abysso consimilia sint, quia scilicet incomprehensibilia sunt; verumtamen omnia religioso viro præsentia sunt.

XVII. (*Dan. Barb.*: « Quoniam omnia judicia ejus in » conspectu meo[3]. » Qui secundum Deum homo est, divinum timorem ante oculos continenter habens, cum fiducia et libertate coram Deo agit. Judicia Dei si inquirantur, inscrutabilia sunt et abyssus multa, quoniam propter obscuritatem comprehendi nequeunt. Fieri tamen haud potest, ut qui judicia Dei præ oculis habet, ægre ferat Dei providentiam, et judicio Dei cuncta dis-

[1] Hebr. IV, 15. — [2] Psal. XVII, 22. — [3] Ibid. 23.

poni : nam vel ex ipso judicii nomine justum esse judicium cognoscitur : jus enim dat. Vel justitiam dicit, cum omnia judicia quæ citra justitiam fiant, eo additamento nominentur, ut non judicia, sed judicia perversa dicantur. Propterea dictum est, « Egrediatur judicium » perversum. Et justitias ejus non repuli a me [1]. » Adhæreo, inquit, justitiis Dei. Ab illis enim recedunt, qui eas non amplectuntur. Justitiæ vero hoc loco dicuntur, quæ justitiæ causa et æquitatis lege sancita sunt, ut illud : « Si emas servum Hebræum » et reliqua : nam prius dixerat : « Hæc sunt judicia quæ propones eis[2]. » Verum cum justitias una cum judiciis nominet, purgatos ac probatos Dei sermones hæ justitiæ significare possunt. Qui sermones cum judicantur, nec argui nec perverti possint, judicia nuncupantur. Justorum quoque cogitationes ponderatæ et probatæ diligenter, cum similes æquilibrio sint, judicia merito dici possunt.)

XVIII. (*Dan. Barb.*: « Et justificationes ejus non recesserunt a me. » Mandata intelligit per justificationes, et decedunt ab illis qui ea non admittunt.)

XIX. « Cum sancto sanctus eris[3]. » Merito tuis me beneficiis dignatus es : nam sanctus cum sis, nosti cum sancto, sanctificari. Si enim in peccato perseverassem, et in ruinam funditus lapsus essem, novi te quoque magnum judicem, de peccato meo æquum judicium pronuntiaturum fuisse. At quando custodivi vias tuas, ideo tu qui cum sancto sanctus es et cum innocente innocens, nequaquam rem disposuisti secundum illum perniciosum statum in quo certo tempore versatus sum, sed secundum vitam quæ exinde subsecuta est, et vitam in justitia actam, promeritam mihi retributionem in tribunali illo tuo largieris.

[1] Habac. I, 4. — [2] Exod. XXI, 2. — [3] Psal. XVII, 26.

XX. « Quoniam tu populum humilem salvum fa-
» cies[1]. » Ad chorum mittit Apostolorum. « Et oculos super-
» borum humiliabis. » Hoc tendit in scribas et Pharisæos.

XXI. « Quoniam tu illuminabis lucernam meam Do-
» mine[2]. » Mentem ait, « Deus meus illuminabis tene-
» bras meas, » Ignorantiam, inquit, meam dissipabis.

XXII. « Quoniam in te eripiar a tentatione, et in Deo
» meo transgrediar murum[3]. » Quia comprehenderunt me, inquit, inimici mei, ut me circumsisterent. Tentationem etiam vocat voluptatem, et murum, Diabolum.

XXIII. « Deus meus impolluta via ejus etc[4]. » Hæc dicens, ingratitudinem, perfidiam, immorigerum animum, et duritiem cordis ingratorum et sceleratorum Judæorum carpit. Quoniam Salvatorem nostrum Christum reprehenderunt, quasi contra divinam legem ageret. Dicta namque illius, quasi blasphema conviciis et calumniis impetebant, mutuo dicentes : « Hic blasphemat :
» Quis enim potest dimittere peccata[5]? » Ex prava scilicet conscientia, et mala cogitatione hæc contra Dominum ac Deum universorum in mente versabant, et cogitabant. « Eloquia ejus igne examinata. » Et eloquia ejus ad rem istam, de qua agimur, pertinentia, quasi argentum igne purgatum, nulli reprehensioni obnoxia, probata et examinata.

XXIV. « Quoniam quis Deus præter Dominum ? aut quis
» Deus præter Deum nostrum[6]? » Nam Dei Verbum solus Deus verus est, propptereaque unigenitus, quia solus Deus est sicuti Pater. Postquam autem de Christo, ut natura Deo, locutus est, nunc ait : « Aut quis Deus? » Solum aiens Deum Patrem secundum seipsum. Nobis autem unus Deus est Pater : non enim est alius Deus, ut iste quidem illi,

[1] Psal. XVII, 28. — [2] Ibid. 29. — [3] Ibid. 30. — [4] Ibid. 31. — [5] Marc. II, 7. — [6] Psal. XVII, 32.

alius illi vota concedat. Fortassis comparative duos versus protulit : sic, inquit, est verus Deus, uti confidebam, vincendo fortitudinem induit, et securam mihi ad recte agendum viam munivit.

XXV. « Deus qui præcinxit me virtute[1]. » Simili huic est dictum illud : « Donec induamini virtute ex alto. » Et posuit immaculatam viam meam[2]. » Id est, per evangelica præcepta immaculatam viam currendam mihi munivit.

XXVI. « Et super excelsa statuens me[3]. » Id est, docet me superna sentire. « Qui perfecit pedes meos. » Sancti quippe venenosas passiones absumunt; accepta scilicet virtute contra intelligibiles serpentes, quare cervis comparantur, nam illi quoque serpentes, qui sub sensum cadunt, absumunt, « tanquam cervi : » siquidem potestatem acceperant calcandi super serpentes et scorpiones, et omnem virtutem inimici.

XXVII. « Qui docet manus meas ad prælium[4]. » Id est, qui docet quo pacto ad pugnam instructum esse opus sit, et brachia velut arcum constituit, et quasi ænea quoad robur efficit. Vel significat : Facultates animi viriles quasi arcum æneum adornavit. Æs symbolum est virtutis agendi : « Æs tuum corrupit » ait Ezechiel ad Jerusalem. « Qui docet manus meas ad prælium. » Eas enim ad orandum extendens adversariis superior evado. « Et po» suisti arcum æreum brachia mea. » Virtutes illas animæ robustas, ceu arcum æreum adornasti. Per æs autem robur et impenetrabilitatem significat : per arcum vero, indicat per brachia nostra symbolice emitti tela.

(*Daniel Barb.* : « Brachia mea. » Manus et brachia sunt virtutes, quæ intellectuales hostes jaculantur et expugnant. Maxima vero manus est eleemosyna, quæ pau-

[1] Psal. xvii, 33. — [2] Luc. xxiv, 49. — [3] Psal. xvii, 34. — [4] Ibid. 35.

perum amatores omni materia fortiores reddit: nunquam enim infirmantur brachia miserentis.)

XXVIII. « Et dedisti mihi protectionem salutis [1]. » Protexisti me, inquit, per salutare tuum. Hoc autem significat œconomiæ adventum, sive incarnationem.

(*Daniel Barbarus :* Hoc autem est adventus providentiæ, ac dispensationis, quo me collapsum erexisti, et quam magnum malum sit peccatum ostendisti, et salute dignum fecisti. Salutare autem et salus Christus est, quem pro nobis pugnaturum Pater amandavit.) « Et dextera » tua suscepit me. » Dextera Patris Filius. « Et disciplina » tua correxit me in finem. » Evangelica scilicet doctrina. « Et disciplina tua ipsa me docebit. » Illud : « Et » disciplina tua ipsa me docebit.» Theodotionis est. Cujus loco Septuaginta habent : « Et disciplina tua correxit » me in finem. Disciplinam evangelicam dicit; aut disci- » plinam, institutionem scilicet quæ ex lege accipitur : » qui mihi, inquit, nulla non beneficia contulisti, de- » disti quoque leges, quibus, ut oportet, instituimur. » Cum enim, ait, lege edidicerim, non oportere injuriam » facere, ab ea abstinui. Verum ne ob æquitatem hujus- » modi, quid mihi mali eveniat, idoneum mihi auxi- » lium afferas, *latitudinem* tribuens, vel disciplinam » institutionis causa datam dicit, secundum illud accipe » disciplinam : » vel, laboriosum vivendi institutum, secundum illud : « Ne parvipendas » disciplinam Do- » mini. »

XXIX. « Dilatasti gressus meos [2]. » Remotis, inquit, offendiculis et laqueis, quæ mihi struxerant inimici, liberam mihi viam parasti. Gressus autem vocat, quatenus a malitia ad virtutem quis pertransit, quod quidem sub initium laboriosum et asperum iis est, qui in via angusta gradiuntur,

[1] Psal. XVII, 36. — [2] Ibid. 37.

at in profectis dilatatur. Nam quia post virtutis labores, quietem nacturus sum, id sane vestigia confirmat mea. Statuit namque super petram pedes nostros, quæ est fides nostra.

XXX. « Persequar inimicos meos [1]. » Tanquam divina gratia ad cursum adornatus, de victoria confidit.

XXXI. « Confringam illos, nec poterunt stare [2]. » Frangit inimicos animus passionibus vacuus.

XXXII. « Et præcinxisti me virtute [3]. » Summam victoriæ rursum, fortitudinem tribuenti Deo ascribit.

XXXIII. « Et inimicos meos dedisti mihi dorsum [4]. » Id est, in fugam vertisti. Proprium namque fugientium est terga dare : et sane terga dant inimici nostri dæmones, cum non ulterius cogitationes turbulentas animæ immittere valent. « Et odientes me disperdidisti. » Saülem, Achitophelem, Abessalonem et sexcentos alios.

XXXIV. « Clamaverunt nec erat qui salvos faceret » etc [5]. » Hæc de inimicis sensibilibus ait, quasi ex persona Domini. Neque enim alienigenæ, deos suos in subsidium vocantes, eorum providentia et cura adjuti sunt : neque Saül, Abessalon, Semeï et reliqui Israëlitarum hostes, Deum opitulatorem habuerunt.

XXXV. « Et comminuam eos ut pulverem [6]. » Vacui, inquit, erunt; tua mihi gratia fortiter auxiliante.

XXXVI. « Eripe me de contradictionibus populi [7]. » Domino scilicet adhuc faciem avertente ob Judæorum inobsequentiam, postulante autem gentes in hæreditatem suam. « Constitues me in caput gentium. » [Et tamen nescimus Davidem Gentibus imperasse.] Per eum itaque qui ex Davide secundum carnem ortus est impletur prophetia. Nam qui ex Davide secundum carnem natus est,

[1] Psal. XVII, 38. — [2] Ibid. 39. — [3] Ibid. 40. — [4] Ibid 41. — [5] Ibid. 42. — [6] Ibid. 43. — [7] Ibid. 44.

et ipse David vocatus juxta divinum Ezechielem, nempe Dominus Christus, omnibus gentibus imperavit. Et quidem ut Deus omnibus semper imperat : postquam autem homo factus est, voluntariam credentium in ipsum servitutem subiit.

XXXVII. « Populus quem non cognovi servivit mihi[1]. » Ipsius Christi, qui repulsis Judæis ut inobsequentibus, postulat gentes in hæreditatem. Non est hæc ignorantiæ nota : cuncta enim novit utpote Deus. Sed quoniam, ait, qui per diversa tempora nulla mihi necessitudine juncti erant, alieni et extranei jure dicantur, atque a mea familiaritate longe remoti.

XXXVIII. « Filii alieni mentiti sunt mihi[2]. » Israël qui primogenitus vocabatur, alienus filius ob incredulitatem dictus est. « Filii alieni inveterati sunt. » Omne inveteratum, proximum interitui est.

XXXIX. « Vivit Dominus, et benedictus Deus meus[3]. » Opportune illud, « Vivit Dominus, » vociferatus est. Quia commemoravit contradictionem populi, qua clamabant : « Tolle, tolle, Crucifige eum. Et exaltetur » Deus salutis meæ[4]. » Etiamsi, « humiliavit semetip- » sum, » inquit, « forma servi accepta, » excelsus nihilominus est. Simile autem huic dictum est : « Deus exaltavit il- » lum, et dedit illi nomen quod est super omne nomen[5]. »

XL. « Deus qui das vindictas mihi[6]. » Videlicet adversus infidelem populum Judæorum. « Et subdis po- » pulos sub me. » Gentes, inquit, Christo subditæ fuerunt. « Liberator meus de inimicis meis iracundis. » A populo infideli. Inimici iracundi, sunt Judaïcus populus, qui quasi Samaritano illi maledicebant. Vir autem iniquus est Judas, aut Pilatus qui sine causa ipsum supplicio

[1] Psal. XVII, 45. — [2] Ibid. 46, — [3] Ibid. 47. — [4] Joan. 19, 15. — [5] Philip. II, 8. — [6] Psal. XVII, 48.

affecit. Propterea, aut propter tua erga me beneficia, gratias agam tibi in omnibus nationibus, sive Judæis sive gentibus, et hymnis celebrabo nomen tuum.

XLI. « Propterea confitebor tibi in nationibus, Domine[1]. » Cum tu Domine, ait Propheta, hæc et illa mihi præstiteris, quando tu ipse Dominus gentes vocaveris, per eas confitebor ego tibi, canentibus illis hymnos quos edidi. Non modo autem hoc erit, sed etiam magnificabo salutes Regis eorum, scilicet gentium. Quam salutem operatus est in medio terræ. *Magnificabo*, id est, perspicue omnibus acclamabo. Nam eam, inquit, salutem operatus est, cum misericordia in sibi unctum populum est usus; siquidem in regale sacerdotium uncti sumus. Ubi autem eam populo quam mihi Davidi misericordiam feceris, idipsum quoque ad semen meum pervenire concedes. Semen quippe David est etiam gentium populus, quippe qui filius ejus effectus sit qui ex semine David secundum carnem natus est.

PSALMUS XVIII.

In finem David.

ARGUMENTUM.

Initialem complectitur doctrinam hic psalmus ex persona Apostolorum ad gentes. Quamobrem cælum et solem et reliqua elementa, quos magnos illæ deos esse arbitrabantur, opificem laudare suum dicuntur.

I. « Coeli enarrant gloriam Dei[2]. » Simile est hoc illi : « Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea

[1] Psal. xvii, 49. — [2] Psal. xviii, 2.

» quæ facta sunt intellecta conspiciuntur : sempiterna » quoque ejus virtus et divinitas[1]. »

II. « Dies diei eructat verbum, et nox etc[2]. » Dies, inquit, et nox, mutuo sibi spatium concinno et congruenti ordine ad cursum concedentes, ipsis rebus creatorem suum prædicant.

III. « Non sunt loquelæ neque sermones etc.[3]. » Cum interpunctione legendum. Nam ex adverso interrogans clausulam distinguit, quod autem per interrogationem opponitur est illud : et nihil ne loquuntur? Quam propter dicit : Annon aliquæ res sunt, quæ licet nullam emittant vocem, artificem denuntiant? Enimvero ex pulchre adornata navi, fabri peritia dignoscitur : et similiter de reliquis. Prædicta itaque opificia a magnitudine, pulchritudine, concinnitate opificem prædicant : ita ut eorum prædicatio omnem pervadat orbem.

IV. « In sole posuit tabernaculum suum etc[4]. » In sole posuit, inquit, tabernaculum sive domum. Ubinam autem posuit nisi in cœlo et in firmamento supra memoratis? Hanc porro domum, lectum item vocavit. Ut autem dies et nox pulchro illo ordine et consensu prædicant opificem; ita et sol quod quadam concinnitate cursum conficiat, jubentis potentiam declarat.

V. « Lex Domini immaculata convertens animas[5]. » Evangelica scilicet. Ethnici utpote qui jam ex prædictis elementis edidicerint unum opificem esse, docentur demum evangelicam legem; ita ut omnium gentium animæ ad veritatem convertantur. « Testimonium Domini fidele » sapientiam præstans parvulis. » Testimonium scilicet quod de se ipse Salvator reddidit : Et, « Ego lux in mun» dum veni. Et, Ego ex Patre exivi et venio, et, Ego

[1] Rom. I, 20. — [2] Psal. XVIII, 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 8.

» sum vita[1], » Quæ infantibus sapientiam tribuo, Apostolos confirmo, aut per infantes intelligit eos qui in Christo infantes evadunt, aut insanos, hominesque sapientiæ expertes.

(*Daniel Barbarus :* « Testimonium hoc imperfectos » parvulos et rudes instruit et sapientes reddit. »)

VI. « Justificationes Domini rectæ lætificantes corda[2]. » Id est, justificatio in judicio nostro facta. Nam cum de causa judicaret nostra, ejecit principem sæculi, tribuens nobis lætitiam in corde. « Præceptum Domini lucidum » illuminans oculos ; » mentis nimirum oculos, eminus radios immittens.

(*Daniel Barbarus :* « Mentis nimirum, docens quo- » modo universorum Deo serviatur. »)

VII. « Timor Domini castus permanens in sæculum » sæculi[3]. » Quasi ad differentiam legalis timoris castus dicitur : ille enim pœnam spectabat. Castitas autem est abstinentia a peccatis. Quare castus timor dicitur, quod castos efficiat : nam præ timore Domini declinat quis a malo. Æternus autem cum sit timor, æternos item efficit quod ingreditur. « Etenim servus tuus custodit ea. » Qui evangelica lege imbutus est populus novus, qui judicia vera se custodire dicit, preces fundit, ut et animi cogitationibus purus deprehendatur, ab externisque similiter dæmonibus liberetur.

VIII. « In custodiendis illis retributio multa[4]. » Merces quippe observantiæ sunt quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt.

(*Adjicit Daniel Barbarus :* Non est igitur sine lucro illorum observantia, etenim multas et pulchras retributiones habet. Hactenus autem de pietate disseruit. Hinc percurrit quæ ad justitiæ administrationem in ho-

[1] Joan. XII, 46 — XVI, 26. — [2] Psal. XVIII, 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 12.

mines, et juris actionem spectant, deque humanis delictis agit : peccata dividit in ea quæ consulto, et in ea quæ non sponte fiunt, et ex his alia ex imbecillitate, alia ex necessitate, alia ex errore fiunt.)

PSALMUS XIX.

In finem David.

ARGUMENTUM.

Dicitur hic psalmus tanquam ex persona familiarium ipsius Davidis. Qui ipsi Davidi sacrificium offerenti bene precantur. Refertur quoque ad personam Apostolorum, quasi ea ipsa die pronuntiatus qua cruci Dominus fixus est.

I. « Exaudiat te Dominus in die tribulationis[1] : » adsit tibi : « protegat te, » id est, custodiat te.

II. « Mittat tibi auxilium de sancto, et de Sion tuea» tur te[2]. » Hæc ad consolationem animo deficientis fortasse dixerit Verbum quod in anima existit aut Spiritus sanctus. Precatione autem opus ei qui angitur, nec amittenda spes, sic namque Deus efficitur propitius.

III. « Lætabimur in salutari tuo[3]. » Salutare Patris in mundo Filius : salutare Filii in mundo crux.

(*Dan. Barbarus :* Quod humano generi dedisti, per tuam resurrectionem omnibus manifestum fecisti.)

IV. « Impleat Dominus omnes petitiones tuas[4]. » Quæ

[1] Psal. xix, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7.

erant petitiones; nisi, « Pater sancte serva eos de mun» do[1]? » palam autem est de credentibus in eum dici. Aut Davidem aut Ezechiam dicit, tempore scilicet sacerdotum et Regum, aut propter œconomiam Domini secundum carnem, et propter resurrectionem; aut quia nobis salutem consecutis, ipse salutem obtinere dicitur, qui et curam hujusce habebit, cum unum corpus simus. Quamobrem nunc dicit : In præsenti quippe cognoscimus Christum salutem nactum, quia inde nos nostræ pignus salutis accipimus. Salvos autem fecisti nos per virtutem dexteræ tuæ. Dexteram dixit opera, virtutes magnas, auxilium : aut divina signa prædicit a Christo edenda. « Nunc cognovi quoniam salvum fecit Dominus Christum » suum, » utpote jam illuminatus per Spiritum sanctum circa ea quæ resurrectionem spectant.

V. « In potentatibus salutis dexteræ ejus. » Salutem, inquit, nobis tribuit magnas virtutes operatus. Opera namque hîc significat eo quod virtutes dexteræ accedentibus porrigat. Dexteram hic quoque humano more loquendo vocat divinam operationem.

VI. « Hi in curribus et hi in equis[2]. » Illi, inquit, his confisi ceciderunt; nos autem in nomine Domini armis instructi, salutem nacti sumus. Quemadmodum, cum Israëlem eriperet a sensibilibus Ægyptiis currus Pharaonis et virtutem ejus projecit in mare : ita cum totum hominum genus liberaret a spiritualibus Ægyptiis, currus contrivit.

VII. « Domine salvum fac Regem[3]. » Proinde tantum nacti patrocinium, supplicamus tibi, Domine, ut cum nos, tum Rex noster eo fruamur assidue.

[1] Joan. XVII, 11. — [2] Psal. XIX, 8. — [3] Ibid. 10.

PSALMUS XX.

In finem Davidi.

ARGUMENTUM.

Hunc quoque psalmum prius memorati amici Regis offerunt : tanquam lætante illo quod ex semine ipsius exortum mundo sit salutare. Hoc erat enim quod ex animo peroptabat, darique sibi maxime supplicabat. Quod ubi concessum fuisset, factum ipsi est ceu corona quædam ex pretioso lapide confecta, qua caput exornaret suum. David enim apud omnes gentes cum Domino suo atque filio secundum carnem, laudibus celebratur. Neque corona tantum fuit illi hoc salutare; imo etiam vita, et diuturnitas incolumitatis, gloria, magnificentia, lætitia, gaudium, spes et misericordia nunquam nutans.

I. « Domine in virtute tua lætabitur Rex [1]. »

II. « Quoniam dabis eum in benedictionem in sæculum » sæculi [2]. » In omnibus, inquit, generationibus celebris et præclarus erit, quod tantam a te fiduciam acceperit. Nam illud, « cum vultu tuo, » vertit Symmachus, « apud » vultum tuum. » Lætitia itaque, ait, et voluptate afficietur vultus tui, id est, tuam nactus benevolentiam. Horum vero in causa fuit ipsi quod tibi confiderit. « Lætificabis eum in gaudio cum vultu tuo. » Vultus Patris

[1] Psal. xx, 2. —[2] Ibid. 7.

est Filius : « Qui vidit me, *ait*, vidit et Patrem meum[1]. » Cum illo futurum ut in cœlo lætemur, velut sponsi deductores cum ipso sponso.

III. « Quoniam Rex sperat in Domino, et in misericor- » dia etc[2]. » Superior scilicet est hostibus, tuam nactus gratiam. Ea autem fruitur nulli hominum confidens, sed in te solum spem collocans.

IV. « Inveniatur manus tua omnibus inimicis tuis[3]. » Hæc ad ipsum Dominum pertinere videntur, ob mala a Judaïco populo illata ipsi. Ait autem se quasi venatu capturum peccatores. Si namque in eo, qui mandata servat, caritas Dei perficitur; palam est eum qui non servat, Deum odio habere : qui dicitur in perniciem ire.

V. « Pones eos ut clibanum ignis in tempore vultus » tui[4]. » Ac si diceret : ignis consortes efficies. Id enim illi ceu thesaurum reposuerunt in secundo adventu tuo, quando reddes unicuique juxta opera sua. « Dominus in » ira sua conturbabit eos, et devorabit eos ignis. » Iram vocat supplicium quo sunt, contumeliæ ipsi oblatæ causa, mulctandi.

VI. « Fructum eorum de terra perdes[5]. » Mala scilicet verba et malas cogitationes. Hæ sunt insidiæ ab illis paratæ quæ per resurrectionem tolluntur : doctrinas et impia dogmata, quæ post ipsorum mortem Deus, utpote bonus, destruit. « Et semen eorum a filiis hominum. » Beneficium habendum est a peccatis excidere et a pravis cogitationibus. Nam semen peccati mala cogitatio.

VII. « Quoniam pones eos dorsum[6]. » Symmachus autem sic interpretatus est : « Quoniam pones eos aversos, » id est retrorsum et appendicem gentium. Incredulos Judæos efficies. Quos autem Deus aversatur eos, *ponit*

[1] Joan. XIV, 2. — [2] Psal. XX, 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 10. — [5] Ibid. 11. — [6] Ibid. 13.

dorsum, quia non possunt esse vultus; ut posteriora (Dei) considerantes, per ejus opificia ad ipsum reducantur. Siquidem infirmis, qui quod cor purum non habeant, non possunt vultum ejus videre, posteriora sua consideranda offert, scilicet opificia quæ post ipsum sunt; ut conspectis rebus creatis; in cognitionem illius deveniant, et Deo suo sese applicantes, ejus vultum videant. Reliquiæ autem Dei sunt illa, quæ rebus conditis sensum moventibus superiora sunt. « In reliquiis tuis præparabis » vultum eorum. » Reliquisti, ait, illis conversionis tempus ad pœnitentiam. Hæc autem est vocatio et conversio post plenitudinem gentium.

VIII. « Exaltare Domine in virtute tua. » Simile illi: « Adveniat regnum tuum [1]. » Hisce autem secundum ejus adventum rogat accelerari. « Cantabimus et psallemus vir- » tutes tuas. » Tunc enim omnes justorum animæ, in supernis mansionibus constitutæ, spiritualem cultum obeunt.

PSALMUS XXI.

In finem pro susceptione matutina psalmus David [2].

ARGUMENTUM.

Canitur hic psalmus pro susceptione matutina, id est, quia nocte et caligine diabolica nos liberavit emicans unigenitum Dei Verbum, oriens ex alto, ut scriptum est. Aut susceptionem matutinam appellat resurrec-

1 Psalm. xx, 14. — 2 Ibid. xxi, 1.

tionis Salvatoris tempus. Resurrexit enim primo diluculo, et viam humanæ naturæ munivit ad incorruptionem. Canit vero psalmum Christus ex persona humanitatis. Aperte autem ea narrat quæ crucis tempore a Judæis illata ipsi sunt.

I. « Deus, Deus meus respice in me: quare me dereli-» quisti[1] ? » « Deus, Deus meus. » Hæc Salvator loquitur ex persona humanitatis, quasi dicat, mi Deus, mi Deus, *in vocativo* scilicet. Postulat inspectionem Patris, nostra in sese transferens; nos ipsi derelicti prius, nunc autem assumpti ac salute donati sumus. Hæc dicit ut abrogaret, maledictionem, et ad nos vultum Patris adduceret. Nos enim ob Adæ prævaricationem in aversionem et derelictionem facti sumus. « Longe a salute mea verba » delictorum meorum. » Mihi, quæso, animadverte humanitatis in Christo personam, postulantem liberari a lapsibus seu a delictis, et a sermonibus ea spectantibus. Palam est autem peti justitiam cuique homini congruentem.

II. « Deus meus clamabo per diem et non exaudies, et » nocte et non ad insipientiam mihi[2]. » Cum interpunctione legendum : significat autem nobis non inutilem esse orationis fructum. Ait enim : « Non ad insipientiam » mihi. » Id est, perspicue novi, futurum esse ut clamem ego, ipse exaudiat. Quia cum in sanctis habites qui mentem in te positam habent, laus et gloria ipsis es.

III. « Tu autem in sancto habitas, laus Israël[3]. » Qui laudaris ab Israële aut ipse laus es.

IV. « In te speraverunt Patres nostri, speraverunt et » liberasti eos[4]. » Patres suos secundum carnem dicit, Patriarchas scilicet et Prophetas. Exhibet autem spei lu-

[1] Psal. XXI, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5.

crum. « In te speraverunt Patres nostri. » Quin etiam, qui ante me secundum carnem fuerunt, scilicet Prophetæ, in te confidebant meam expectantes illustrationem, neque spe lapsi sunt, similiterque Patriarchæ.

V. « Ego autem sum vermis et non homo[1]. » Docet esse humiles oportere, maximeque accedentes ad Deum. « Opprobrium hominum et abjectio plebis. » Hæc Evangelista in tempore crucis factum ipsi enarrat, cum qui præteribant, capita moverent et blasphema hujusmodi verba proferrent in eum : « Si Filius Dei es, salvum fac » temetipsum[2]. »

VI. « Quoniam tu es qui extraxisti me de ventre[3]. » Hoc ait, quia secundum Patris beneplacitum factus est homo. « Ubi » namque, ait, « venit plenitudo temporis » misit Deus Filium suum natum ex muliere[4]. » Scriptum quippe est ipsum in Patre spem habuisse, atque id ait quatenus homo; quia solum Christum ex Maria Deus extraxit, cæteris hominibus non extractis sed egressis : « Exiit quippe, ait, Esaü, cui pellis pilosa[5]. »

VII. « In te projectus sum ex utero, de ventre etc[6]. » Precatur rursum ceu ex persona humanitatis. Nam chorus discipulorum ipsum deseruerat. Exinde prædicit futuræ calamitatis species.

VIII. « Circumdederunt me vituli multi[7]. » Judæorum principes ait.

IX. « Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia » ossa mea[8]. » Dissipata, inquit, et dispersa sunt, quæ apud magistrum, ossium munus et ordinem implebant : relicto namque eo Discipuli fugerunt instar aquæ, quæ in planitie effunditur. Ossa ejus vocat sanctos mysteriorum ejus initiatores. Si namque corpus ejus Ecclesia est,

[1] Psal. xxi, 7. — [2] Marc. xv, 30. — [3] Psal. xxi, 10. — [4] Galat. iv, 4. — [5] Gen. xxv, 25. — [6] Psal. xxi, 11. — [7] Ibid. 13. — [8] Ibid. 15.

jure qui administrant illam ossa appellentur. Audivimus autem Evangelistam narrantem, quod ubi a cohorte militum captus fuisset, dispersi fuerint discipuli. Alio modo : Sapientiæ ossa sunt sacra Ecclesiæ dogmata, quæ in Paschate non comminuere Judæis lege cautum est. Ait enim. « Os non comminuetis ex eo. Factum est cor meum tanquam cera liquescens [1]. » Proprium doloris est quod dicitur : scriptum enim est. « Cœpit pavere et tædere [2]. » Indoluit autem Christus de Judæorum et proditoris pernicie, ob ipsorum in Christum impietatem illata.

X. « Aruit tanquam testa virtus mea, et lingua mea adhæsit faucibus meis [3]. » His sitim significat qua in cruce laboravit, cum roganti potum, acetum cum felle obtulerunt, quamobrem dicit, « et lingua mea adhæsit faucibus » meis. Et in pulverem mortis deduxisti me. » Nam Dei gratia pro universo mundo gustavit mortem. Non enim in mortem, sed in pulverem mortis deductus est Christus : nequaquam enim derelicta est anima ejus in inferno, neque caro ejus vidit corruptionem.

XI. « Quoniam circumdederunt me canes multi [4]. » Rursum principes significat. « Foderunt manus meas et » pedes meos. » De crucifixi clavis ita loquitur.

XII. « Dinumeraverunt omnia ossa mea [5]. » Attrectantes scilicet totum corpus ipsius, et emetientes ossa singula ut explorarent ubi figerent clavos. « Ipsi vero » consideraverunt et inspexerunt me. » Id est, irriserunt. Id autem ait ob chlamydem coccineam, spineam coronam, et calamum pro sceptro datum.

XIII. « Diviserunt sibi vestimenta mea [6]. » Isthæc in Evangeliis perspicue explicata sunt.

[1] Exod. XII, 46. — [2] Marc. XIV, 33. — [3] Psal. XXI, 16. — [4] Ibid. 17. — [5] Ibid. 18. — [6] Ibid. 19.

XIV. « Tu autem, Domine, ne elongaveris auxilium » tuum a me[1]. » Jam in preces sermonem commutat. Te, inquit, opitulante et patrocinante, cum post triduum resurrexero, vanas illorum insidias ostendam. Exemplumque nobis est, quo pacto oporteat in tentationibus Deum invocare, nec in angorem et consilii inopiam decidere, neque frangi calamitatibus.

XV. « Erue a framea, Deus, animam meam[2]. » His malitiam et insaniam Judæorum significat, per frameam scilicet, manum canis, os leonis, cornua unicornium. Framea vero fuerit Diabolus, qui pungere et confodere semper conatur. « Unicam » autem vocat animam suam, quia sola relicta fuit, et ab aliis animabus segregata : universæ quippe peccatum noverunt, illa vero minime : et quia semper sola cum carne conjuncta cum Deo Verbo est secundum hypostasin. Unus namque Christus est ex duobus adversis constans, perfectus Deus, perfectus homo. Illas autem animas quæ multo intervallo distabant, adiit. Forte etiam Ecclesiam sibi astantem vocat *unicam*, quod maculam nullam, nullas sordes habeat, atque ex profectu in melius repleta sit inculpatis illis reginis, et octoginta concubinis. « Et de manu canis unicam meam. » Manum ea vocat quæ per hunc canem gesta sunt : ipsum autem canem appellat. « Non » enim inquit, « bonum » est accipere panem filiorum, et projicere catellis[3]. »

XVI. « Salva me ex ore leonis, et a cornibus unicor- » nium humilitatem meam. Narrabo nomen tuum fra- » tribus meis, in medio Ecclesiæ laudabo te[4]. » Docuit enim nos eum qui natura et vere Deus est, et consubstantialem ipsi Patrem. Rursus ut homo conjunctus est per Ecclesiam.

XVII. « Qui timetis Dominum laudate eum, univer-

[1] Psal. xxi, 20. — [2] Ibid. 21. — [3] Matt. xv, 26. — [4] Psal. xxi, 22.

» sum semen Jacob glorificate eum[1]. » Quandoquidem Ecclesia ex gentibus juxta atque ex Judæis constat, hos atque illos ad hymnum concinendum excitat. Hos quidem a proavo suo Jacob atque Israël vocans; illos virtutis nomine compellat, quæ quidem valet generis loco homines exornare. Ita Judæos eos qui ex gentibus ad legem accederent mos erat appellare. Idque nos edocet Actuum historia. Cum oraret enim B. Paulus sic ait : « Viri » Israëlitæ et qui inter vos timetis Dominum[2]. »

XVIII. « Quoniam non sprevit etc[3]. » Quæ nostri gratia Unigenitus opera edidit perspicue docet.

XIX. « Apud te laus mea etc[4]. » Laudem vocat glorificationem; videmus autem illam a Patre editam cum vox desuper audita est : « Et glorificavi et iterum glorifi» cabo. » Aut quia sicut ego te hominibus manifestum feci, eodem prorsus modo tu mihi parem honorem conciliabis; modo dicens : « Hic est Filius meus : » modo id ipsum Petro revelans atque cæteris. « Vota mea reddam » etc[5]. » Precatio in divina Scriptura votum seu promissio vocatur. Itaque obsequentiæ Filii erga Patrem usque ad mortem præstitæ consummatio est, quæ tunc facta intelligitur, cum Patri precationem obtulit.

(*Daniel Barbarus:* « Vota mea. » Precatio vel votum, promissio est alicujus eorum quæ religioni sacrantur. Deprecatio vero est supplex bonorum petitio a Deo. Docet autem sermo ne prius a Deo quidquam petamus, quam donum pro accipienda gratia offeramus. Precari hoc est vovere prius oportet, quam deprecari. Quemadmodum satio fructuum collectionem præcedit. Oportet enim prius jacere promissionis semina, et sic inde fructus ferre.)

[1] Psal. XXI, 24. — [2] Act. XIII, 16. — [3] Psal. XXI, 25. — [4] Ibid. 26. — [5] Joan. XII, 28.

XX. « Edent pauperes et saturabuntur[1]. » Hisce gentium vocatio præsignificatur.

XXI. « Et adorabunt in conspectu ejus universæ fami-» liæ gentium[2]. » Regnare dicitur in terra etsi quatenus est Deus rex est universorum, quia scilicet convertit gentes ex errore dæmonum ad fidem suam, et ad gratitudinem et justitiam.

XXII. « Quoniam Domini est regnum et ipse domina-» bitur gentium[3]. » Deus non Judæorum solum est Deus, ut arbitrantur ipsi, sed totius humanæ opifex naturæ. Id Apostolus quoque ait : « An Judæorum Deus solum? » Nonne et gentium? Immo et gentium. Quoniam unus » est Deus qui justificabit circumcisionem ex fide, et » præputium per fidem[4]. »

XXIII. « Manducaverunt et adoraverunt omnes pin-» gues terræ[5]. » Spiritualem videlicet cibum. Pingues autem vocat, ob divinorum eloquiorum succum. « In » conspectu ejus cadent omnes qui descendunt in ter-» ram. » Hoc ait quia fideles genua ipsi flectere solent : hujusmodi autem olim fideles erant. « Qui descendunt » in terram; » nimirum qui in perniciem ruunt et in corruptionem, quod Dominum non noverint.

XXIV. « Et anima mea illi vivet, et semen meum ser-» viet ipsi[6]. » Sancta quippe et inculpata Christi vita fuit, quam cum labore et ærumna carne indutus transegit in terra. Ipse namque solus peccatum non fecit, etsi ad similitudinem nostrûm factus sit, et carnem assumpserit, quæ per se peccatis obnoxia est : semen autem Dei existimandi qui ab eo per fidem sunt vocati : « Annun-» tiabitur Domino generatio ventura. » Et hæc quoque de gentibus intelligit.

[1] Psal. xxi, 26. — [2] Ibid. 28. — [3] Ibid. 29. — [4] Rom. iii, 29. — [5] Psal. xxi, 30. — [6] Ibid. 31.

XXV. « Populo qui nascetur, quem fecit Dominus[1]. » Huic simile est illud : « Non ex sanguinibus, neque ex » voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt[2]. »

PSALMUS XXII.

Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Canitur præsens psalmus ex persona gentium exultantium quod Dominus ipse ad pascua illas deduceret. Et sane mysticum enarrant convivium, quod illis pastor Dominus apposuit.

(*Dan. Barb.* : Psalmus est redeuntium a Babylonia servitute, quoniam postquam Cyrus Rex eos dimisit, cum magna lætitia et copia rerum ad suos reversi sunt. Sed et hoc B. David ante dicit : ex persona igitur ipsorum in patriam revertentium ait.)

I. « Dominus pascit me, et nihil mihi deerit. » Magnifice in Domino sentiunt qui ab illo pascuntur.

II. « In loco pascuæ ibi me collocavit[3]. » In herbæ luxuriantis loco me collocavit, spiritualem herbam dicit. « Super aquam refectionis educavit me. » Aqua refectionis sacrum forte baptisma intelligatur, quippe quod peccatorum molem abstergat. Hæc, inquit, præbe mihi, prius animæ curam gerens; atque ex devio me convertas, ut recta gradiar via.

[1] Psal. XXI, 32. — [2] Joan. I, 13. — [3] Psal. XXII, 2.

III. « Animam meam convertit. » Ex captivitate Diaboli animam meam ad se convertens, ad sua præcepta deduxit illam ex morte ad vitam. Ut qui olim neglecta anima sua defecerit, ac per memoratum deinde cibum refectus sit, aversus et abductus a morte, ait : « Animam meam » convertit in viam justitiæ » in evangelica scilicet dogmata. « Si ambulavero in medio umbræ mortis » quasi Patrem alloquens. Ipsum autem Christum vocat virgam virtutis, virgam gloriosam, et virgam magnitudinis. Sicut virga corripit, ita et vis facultasque agendi docet quo pacto moderate mala feramus. « Parasti in conspectu » meo mensam. » Mensam mysticam indicat, oleum vero chrisma mysticum, et calicem ibidem memorat. Evangelica vero dogmata indicat. « Virga tua et baculus » tuus ipsa me consolata sunt[1]. » Ipsum ait Christum. Et illud : « Virgam virtutis emittet tibi Dominus ex » Sion[2]. » Et virga gloriosa, virga maxima[3]. » Virga est erudiendi potestas; baculus, patrocinium in consolando situm.

IV. « Impinguasti in oleo caput meum[4]. » Et hoc significat mysticum chrisma. « Et calix tuus inebrians » me. » Rursum de mystica agit lætitia. « Et misericor- » dia tua subsequetur me omnibus diebus. » Nam qui prædicta omnia nacti sunt, in misericordia Dei positi semper erunt, insuperque habitabunt in domo ejus.

[1] Psal. xxii, 3. — [2] Psal. cix, 3. — [3] Jerem. xlviii, 17. — [4] Psal. xxii, 5.

PSALMUS XXIII.

In finem psalmus David una Sabbatorum.

ARGUMENTUM.

Daniel Barbarus : Ascensum Domini præsens psalmus vobis prænuntiat, necnon gentium doctrinam, et quemadmodum cœlesti domicilio dignatæ sunt. Psalmus autem hic consecutione quadam vigesimo-secundo præponi debebat : est enim ad eorum consolationem factus qui in servitutem Babyloniam adducebantur; ille autem ad eos dictus est qui ab ea reducebantur. Verum (quemadmodum initio diximus) non ordinatim positi psalmi sunt, sed ut inventi sunt. Cum videret ergo beatus David graviter afflictos eos qui captivi ducebantur, propterea quod patrium solum et proprium templum relinquebant, longius repetens ipsos consolatur dicens : Ne ægre feratis Babylona : nam si honeste et cum virtute vixeritis, et studiose bonos mores vitæ quæsiveritis, ibi etiam Deum invenietis, quando quidem omnia sua sunt et in manu ejus sunt omnes fines terræ.

I. « Domine est terra et plenitudo ejus[1]. » Hisce prædicat regnum unigeniti Dei Verbi in gentes.

II. « Ipse super maria fundavit eum[2]. » Ne quis ex adversariis putaret terram Satanæ esse, jam vero ipsi dominari Christum, hujus gratia Christum ejus opificem decla-

[1] Psal. xxiii, 1. — [2] Ibid. 2.

rat, et una potestatem ejus ostendit, qua tantam terræ molem super aquas fundavit. « Et super flumina præparavit » eum. » Id est, concinnavit. Tunc enim Ecclesia soliditatem accipit, cum fluctibus ac tempestatibus impetita immobilis in fide perseverat. « Et super flumina ; » ita ut sine obice flumina exitus reperiant, montes et sylvæ ab animantibus incolantur, agri et planities in domos et agriculturam hominibus seponantur.

III. « Quis ascendet in montem Domini[1]? » Postquam fidem exposuit, jam operum doctrinam enarrat, ut quotquot audierimus, et obtemperaverimus, per utramque, veram hæreditatem nanciscamur.

IV. « Innocens manibus et mundo corde[2]. » Hac de re dictum fuit in decimo quarto psalmo. « Qui non accepit in vano animam suam. » Vanitatem, id est superbiam. « Nec juravit in dolo proximo suo. »

V. « Hic accipiet benedictionem etc[3]. » Ejusmodi hominem, qui fuerit innocens manibus, corde mundus, nec cum dolo juraverit, pollicetur a Deo donis remunerandum, scilicet benedictione et misericordia.

VI. « Hæc est generatio quærentium Dominum[4]. » Quæ scilicet prius memorata observat.

VII. « Attollite portas, principes, vestras[5]. » Angeli Salvatoris in terra administri, ipso ascendente, cœlestibus virtutibus denuntiant ut portas aperiant. « Dominus » fortis et potens. » Stupore afficiuntur potestates, cum vident illum in carne cum anima intelligendi vi prædita ; quæ causa est ut sciscitentur.

VIII. « Quis est iste rex gloriæ[6]? » interrogant supernæ virtutes, admirabilitate œconomiæ stupefactæ « Dominus virtutum ipse est rex gloriæ. » Qu cum Christo

[1] Psal. XXIII, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7. — [6] Ibid. 8.

ascenderunt, eos qui in cœlo erant angelos edocent mysterium, quod scilicet qui spirituales hostes conculcavit ipse sit rex gloriæ.

PSALMUS XXIV.

ARGUMENTUM.

In præsenti psalmo cujuslibet eorum qui vocati sunt persona inducitur : eorum scilicet qui una electi sunt ut ad spiritualem vitam dirigantur. Hæc porro verba tempore martyrii recitatu opportuna sunt.

I. « Ad te, Domine, levavi animam meam[1]. » Ceu jam ab idololatria aversi loquuntur.

II. « Neque irrideant me inimici mei[2] : » Spirituales videlicet. Iniquis quasi iniquus factus sum. Hæc enim iniquitas non frustra fuit.

III. *Adjicit Daniel Barbarus :* Execrandi et impuri dæmones, Diabolus cum impiis hominibus. Hæc autem dicit cum forte prævideat Christi humanitatem (incarnationem) postquam inimicorum risus cessavit.

IV. « Etenim universi qui sustinent te, non confun» dentur. » Exemplo eorum qui jam ante in Deo confisi illustres facti sunt, quia fiduciam habet, affirmat futurum esse, ut quod in votis est consequatur. « Con» fundantur iniqua agentes supervacue[1]. » Hæc de iis loquitur, qui adhuc idolorum cultu detinentur. » « Con» fundantur iniqua agentes » ab iis qui spem suam in

[1] Psal. XXIV, 1. — [2] Ibid. 3.

Deo posuerunt, atque clari effecti sunt, quia confidebant se posse votum consequi. Qui agunt inique, *supervacue* firmi consistere volunt. Hæc de iis dicuntur, qui adhuc in idolorum cultu persistunt.

V. « Vias tuas, Domine, demonstra mihi[2]. » Evangelica dogmata ait.

VI. « Dirige me in veritate tua. » Hæc ait, ut qui nondum ad veritatem accesserit. « Et doce me, quia tu » es Deus salvator meus. » Cum Propheta ita oret ac si nondum cognoverit vias Domini, neque edidicerit incedere in semitis ejus, necdum directus sit ad veritatem Dei, nec edoctus de Deo ut salvatore, quis non reformidabit illud : « Væ illis qui sibi sapientes, et judicio suo » docti sunt[3]? »

VII. « Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne » memineris[4]. » Juventutem stultitiam ait. Aperta autem stultitia erat idololatriæ eorum tempus. Alio modo per delicta juventutis ea quæ in Ægypto perpetrarunt intelligit : nam et illic idolorum cultui vacarunt. Ne itaque delictorum illorum jam memineris; sed humanitatis et misericordiæ qua tunc vel ignorantes prosecutus es. « Propter bonitatem tuam, Domine. » Non enim meæ dignitatis, sed tuæ benignitatis gratia id consequi rogo.

VIII. « Propter hoc legem dabit delinquentibus in » via[5]. » Illuminabit peccatores, indicabit peccantibus viam.

IX. « Universæ viæ Domini misericordia et veritas » etc[6]. » Nam qui divinis sermonibus assidue nutriuntur, accurate ediscunt omnes Salvatoris Christi dispensationes misericordia et veritate esse permixtas. Nam iis

[1] Psal. xxiv, 4.—[2] Ibid. 5. —[3] Isaiæ. v, 21.—[4] Psal. xxiv, 7. —[5] Ibid. 8. —[6] Ibid. 10.

quos delictorum pœnitet, misericordiam offert et veniam : invictos autem virtutis athletas, victores denuntiat et coronat cum veritate et æquitate calculum ferens : eos vero qui in peccato vitam egerunt, neque pœnitentia purgati sunt, ex veri et æqui præscripto suppliciis afficit.

X. (*Dan. Barbarus :* « Anima ejus in bonis demorabi- » tur[1]. » Actiones illæ, quæ ad intellectualem terram hæreditandam conciliatrices factæ fuerint, semina terræ fient bonorum viris illis qui secundum Deum renovabuntur. Hujus, inquit, semen hæreditabit terram, nam perveniet, ait, benedictio usque ad posteros suos.) « Et » semen ejus hæreditabit terram. » Ejus opera inquit, in causa sunt, ut ipse intelligibilem terram hæreditate accipiat: erunt autem, inquit, semen frugi virorum, quibus intelligit eos qui secundum Deum nati sunt.

XI. « Firmamentum est Dominus timentibus eum et » testamentum ipsius manifestabit illis[3]. » Evangelium scilicet, aut salutis viam. Tota quippe lex Christi hoc spectat ut probos optatis et delectis frui curet. Id namque ait, « Manifestabit illis, » id est, exoptatis frui curabit.

XII. « Respice in me[2]. » Oportet enim nos, confidentes in misericordia Dei, non supinos esse et abjectos, sed etiam laborem, qui in agendis occurrit, exhibere.

XIII. « Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt[4]. » Multis, inquit, angoribus undique circumventus sum. Hanc itaque meam humilitatem, has ærumnas appendens cum peccatis meis, da remissionem veniamque præbe. « De necessitatibus meis erue me, » assidue scilicet prementibus.

XIV. « Vide humilitatem meam et laborem meum[5]. »

[1] Psal. xxiv, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 17. — [5] Ibid. 18.

Oportet enim non supinos et animo fractos esse, fidentes misericordiæ Dei, sed afferre operum laborem.

XV. « Respice inimicos meos quoniam multiplicati » sunt[1]. » Ex inimicorum iniquitate sumpta occasione Deum vocat ad misericordiam.

XVI. « Innocentes et recti adhæserunt mihi[2]. » Et hoc proprium virtutis est, improborum congressus fugere, æqui autem et recti cultores in amicis et familiaribus habere. Hoc etiam Propheta se fecisse ait : ratus nimirum id esse Dominum colere.

PSALMUS XXV.

In finem Psalmus David.

ARGUMENTUM.

Inducitur persona eorum qui crediderunt in Christum, negantibus interea et contradicentibus communionis constitutioni Judæis, qui convenerant adversus Dominum et adversus Christum ejus.

I. « Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia » mea ingressus sum[3]. » Innocentiam dicit, non communicare cum perfidia et vesania Judæorum. « Et in Domino » sperans non infirmabor. » Cum in te spem salutis reponam, firmiter et immotus consistam.

II. « Proba me, Domine, et tenta me[4]. » Si pervestiges, inquit, profunda animæ meæ, in te solo omnem mentis

[1] Psal. xxiv, 19. — [2] Ibid. 21. — [3] Psal. xxv, 1. — [4] Ibid. 2.

sollicitudinem me reponere deprehendes. Quod cum agam acceptus ero tibi tuæ scilicet veritatis amans.

III. (*Daniel Barbarus:* « Ure renes meos. » Quasi dicat, succende et examina intimas animi mei cogitationes, et perscrutare an ita me habeo ut dico. Porro alia est hîc succensio Domini, quam Propheta optat, ab ea quæ fit ardentibus maligni sagittis. Nam Dominus deteriora consumit, et renes et corda expurgat, malignas autem libidines et affectus excitat; propterea ignis qui in rubo erat non exarsit, qui vero in judicibus est ex rhamno comburere dicitur.)

IV. « Non sedi cum consilio vanitatis[1]. » Iniquissimorum Judaïci populi principum consilium apud eum qui corda novit et scrutatur aperte negat et respuit.

V. « Lavabo inter innocentes manus meas[2]. » Purus, inquit, ero a fœdissimis eorum gestis. « Et circumdabo » altare tuum, Domine. » Aperte in hisce rationabilem prædicat cultum.

VI. « Domine, dilexi decorem domus tuæ[3]. » Decor domus sunt qui ornate et religiose in Ecclesia degunt. Cupio, inquit, divinam domum videre tuam, quæ gratia tua refulget.

VII. « Ne perdas cum impiis animam meam[4]. » Rogat a supplicio eximi Judæis parato.

VIII. « In quorum manibus iniquitates sunt, dextera » eorum repleta est muneribus[5]. » Aut quia donis jus ipsi perverterent, aut quia donis proditorem corrupissent; aut quia injuste raperent, ideo dexteram eorum replebant muneribus.

[1] Psal. xxv, 4.—[2] Ibid. 6.—[3] Ibid. 8.—[4] Ibid. 9. —[5] Ibid. 10.

PSALMUS XXVI.

Psalmus David priusquam liniretur.

ARGUMENTUM.

Instructionem adversus hostes complectitur hic psalmus, quæ ex bonis sibi a Deo collatis nota erat, atque cum confessione rogat secundis se donis augeri. Illud autem : « Antequam ungeretur, » significat, ipsum divino spiritu prospicere, ungendum se fore in regem, tentationibusque impetendum. Fortitudine lumbos præcinctus ad pericula propulsanda admodum præmunitur.

I. (*Adjicit Daniel Barbarus :* Vigesimus sextus, septimus, octavus et nonus psalmi idem habent argumentum. Siquidem subjecto in Assyrios eodem ex persona beati Ezechiæ dicuntur, prædicente David, et ad hoc argumentum revocante Propheta illius personam, ita ut eadem verba prædicet, et affectus ostendat. Cæterum imitationem et differentiam quamdam habent hi psalmi : nam vigesimus sextus, et vigesimus septimus, victoriæ carmina sunt tantum pro deletis Assyriis : at vigesimus octavus et vigesimus nonus de incolumitate et sanitate Ezechiæ restituta mentionem faciunt.)

II. « Dominus illuminatio mea et salus mea quem » timebo[1]? » Adversarias potestates despicit, quia in Domini illuminatione confidit. A te, inquit, illuminatus, omnes una hostes contemno.

[1] Psal. XXVI, 1.

III. (*Daniel Barbarus:* « Dominus protector vitæ meæ. » Quis adeo insidiarum potens erit, ut potens Deus est ad auxilium ferendum.)

IV. « Dum appropiant super me nocentes[1]. » Accesserunt, inquit, animo mei perdendi, quod sperabant illaturos se mali accidit ipsis.

V. « Ut inhabitem in domo Domini[2]. » Etenim sancta et æqua postulatio, quam concedere Deo dignum est. « Ut videam voluptatem Domini. » In hac, inquit, precor mihi semper habitare liceat, in qua sum salutem consecutus.

VI. « In petra exaltavit me[3]. » Aperte Paulus petram esse Christum affirmat. « Cantabo et psalmum dicam » Domino[4]. » Manifeste cultum per hæc verba, Sanctus, Sanctus, Sanctus, redditum prædicat.

VII. « Exaudi, Domine, vocem meam[5]. » Quasi dicat : gratias tibi de præteritis ago, supplico pro futuris.

VIII. « Legem pone mihi, Domine, in via tua[6]. » Evangelicam legem sibi notam fieri postulat : ipsa enim recta via est.

IX. « Et mentita est iniquitas sibi[7], » id est, fracta est iniquitas qua impetebamur.

X. « Credo videre bona Domini in terra viventium[8]. » Supernam Jerusalem intelligit.

[1] Psal. XXVI, 2.—[2] Ibid. 4. —[3] Ibid. 6.—[4] I Cor. X, 1.—[5] Psal. XXVI, 7. —[6] Ibid. 11. —[7] Ibid. 12. —[8] Ibid. 13.

PSALMUS XXVII.

ARGUMENTUM.

Præsentem canit Psalmum ex persona credentium in Christum, et supplex Dei implorat auxilium; atque una Judæorum vesaniæ execrationem continet, atque a pessima illorum sorte separari postulat.

I. « Ad te, Domine, clamabo.... et assimilabor des- » cendentibus in lacum[1]. » Mos divinæ Scripturæ lacum appellare infernum.

II. « Ne simul trahas me cum peccatoribus[2]. » Peccatores Judæorum gentem dicit : juxta illud a Salvatore dictum : « Nisi credideritis quia ego sum, in peccatis » vestris moriemini[3], » ipsi interea operantes iniquitatem, cum innocentem et justum contra quam lex vetaret occiderent. « Qui loquuntur pacem cum proximo » suo. » Hoc ait quia Salvatorem magistrum et bonum appellantes, mala moliebantur ipsi.

III. « Quoniam non intellexerunt opera Domini[4]. » Quasi diceret : noluerunt propriam admittere salutem.

IV. « Et refloruit caro mea[5]. » Aperte his resurrectionem prædicit.

V. (*Adjicit Daniel Barbarus* : refloret caro nostra cum spem resurrectionis accipimus, cæterum non caro sed cor alii verterunt.)

[1] Psal. xxvii, 1. — [2] Ibid. 3. — [3] Joan. viii, 21, 24. — [4] Psal. xxvii, 5. — [5] Ibid. 7.

VI. (*Daniel Barbarus:* « Ex voluntate mea confitebor » ei. » Dixit, « ex voluntate » ad differentiam legalis cultusqui suppliciorum metu afficiebatur ; id est non invitam et coactam, sed voluntariam et promptam tibi laudem proferam : sic et alias dixit : « Voluntarie sacrificabo » tibi [1] : » Et, « voluntaria oris mei beneplacita fac, Do» mine, et exaudi me [2]. » Sed quoniam verbum confiteri et damnationem peccatorum et gratiarum actionem significat ; ideo si hoc in loco pro damnatione peccati commissi sumatur, innuit quod non pudore et respectu hominum peccare destitit : sed quoniam respexerit ad odium et noxam peccati : si vero sumitur pro gratiarum actione, ostendit se de omnibus gratias agere, idque summa cum voluntate præstare : nam id vel dolore vel necessitate agere, non est ex voluntate confiteri.)

VII. « Et protector salvationum Christi sui est [3]. » Christum sive unctum hîc vocat populum in regale sacerdotium inunctum. Ipse igitur, ait, Dominus populum protegit, ut salutem populo paret quem per se et ad se inunxit.

VIII. « Et pasce illos et extolle illos usque in æter» num [4]. » Ipse namque nos pascet misso in vicem sui Paracleto. Et quidem nos extollit, id est, sublimes agit in futura et infinita sæcula.

[1] Psal. LIII, 8. — [2] Psal. CXVIII, 108. — [3] Psal. XXVII, 8. — [4] Ibid. 9.

PSALMUS XXVIII.

Psalmus David, de exitu Tabernaculi.

ARGUMENTUM.

Canitur præsens Psalmus ejecto Israëlis populo, gentibusque eorum vice accitis. Quod ipsa indicat inscriptio, Exitus Tabernaculi, quæ palam nobis exitum illorum significat.

I. « Afferte Domino Filii Dei[1] : » Filios Dei sanctos Apostolos vocat, quippe quos dicere docuerit : « Pater » noster qui es in cœlis. Afferte Domino filios arietum[2]. » Filios arietum vocat eos, qui per Apostolos ex Judæis ad fidem Domini sunt vocati, vel etiam qui ex gentibus accesserunt, quippe qui ex irrationalibus patribus nati sint. « Afferte Domino gloriam et honorem[3]. » Gloriam affert Domino qui bonis operibus vacat, secundum illud quod dictum est : « Ut videant opera vestra bona, et glo» rificent Patrem vestrum[4]. » Rursus honorem affert qui bona edit opera, juxta id quod dictum est : « Honora Do» minum de justis tuis operibus[5]. »

II. « Adorate Dominum in atrio sancto ejus. » Palam edicit non oportere nos extra Ecclesiam adorare : quod heterodoxorum conventuum causa dicitur. Non oportet extra Ecclesiam adorare, sed in ipsa aula Dei. Ne mihi,

[1] Psal. xxviii, 1. — [2] Matth. vi, 9. — [3] Psal. xxviii, 2. — [4] Matth. v, 16. — [5] Prov. iii, 9.

inquit, proprias aulas et synagogas excogitetis; una est aula sancta Dei. Possumus item, mente sursum erecta, per atrium cœlestem mansionem intelligere.

III. « Vox Domini super aquas [1]. » Aquas dicit eorum multitudinem qui per eas salutem consequuntur. Aquæ sunt Sancti, quoniam flumina de ventre eorum fluent, spiritualis videlicet doctrina, qua irrigant auditores. Super hujusmodi aquas Dominus est. Sed quod historiam spectat, Helias cum pluviæ defectus esset, audivit vocem aquarum multarum. [*Alius codex.*] Vocem Domini ait in Jordane a Deo et Patre emissam ac dicentem : « Hic » est filius meus dilectus [2], » quam etiam tonitruo comparat.

IV. « Vox Domini confringentis cedros [3]. » Cedros hîc dicit adversarias potestates. « Et confringet Dominus » cedros Libani. » Cedros Libani ait sublimes Judaïci populi homines : quia plerumque in divina Scriptura Libanus Jerosolyma dicitur.

V. « Et comminuet eas tanquam vitulum Libanum [4]. » Vitulus, id est, altare. « Et dilectus quemadmodum filius » unicornium. » Dilectus Apostolorum chorus filius fuit unicornium. Unicornes autem sunt sancti Prophetæ et Patriarchæ, quorum filii sunt sancti Apostoli, eo quod cornu et fortitudinem in solo Deo habuerint.

VI. « Vox Domini intercidentis flammam ignis [5]. » Promissionem illam significat qua Sanctis se obligavit dicens. « Et si per medium ignis transieris, ignis non te com- » buret [6]. »

VII. « Vox Domini concutientis desertum. Concu- » tiens [7], » hîc dictum est, eo quod ex sonitu audiretur, ut est illud : « Ingrediente Jesu commota est universa

[1] Psal. xxviii, 3. — [2] Matth. xvii, 5. — [3] Psal. xxviii, 5. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7. — [6] Isaiæ. cxliii, 2. — [7] Psal. xxviii, 8.

» civitas[1]. » Desertum autem dicit Ecclesiam gentium, quæ olim deserta et destituta esset Dei cognitione. « Et » commovebit Dominus desertum Cades. » Cades sancta interpretatur. Et vero Ecclesia Christi sancta censetur.

VIII. « Vox Domini præparantis cervos et revelavit » condensa[2]. » Cervi sunt Sancti. « Præparantis » autem est ceu adornantis : ipse namque sanctos Apostolos adornatos et instructos misit, juxta illud : « Euntes docete » omnes gentes[3]. Condensa » autem Ecclesiam dicit, quod esset olim infructuosarum arborum mater. « Et in » templo ejus quivis gloriam dicit. » Dominus cum sanctos Apostolos præparasset, emisit eos, ut dæmones exterrerent atque fugarent, et gentes in Dei cognitionem agerent.

IX. « Dominus diluvium inhabitare facit[4]. » Diluvium ait esse gentium multitudinem, juxta illud quod dictum est : « omnis terra impleta est cognitione Domini, » ceu aqua multa quæ mare operiat. « Et sedebit Dominus rex » in æternum, » huic simile, « quoniam ipsi curvabi- » tur omne genu.[5] »

X. « Dominus virtutem populo suo dabit[6] : » Simile huic : « Omnia possum in eo qui me confortat Christo. » Dominus benedicet populo suo in pace[7], » simile huic : » Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis[8]. »

XI. (*Adjicit in fine Daniel Barbarus.* Desolatam ab Assyriis terram iterum reformabit et habitare faciet.)

[1] Matth. XXI, 10. — [2] Psal. XXVIII, 9. — [3] Matth. XXVIII, 19. — [4] Psal. XXVIII, 10. — [5] Esai. XLV, 24. — [6] Psal. XXVIII, 11. — [7] Philip. IV, 13. — [8] Joan. XIV, 27.

PSALMUS XXIX.

Psalmus cantici in Dedicatione domus, Davidi.

Dedicatio domus est, aut Ecclesiæ, aut cum exteriore nostro homine corrupto interior renovatur.

ARGUMENTUM.

Hunc canit Psalmum postquam a peccato liberatus, et quasi renovata anima ejus per pœnitentiam, quæ olim domus erat Spiritus sancti. Psallit autem pro concessa venia gratias agens, et rogans tutum se in futuro servari, aliosque docet ut si quid forte hujusmodi contingat preces ad Deum emittant.

I. « Exaltabo te, Domine, quoniam suscepisti me [1]... »

II. « Salvasti me a descendentibus in lacum [2]. » Lacum vocat infernum.

III. « Et confitemini memoriæ sanctitatis ejus [3]. » Oportet, inquit, hymnos multiplicare memores benignitatis Dei.

IV. « Quoniam ira in indignatione ejus [4]. » Non ejus consilio et voluntate; sed quod singuli per peccata sua eam sibi pertrahant. Nam ejus voluntas vita est. « Ad » vesperum demorabitur fletus. » His verbis significatur pœnitentiæ præstantia. Nullus enim tam ingens peccatorum numerus, quem non celeriter pœnitentia in exultationem vertat.

[1] Psal. xxix, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 6.

V. « Ego autem dixi in abundantia mea : Non move- » bor in æternum[1]. » Causam lapsus enarrat. Quoniam, inquit, prosperis rebus, altos spiritus assumpsi, propterea conturbatus sum. Hoc vero non te compellente, sed tantum faciem tuam avertente, mihi accidit. Quando igitur nisi tua fortitudine innitamur ne consistere quidem possumus, fac obsecro ut dum tuam impleo voluntatem decore animam meam illustres[2]. Id sibi Adam in Paradiso degens eventurum speravit, antequam in fraudem deduceretur : id Ezechias postquam Assyrium devicerat. Et hæc aperte docet liber Paralipomenon, cum ait exaltatum fuisse cor Ezechiæ regis[3].

VI. « Ad te, Domine, clamabo.... Quæ utilitas in san- » guine meo dum descendo in corruptionem[4]. » Precor, inquit, reduci me de lacu, quia non confitebitur tibi pulvis. Quod si descendero in corruptionem, neque mihi neque aliis ulla erit utilitas. Ego autem ea vita privatus sum quæ abs te obtinetur : alii vero nullam per me salutem nacti sunt. Sin vero audieris vocem meam et converteris luctum in gaudium, et me lætitia cinxeris, non parva mihi eveniet utilitas : etenim postquam pristinam gloriam meam recuperavero, cum ea te alloquar, non cum prava conscientia. Hoc enim significat illud, « Non com- « pungar. »

VII. « Conscidisti saccum meum et circumdedisti me « lætitia[5]. » Saccum dicit luctum, quando mos est lugentibus uti sacco. Nam saccus malitiam et ignorantiam significat : quoniam ex hœdorum pilis confecti sunt sacci, qui hœdi ad sinistram consistunt ; ex pilis item hirci illius emissarii.

[1] Psal. xxix, 7. — [2] Hæc apud Danielem Barb. Theodoreti esse feruntur. — [3] Paralip. xxxii, 25. — [4] Psal. xxix, 9, 10. — [5] Ibid. 12.

PSALMUS XXX.

In finem, Davidi pro extasi.

ARGUMENTUM.

Præsentem canit Psalmum quasi peccati causa in pœnitentia adhuc versaretur et rogaret ab eo liberari. Quinimmo ut jam exauditus gratias agit : ac quæ ipsi pœnitentiæ tempore contigere narrat : illud autem, « pro extasi, » nihil nisi peccatum significat, quo quasi a sana mente anima excessit : ut non ultra se assumptum iri speraret, et palam diceret : « Ego » autem dixi in excessu meo, projectus sum a facie » oculorum tuorum. »

I. « In te Domine speravi.... Inclina ad me aurem » tuam[1]. » Quando non potest clamor noster in altum pertingere, inclina auremtuam ad me te attemperando mihi.

II. « Educes me de laqueo hoc quem absconderunt » mihi[2]. » Insidiis enim ejus animæ paratis comprehenderunt eum; in quo? in peccato.

III. « Redemisti me, Domine, Deus veritatis[3]. » Quasi jam postulatum impetrarit hoc ait.

IV. « Odisti observantes vanitates supervacue[4].... » Vanitates appellat hujus vitæ distractiones, quibus vacantes in vanum laboramus. Subsequitur, « supervacue, » de eo scilicet qui observat vanitates.

[1] Psal. xxx, 2, 3.— [2] Ibid. 5.— [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7.

V. « Exultabo et lætabor[1], » Dolorem et reliquos animi motus conculcans.

VI. « Nec conclusisti me in manibus inimici[2], » quasi dicat, non tradidisti. « Statuisti in loco spatioso pedes » meos : » postquam liberasti me ab angore animi, statuisti in tranquillum et pacificum statum.

VII. « Conturbatus est in ira oculus meus, anima mea » et venter meus. » Sicut mentem ceu animæ oculum, ita et memoriam ventrem animæ habet : in qua ceu in ventre rationabiles cibos deponimus. « [*Alius codex.*] » Anima mea et venter meus. » Averti oculum meum a Judaïco populo in furore et in ira magna.

VIII. « Quoniam defecit in dolore vita mea[3]. » Rerum, inquit, necessariarum inopia, corpus meum tabe confecit, quia siba et Bercellaï Davidi attulerunt frumentum et hordeum, farinam, fabas, lentem, mel et alia quædam, nec non tapetas et velamina : atque isthæc populo cum aliis cibis obtulerunt, quia dicebant populum fame laborare, ac siti confectum solutum fuisse in deserto. « Quoniam defecit in dolore vita mea. » Intentum valde animum indicat. « Et annos meos in gemitibus, » transegi gemens ob malorum vehementiam. « Infirmata » est in paupertate virtus mea. » Cum tuum auxilium emendicarem propter peccata mea, infirmatus sum : « Et ossa mea conturbata sunt. » Ossa animæ facultates appellat.

IX. « Super omnes inimicos meos factus sum oppro» brium, etc.[4] » Inimici mei, inquit, me conviciis onerabant : et noti mei fugerunt me. Et qui me videbant aufugerunt ob magnitudinem pœnitentiæ meæ, sacco enim et cinere maceratus, flebam die nocteque. Quare fugientibus illis, in oblivionem veni, et ceu mortuus esse vi-

[1] Psal. xxx, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 12.

debar, ut vasi perdito similis essem. Illud autem « super » omnes, » non sibi vult præ omnibus, sed apud omnes, id est, ab inimicis opprobrio oneratus sum. Sic enim habet Aquila : « Ab omnibus inimicis meis factus sum op» probrium. » Mortuus a corde est, qui virtutibus est vacuus.

X. « Quoniam audivi vituperationem multorum com» morantium in circuitu [1]. » Vituperationem insidias vocat. Ait autem quod circumdantes inimici insidiarentur. « Accipere animam meam consiliati sunt. Ego autem in » te speravi Domine [2]. » Per animam cor capiunt, per iram et cupiditates mentem occidunt.

XI. « In manibus tuis sortes meæ [3]. » Etiamsi insidiis inimici animam meam comprehendere satagant; at sortes meæ tutæ sunt in manibus tuis; quas dabis in tempore mihi, quoniam in te spem colloco meam. Quamobrem rogo in præsenti liberari ab inimicis meis. [*Alius codex.*] Illi, inquit, coacti, necem mihi moliuntur : ego autem te Deum novi mihi atque patronum. « Eripe me » de manu inimicorum meorum, et a persequentibus » me. » Fuge malignitatem, inquit Apostolus, etiamsi persequitur malignitas, persequitur tamen fornicatio, avaritia, furor, ira : reliqua defecerunt.

XII. « Illustra faciem tuam super servum tuum : sal» vum me fac in misericordia tua [4]. » Nam te animam meam illustrante, tristia quæque statim evanescent. Hæc una mihi, inquit, salutis ratio est, si faciem tuam illustraveris.

XIII. « Domine non confundar quoniam invocavi te [5]. » Hinc ediscimus multum peccatum inter et impietatem discriminis esse. Quapropter rogat magnus ille David a

[1] Psal. xxx, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 17. — [5] Ibid. 18.

peccati se turpitudine liberari, eos autem qui in impietate vitam agunt, cum infamia morte affici.

XIV. « Muta fiant labia dolosa[1]. » Rogo, inquit, obmutescere inimicos : quod eveniet si ostenderis faciem tuam.

XV. « Quam magna multitudo dulcedinis tuæ Do» mine[2] ! » Utpote jam per spiritum illustratus, de futuris gratias agit. Mos autem Davidi, vocem, *quam*, per admirationem usurpare, quasi, *valde*. Magna dulcedo tua est, quam recondis et servas nobis. Illud enim; *abscondisti*, est quasi, *custodisti*. Ut etiam illud : « abs» condit me in tabernaculo suo. » Utitur autem voce ; *abscondisti*, pro *custodisti*, quia quod absconditur custoditur. « Perfecisti eis qui sperant in te. » Quasi dicat, perfecisti in tempore congruenti.

XVI. « Abscondes eos in abscondito faciei tuæ.[3] » Facies tua, inquit, tegumentum sperantibus in te factum est. « A conturbatione hominum proteges eos, in ta» bernaculo tuo a contradictione linguarum. » Ut tegumentum, inquit, conteges eos, ita ut neque ab iis qui verbo ipsis nocere tentant, neque ab iis qui operibus oppugnant, superentur.

XVII. « Benedictus Dominus quoniam mirificavit » misericordiam suam mihi in civitate munita. » Per me inquit Deus glorificatus est, quoniam circumsistente me innumera hostium multitudine, et animam meam ceu magnam urbem obsidere conante, qui mei custos est vallo me muniens, misericordiam suam mirabilem ostendit.

XVIII. « Ego autem dixi in excessu mentis meæ[4] : » projectus sum[5]. » Cum memetipsum humiliarem, inquit, in superveniente mihi mentis excessu, quando

[1] Psal. xxx, 19. — [2] Ibid. 20. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 22. — [5] Ibid. 23.

conturbatus est in ira oculus meus, me macerabam quasi peccati mei causa projectus. Sed ego quidem hæc dicebam : tu vero benignus cum sis, non abjecisti famulum tuum.

XIX. « Diligite Dominum omnes sancti ejus[1]. » Sermonem convertit ad aliorum exhortationem a quibus beneficiis est affectus, alios ad confitendum evocans. « Et retribuit abundanter facientibus superbiam. » Diu quidem tolerat Dominus superbos, at abundanter facientibus superbiam promerita retribuit.

PSALMUS XXXI.

Ipsi David, intellectus.

ARGUMENTUM.

Ærumnas et calamitates multas queis in agenda pœnitentia perfunctus est proponens David, beatos illos prædicat qui per lavacrum regenerationis veniam sunt consecuti. Intellectus autem psalmus inscribitur, quia illo egent maxime homines : nam dum affectibus plus æquo indulgent, equis et mulis similes facti sunt.

I. « Beati quorum remissæ sunt iniquitates, et quo» rum tecta sunt peccata[2]. » Dimittuntur iniquitates per baptisma, teguntur per amaram pœnitentiam.

II. « Beatus vir qui non imputavit Dominus peccatum, » nec est in ore ejus dolus[3]. » Ille namque vere beatus

[1] Psal. xxx, 24. — [2] Psal. xxxi, 1. — [3] Ibid. 2.

qui toto corde accedit ad sanctum Baptisma. Nam qui cum dolo baptizatur, veniam minime consecutus, judicio quoque damnabitur. Quod sequitur, « quoniam, » cum hac voce, « inveteraverunt, » est connectendum, ut sententia sit, « quoniam inveteraverunt ossa mea. » Dum clamarem tota die [1]. » Tacui cum non possem amplius vocem emittere. Quid autem clamavit, nisi veniam peccati rogans?

III. « Quoniam die ac nocte gravata est super me » manus tua [2]. » Bonus inquit cum sis, dire et graviter me castigasti, ut ad salutem adduceres. « Conversus sum » in ærumna dum configitur spina. » Spinam vocat peccatum. Hæc est autem sententia : Postquam confixum est animæ meæ peccatum, in ærumnis versatus sum.

IV. « Delictum meum cognitum tibi feci [3]. » Modum confessionis significat. « Dixi confitebor adversum me » injustitiam. Justus in principio sermonis accusator est » sui [4], » tu prior, inquit, enarrato peccata tua.

V. « Pro hac orabit ad te omnis sanctus [5]. » Pro venia peccati, inquit, mihi concessa, omnis sanctus ad te orabit. Duo autem hisce verbis significat : vel omnibus pœnitentiæ exemplar ero; vel, quod ad prophetiæ rationem magis accedit, quia futurum esset ut ex persona ipsius David omnes gentes suis temporibus confiterentur pro peccato ejus. [*Scilicet hunc recitando psalmum.*] » Verumtamen in diluvio aquarum multarum ad eum » non approximabunt. » Pœnitentiam agentem, inquit, multitudo tentationum non obruet.

VI. « Tu es refugium meum etc [6]. Cum illa de peccato dixisset, rogat a malis per eam invectis eripi. Et vero gratiosa datur responsio : ait enim illi benignus

[1] Psal. xxxi, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Prov. xviii, 17. — [5] Psal. xxxi, 6. — [6] Ibid. 7.

Dominus. « Intellectum tibi dabo et instruam te in via » hac [1]. » Petenti liberationem ab inimicis respondet Deus, promittens se illis in via recta ducem futurum.

VII. « Nolite fieri sicut equus et mulus, quibus non » est intellectus [2]. » Hortatur peccantes, ne se efferatis et belluinis moribus dedant. « In camo et frœno maxil- » las eorum constringes. » Ceu ad Dominum sermo dirigitur. Hujusmodi autem sententia est : Eos qui pœnitere noluerint, ceu quodam frœno ad te converte.

PSALMUS XXXII.

Psalmus David, qui caret titulo apud Hebræos.

ARGUMENTUM.

In præsenti docet eos qui jam in Christum crediderunt laudare Dominum suum, commonstrans præterea potestatis suœ excellentiam; quoniam ipse redemptor est universorum, ipse Dominus, ipse improbos nihili facit, eorumque disturbat consilia, sperantes autem in se salvos facit.

I. Exultate justi in Domino..... « in psalterio decem » Chordarum psallite illi [3]. » Psalterium decem chordarum corpus vocat : quippe quod quinque sit sensibus præditum, et quod quinque operationes anima habeat, per singulos namque sensus singulæ operationes excitantur.

II. « Cantate ei canticum novum [4]. » Aperte dicit legem Mosis finem accepisse.

[1] Psal. xxxi, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Psal. xxxii, 1. — [4] Ibid. 3.

III. « Quia rectum est verbum Domini [1]. » Evangelicum videlicet. « Et omnia opera ejus in fide. » Credendum, inquit, iis quæ ille ut Deum decebat operatus est.

IV. « Diligit misericordiam et judicium Dominus [2]. » Hæc, inquit, postulat ab iis qui credunt in ipsum. Diligit itaque misericordiam erga pœnitentes; diligit judicium eorum qui peccare non desistunt. Tale quidpiam Hesaïas Deo loquitur : « Quia misericordia tua in men- » suram. » (Isai. XXVIII, 17.) Si quidem ipse cum judicis misericordiam præstat, in pondere et numero retribuens pro cujusque merito. « Misericordia Domini plena » est terra. » Ostendere incipit ipsum rerum omnium creatarum opificem esse, et quidem primum terræ quam misericordia replesse ait : neque enim alias consisteret, nisi ea repleta esset. Et sane neque cœli unquam constitissent, nisi verbo ejus firmati fuissent, itidemque virtutes eorum, nempe divinæ et rationabiles.

V. « Verbo Domini cœli firmati sunt [3]. » Et hic quoque sancta Trinitas declaratur. « Et spiritu oris ejus om- » nis virtus eorum. » Os Dei Spiritum sanctum dicit : siquidem Prophetæ cum eo afflante loquerentur, dicebant, « quoniam os Domini hæc locutum est [4]. »

VI. « Congregans sicut in utre aquas maris [5]. » Congregans, inquit, quasi in utre quodam aquam maris, in nubibus continet illam : quemadmodum et alio loco ait: « qui convocat aquam maris, et effundit eam super fa- » ciem universæ terræ. » Et rursum : « Educens nubes » ab extremo terræ. Ponens in thesauris abyssos [6]. » Et abyssos, inquit, ceu in thesauris obsignat, ne scaturientes terram inundent.

VII. « Timeat Dominum omnis terra [7]. » Ne ultra,

[1] Psal. XXXII, 4.— [2] Ibid. 5.— [3] Ibid. 6.— [4] Esai. I, 20. — [5] Psal. XXXII, 7. — [6] Amos. V, 8. — [7] Psal. XXXII, 8.

inquit, dæmonibus terra cultum offerat. « Ab eo au- » tem commoveantur omnes inhabitantes orbem. » Qui orbem incolunt homines qui prius idolis dediti erant, audito ejus nomine commoveantur suoque pareant conditori.

VIII. « Quoniam ipse dixit et facta sunt, ipse man- » davit et creata sunt[1]. » Factio rationabilium substantiam denotat : Creatio autem, a pejore in melius mutationem : « Si quæ enim in Christo nova creatura[2]. »

IX. « Dominus dissipat consilia gentium[3]. » Spiritualium videlicet « Reprobat autem cogitationes popu- » lorum, et reprobat consilia principum. Omnium quippe Judæorum insidias irritas fecit, post triduum resurgens. Id enim sibi vult etiam illud; « In æternum » manet consilium Domini. »

X. « Cogitationes cordis ejus in generationem et gene- » rationem[4]. » Dogmata inquit quæ decreta sunt, sive in præsenti sive in futuro sæculo. Cogitationes Dei, id est, congruentes dispositiones : cor, occultum substantiæ.

XI. « Beata gens cujus est Dominus Deus ejus[5]. » Beatos his verbis vocat eos qui in Christum crediderunt.

XII. « De cœlo respexit Dominus[6]. Ait » respexit « ne » quis autumet ipsum ignorare hominum facinora. »

XIII. « De præparato habitaculo suo[7]. » Id est, accurate instructo et ornato. Nam cœlum quasi ad Dei domicilium destinatum est.

XIV. « Qui finxit sigillatim corda eorum[8]. » Solus, inquit, Deus novit hominum corda. Quamobrem Salvator Judæis dicebat : « Quid cogitatis mala in cordibus » vestris[9]? »

[1] Psal. XXXII, 9. — [2] 2 Cor. V, 17. — [3] Psal. XXXII, 10. — [4] Ibid. 11. — [5] Ibid. 12. — [6] Ibid. 13. — [7] Ibid. 14. — [8] Ibid. 15. — [9] Matth. IX, 4.

XV. « Ecce oculi Domini super metuentes eum [1]. » Oculi Domini sunt omnium speculatrix ejus potestas : aut plerumque Filius et Spiritus sanctus, ita ut in medio duorum luminum sit Pater luminum.

XVI. « Et alat eos in fame [2]. » Tempore, inquit, persecutionis, si non adsint spirituales cibi, ipse Dominus per Spiritum sanctum enutriet illos.

XVII. « Anima nostra sustinet Dominum [3]. » Quam jam exhibuerunt fiduciam erga Dominum, nunc præ se ferunt.

PSALMUS XXXIII.

Psalmus Davidi quando immutavit vultum suum coram Abimelech, et dimisit eum, et abiit [4].

ARGUMENTUM.

Cum fugeret David Saülem, venit ad Abimelech : et rogatus ab eo quæ causa recessus, fugam quidem negavit; sed missum se ait ab Saüle postulatum Goliathi ensem. Quoniam igitur aliud dicebat, descriptum est immutasse vultum suum. Canit autem psalmum novo populo, doctrinam introducens spiritualis et evangelici cultus.

I. « Benedicam Dominum in omni tempore...... In » Domino laudabitur anima mea [5]. » Etiamsi laude dignus sim, quia nonnihil boni in operibus meis reperitur, id non mihi sed Deo ascribendum : ipse me et illustrem

[1] Psal. XXXII, 18.—[2] Ibid. 19.—[3] Ibid. 20.—[4] Psal. XXXIII, 1.—[5] Ibid. 2.

effecit et præclarum efficiet. « Audiant mansueti et læ-» tentur. » Salutem mihi a Domino concessam quilibet justus si audiat lætatus fuerit. Quod autem ille salvos faciat sperantes in se, non id admittit ut solus hymnum edat : sed eos qui consortes sunt clementiæ Domini, consortes efficit cantici.

II. « Magnificate Dominum mecum et exaltemus » nomen ejus in idipsum [1]. » Quasi non sufficiat ipse solus magnificentiam Dei enuntiare, postulat ea in re aliorum operam et auxilium.

III. « Accedite ad eum et illuminamini [2]. » Ex concessis donis accepta fiducia, alios etiam ad id invitat.

IV. « Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit » eum [3]. » Ediscite, *inquit*, ex iis quæ mihi acciderunt, fiduciam habere in Dominum universorum. Me namque vilem et abjectum et pastorem ovium, sua dignatus est providentia, atque hostibus præstantiorem exhibuit.

V. « Castrametabitur Angelus Domini in circuitu ti-» mentium eum, et eripiet eos [4]. » Hoc consonat cum Apostoli verbis : « Nonne omnes sunt administratorii » spiritus in ministerium missi, propter eos qui hære-» ditatem capturi sunt salutis [5]. » Ita et beatus Jacob hæc precatur : « Angelus qui eripuit me ex omnibus » calamitatibus meis [6]. » Eodem modo Patriarcha Abraham, admirabili domestico suo ait : « Dominus Deus » mittet Angelum suum ante faciem tuam, et accipies » uxorem filio meo Isaac exinde [7]. » Sic et B. Zacharias ait : « Angelus qui loquebatur mihi [8]. »

VI. « Gustate et videte quoniam suavis est Do-

[1] Psal. XXXIII, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Heb. I, 14. — [6] Gen. XLVIII, 16. — [7] Gen. XXIV, 40. — [8] Zachar. II, 3.

» minus[1]. » Ex vero, inquit, pane gustate, qui descendit ex cœlo. « Beatus vir qui sperat in eo, » futuram enim vitam consequetur.

VII. « Divites eguerunt et esurierunt[2]. » Videlicet populus Judaïcus. « Inquirentes autem Dominum non » minuentur omni bono. » Alium dicit gentium populum.

VIII. « Venite, filii, audite me, timorem Domini » docebo vos..... et labia tua ne loquantur dolum[3]. » Doctrinam gentibus prædicandam proponit, cujus primo esse ait timorem Dei : secundo non obtrectare fratri; tertio, ab omni doloso dicto labia coercere; quarto, abstinere ab omni malo, et curam in omnibus agendi boni habere. Ad hæc omnia, pacem persequi et adipisci. Pax autem Christus est. Harumce rerum sollicitudinem, ait vitam esse et dies bonos.

IX. « Declina a malo et fac bonum : inquire pacem » et persequere eam. » Illud, « declina a malo » docet timor : hoc vero, « et fac bonum, » amor. Quare amans timente præstantior.

X. « Oculi Domini super justos et aures ejus in preces » eorum[4]. » Magnam studio virtutis tribuit mercedem, quod scilicet inspectorem et tutorem habeant Deum.

XI. « Custodit Dominus omnia ossa eorum[5]. » Ossa virtutes animi dicit. Ipsa vero sunt justitia, perseverantia, pietas, et ut ita dicam, virtus omnis.

XII. « Mors peccatorum pessima[6]. » Animæ mortem intelligit, quam excipient, ignis æternus, tenebræ exteriores, vermis nunquam moriturus, fletus et stridor dentium. Gehenna quippe et tenebræ eos excipiunt.

[1] Psal. xxxiii, 8. — [2] Ibid. 10.— [3] Ibid. 11.— [4] Ibid. 14.— [5] Ibid. 15.— [6] Ibid. 21.— [7] Ibid. 22.

PSALMUS XXXIV.

ARGUMENTUM.

Proposita verba dicuntur ex persona ejus qui Deo confidens ab occultis potestatibus oppugnatur, aut fortasse ex persona chori Apostolorum. Inducitur item persona Christi ea enarrantis quæ sibi tempore passionis a Judæis illata sunt mala, ad patientiæ et perseverantiæ hortamentum iis qui propter Deum impugnantur.

I. « Judica, Domine, nocentes me, expugna impug- » nantes me.[1]. » Personæ Apostolorum convenit supplicatio.

II. (*Daniel Barb.* Oppugnantes Judæos intelligit, qui cum in se pacem non habeant, bellum habent et oppugnant Christum, qui est pax nostra. Et expugnans Deus benefacit, hos quidem justos, illos vero amicos faciens, et impediens actiones quæ in deterius prolabuntur.)

III. « Apprehende arma et scutum et exurge in ad- » jutorium mihi etc[2]. » Arma, scutum, framea, ultrices adumbrant potestates, a Domino ad opem justis ferendam immissas.

IV. « Dic animæ meæ, salus tua ego sum[3]. » Id te rogo, inquit, ut animæ meæ dicas te illi adjutorem futurum.

V. « Avertantur retrorsum[4]. » Bene agitur cum iis qui ex virtute ad malitiam transmeant si convertantur retrorsum.

[1] Psal. xxxiv, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4.

VI. « Veniat illi laqueus quem ignorat, et captio » quam abscondit apprehendat eum, et in laqueum cadat » in ipsum[1]. » In caput iniquorum laqueus conversus est. Cum enim ad mortem venarentur, ipsi contra capti sunt et morti traditi.

VII. « Anima autem mea exultabit in Domino[2]. » Qui laqueum paraverunt, et perniciem omnium nostrum Salvatori Christo moliti sunt, facinoris in ipsum, modis nuper a nobis descriptis pœnas luent. At anima mea, inquit, omni malo semper libera erit, perpetuo apud Deum fruens gaudio, et delectata super salutari ejus.

VIII. « Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me[3]. » Hinc inducitur Christi persona ad tribunal principum sacerdotum falso delati.

IX. « Retribuebant mihi mala pro bonis sterilitatem » animæ meæ. » Hoc ait, quia indigni visi sunt illi vocari filii Dei, quod maxime omnium prædicat juxta illud : « Quoties volui congregare filios tuos[4] ? »

X. « Ego autem cum mihi molesti essent induebar » cilicio[5]. » Lugebat enim eorum perniciem, ita ut doleret, vehementer angeretur, lacrymaretur, oraret pro peccato eorum. « Et humiliabam in jejunio animam » meam[6]. » Ut confirmaret incarnationem noluit jejunio abstinere. « Et oratio mea in sinu meo convertetur. » Hoc fortasse innuit illos in peccato persistere. Nihil enim, inquit, profuit ipsis precatio mea, quam ex ingenti ignorantia ad me quasi reflecti effecerunt.

XI. « Quasi proximum et quasi fratrem nostrum sic » complacebam[7]. » Quasi fratrem, inquit, et amicum ita curabam eos beneficio demereri, volens eos ad sa-

[1] Psal. XXXIV, 8.— [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10, 11. — [4] Matth. XXIII, 37. — [5] Psal. XXXIV, 12. — [6] Ibid. 13. — [7] Ibid. 14.

nitatem reducere : quapropter illorum causa lugebam.

XII. « Et adversum me lætati sunt et convenerunt[1]. » Hæc, inquit, mihi opsonia, quod eorum causa dolerem, retribuerunt. « Congregata sunt super me flagella et ignoravi. » Nullam enim causam cur me flagellis cæderent comperiebam.

XIII. « Dissipati sunt nec compuncti etc[2]. » In varias scilicet multitudo abiit sententias, ut ait Evangelista, aliis bonum, aliis malum esse dicentibus. Hisque tamen gestis nequaquam compuncti sunt, neque intellexerunt contra quem talia admitterent. Hoc autem non accusando profert, sed exoptans auxilium dari sibi. Quando inquit apparebis et injuria affectum ulcisceris.

XIV. « Restitue animam meam a malignitate eorum[3]. » Quæcumque patitur aut loquitur id pro nostra salute admittit. Quia descendit ipse scilicet Christus et pro nobis est incarnatus. « A leonibus unicam meam. » Leones vocat aut malas et adversarias potestates, quæ tantum non rugiebant in Christum, aut fortasse Judæorum magistratus, ita enim memorat eos per vocem Hesaïæ. « Facta est hæreditas mea quasi leo in sylva : quamobrem odio habui illum[4]. » Unicam autem appellat animam suam, ponendo, « unicam *pro* dilectam. » Solet enim ingens amor unigenitorum esse.

XV. « Qui oderunt me gratis et annuunt oculis[5]. » Quasi diceret : qui dolos struunt.

XVI. « Quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, et in ira dolos cogitabant[6]. » Illud scilicet, « Magister bone, » et, « Scimus quoniam veritatem doces et non accipis personam hominis[7]. »

[1] Psal. xxxiv, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 17. — [4] Jerem. xii, 8. — [5] Psal. xxxiv, 19. — [6] Ibid. 20. — [7] Matth. xxii, 16.

XVII. « Et dilataverunt super me os suum[1]. » Blasphema dicta dum in cruce penderet in se conjecta memorat. « Dixerunt, Euge, euge, viderunt oculi nostri. » Ac si optatum haberent exitum, quando is ligno suspensus fuerat. Idipsum autem agunt qui exultant de calamitate justi.

XVIII. « Vidisti, Domine, ne sileas, Domine, ne dis» cedas a me[2]. » Homo factum unigenitum Dei Verbum, non amittens esse Deus, rogat injuriæ causa nobis per dæmones illatæ judicem Patrem. Rogat dissipari superborum contumeliam. Ita enim alii in pudorem vertentur, inquit; alii exultabunt gratias de data salute agentes.

PSALMUS XXXV.

In finem servo Domini ipsi David.

ARGUMENTUM.

Superbiæ Judaïci populi accusationem continet hic psalmus, et malitiæ eorum confutationem, atque justa Dei judicia decantat, quod orbem condiderit. Ad hæc etiam gratiarum actionem Patri offert pro beneficiis per Jesum collatis. Super his omnibus precationem ad cavendam superbiam.

I. « Dixit injustus ut delinquat in semetipso[3]. » Significat eorum vigilantiam in parandis adversus Christum insidiis. Arbitratur, inquit qui in malitia educatus est, oc-

[1] Psal. xxxiv, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] Psal. xxxv, 1.

culta animi ipsius consilia neminem conspicere. Nam illud, « Dixit, » pro, « existimat, » aut, « arbitratur, » positum. Tantæ porro indolentiæ causa est omnium inspectorem Dominum non reformidet. « Non est timor » Dei ante oculos ejus. » Cum semel, inquit, peccandi propositum admiserit, a conspectu oculorum Dei timorem amovet. Nam timore Domini declinat quilibet a malo.

II. « Quoniam dolose egit in conspectu ejus[1]. » Libens eam admittit ignorantiam, nolens gesta sua secum reputare, nec prave commissa aversari. « Ut inveniatur » iniquitas ejus ad odium. » Neque illud, inquit, considerat, quod scilicet Deus peccatum ejus deprehendat, atque eo deprehenso et peccatum et peccatorem odio habeat.

III. « Verba oris ejus iniquitas et dolus. Iniquitas, » propter oblatas Christo contumelias; « dolus, » autem, cum volentes illum irretire, blandis illum sermonibus compellabant. « Noluit intelligere ut bene ageret. » Libens, inquit, sese a bono opere cohibuit.

IV. « Iniquitatem meditatus est in cubili suo : astitit » omni viæ non bonæ[2]. » Vigiles et insomnes noctes eorum qui Christo insidias parabant significat. « Malitiam » autem non audivit. » Ac si diceret, malitiam non aversatus est.

V. « Domine in cœlo misericordia tua[3]. » Declarat ex misericordia ejus cœlestia, id est, rationabiles potestates consistere : « et veritas tua usque ad nubes. Justitia tua » sicut montes Dei[4]. » Veras, inquit, et firmas esse, Prophetarum promissiones ostendisti. Nubes enim sunt Prophetæ : veras autem eas ostendisti, tantam exhibens vim justitiæ, ut montibus Dei comparari possit. « Judi-

[1] Psal. xxxv, 2. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5, — [4] Ibid. 6.

» cia tua abyssus multa. » Cum tanta veritas atque justitia insit tibi, ignoro quæ causa sit quod tamdiu toleres. Nam judicia tua inaspectabilem abyssi profunditatem imitantur. Nam sicut ejus profunditas ab hominibus percipi nequit; ita judiciorum tuorum cogitatio extra captum hominis est. « Homines et jumenta salvabis, Do» mine [1]. » Postquam de duobus populis hæc Apostolus dixisset : « Conclusit Dominus omnes in incredulitate, » ut omnes salvos faceret, » subjunxit : « Quam in» comprehensibilia sunt judicia tua [2] ! » Simile hic habetur, nam duorum populorum, qui etiam per homines et jumenta significantur, salutem enarraturus; hominum scilicet Israëlitarum qui instituti in lege sunt, et præstantiora cogitant : jumentorum autem, gentium nempe, utpote irrationabiliorum; Judæi enim mysterium per leges et Prophetas edocti exciderunt, gentes vero quæ nunquam illud audierant assumptæ sunt; hac de causa antea dixit : « Judicia tua abyssus multa.» Rursum homines dicit eos qui rationabilem dignitatem servarunt : jumenta vero, eos qui versus terram deorsum inclinantur, et terrenis pascuntur cogitatis. Non solum itaque justos, sed etiam peccatores ad salutem vocavit.

VI. « Filii autem hominum in tegmine alarum tua» rum sperabunt [3]. » Id est te protectorem adjutoremque evangelici verbi obtinebunt.

VII. « Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, et tor» rente voluptatis tuæ potabis eos etc. [4] » Torrens voluptatis Christus est, juxta id quod dictum est : « Declinabo » super eos quasi torrens inundans gloriam gentium [5]. » Est autem et fons vitæ et lumen de lumine.

VIII. « Non veniat mihi pes superbiæ [6]. » Rogat nulla

[1] Psal. xxxiv, 7. — [2] Rom. ii, 31. — [3] Psal. viii, 8. — [4] Ibid. 9, 10. — [5] Isaï. lxvi, 12. — [6] Psal. xxxv, 12.

moveri se passione. « Et manus peccatoris non moveat » me. » Neque me, inquit, pravum facinus prope te stantem dimoveat.

PSALMUS XXXVI.

Psalmus ipsi David.

ARGUMENTUM.

Doctrinam hic psalmus complectitur, abstinentiam a malis, bonorumque studium novo populo prædicans: utroque ad suadendum usus, spe scilicet præmiorum bonos spectantium, et supplicio malis reservato.

I. « Noli æmulari in malignantibus, neque zelave- » ris facientes iniquitatem[1]. » Malitiam fugere hortatur: docens ejus finem esse lapsum ab omni bono.

II. « Et inhabita terram et pasceris in divitiis ejus[2].» Terram dicit divinitus inspiratam Scripturam, in qua sitæ Sanctorum divitiæ, id est, promissiones. Hortatur autem ut divinis eloquiis semper hæreamus, amore ducti bonorum quæ in eis pro Sanctis sunt reposita.

III. « Revela Domino viam tuam et spera in eo, et » ipse faciet[3]. » Palam, inquit, erit te per acceptam et gratam ipsi viam incedere.

IV. « Et educet quasi lumen justitiam tuam[4]. » Manifestum enim est, quod in futuro sæculo, ut ipse Dominus dicit, « justi fulgebunt sicut sol[5]. » Lumen autem justitiæ, cognitio; quandoquidem justitia regula virtu-

[1] Psal. xxxvi, 1. —[2] Ibid. 3.—[3] Ibid. 5.—[4] Ibid. 6.— [5] Matth. xiii, 43.

tum est. « Et judicium tuum tanquam meridiem. » Id est : te dignum lucis judicabit esse.

V. *Dan. Barb.* : « Et ipse faciet. » Ubi, inquit, in eo speraveris tunc ipse faciet. Sed quid faciet ostendit inferens : « Et educet quasi lumen justitiam tuam et judicium » tuum tanquam meridiem. » Tum vero educet, inquit, pro manifestum reddet, et quasi conspicuum declarabit, non permittens honestæ vitæ decorem et pulchritudinem latere. Erit enim justitia tua tanquam lumen omnibus manifesta, meridiana luce splendidior. Meridies diei dimidium dicitur, non modo, inquit, confitentem justificat, et ei clementer adjudicat, verum etiam justitiam ejus in aperto ponit, hoc est notum omnibus facit se illum justificasse. Cujusmodi fuit latro, cujus judicium in meridie, hoc est, medio die Jesus in Cruce pendens eduxit, unamque ejus justitiam in lucem, hoc est, in omnium cognitionem produxit. Nam expressa vox illa, « Amen amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso [1], » clara mundo, atque adeo lux orbi terrarum facta est, et omnibus resipiscentibus et pœnitentibus adhortatio quædam fuit. Non enim, ait, claritas justitiæ ejus occulta erit, ut modo est, sed tanquam sol in meridie conspicua. Quemadmodum Dominus ait : « Tum justi fulgebunt si- » cut sol in regno Patris eorum [2]. »

VI. « Subditus esto Domino et ora eum [3]. » Ipse quidem te luce dignum ostendet in futuro sæculo, tu autem hîc subditus esto. « Noli æmulari in eo qui prosperatur in » via sua. » Ne æmuleris ait felicitatem iniquitate comparatam. Ne admiratione capiaris viso homine iniquo prospere agente, neque æmuleris felicitatem ex injustitia acquisitam, neque stimuleris ad similia agenda. Sed

[1] Luc. XXIII, 43. — [2] Matth. XIII, 45. — [3] Psal. XXXVI, 7.

etiamsi omnia ipsi ex voto sponte succedant, ne doleas neu indigne feras, quasi improbi pœnas non luant, sed prospere agant, ceu nullo ultionem et castigationem inferente.

VII. « Desine ab ira et derelinque furorem[1]. » Ne respicias prosperitatem eorum sed expectato finem, et videbis perniciem. Ira autem est appetitus vindictæ : vindicta autem mali retributio. « Noli æmulari ut malig- » neris. » Probe nosti quod ii qui ad divinam se spem commiserunt, et frugi vitam delegerunt, cum tranquillitate et pace et voluptate degunt, firmam obtinentes conscientiæ puritatem ; qui autem temporaneæ prosperitati fidunt, promptam invenient mutationem, et oblivioni penitus tradentur.

VIII. « Et quæres locum ejus et non invenies[2]. » Simile dicto huic : « Impii autem radicitus peribunt[3]. »

IX. (*Dan. Barbarus :* « Mansueti autem hæreditabunt » terram[4]. » Terram hæreditabunt qui perniciosum iracundiæ affectum spiraverint. Ira enim et prudentes perdit, siquidem quominus honeste se gerant impediuntur. « Ira enim viri Dei justitiam non operatur[5]. » Cæterum ab ira et furore Dei securus est, qui abstinet ab iis quæ iram et furorem concitant.)

X. « Et delectabuntur in multitudine pacis. » Delectatio justi summa pax est, et est quædam ceu indolentia animi cum vera rerum scientia.

XI. « Observabit peccator justum[6]. » Id de Diabolo potest opportune accipi, atque hisce consolationem affert iis qui injuria afficiuntur. Exhibet enim peccatorem dolentem ac furentem adversus eos qui tranquillam amplexi sunt vitam ; justum vero judicem deri-

[1] Psal. xxxvi, 8. — [2] Ibid. 10. — [3] Job. iv, 7. — [4] Psal. xxxvi, 11. — [5] Jacob i, 20. — [6] Psal. xxxvi, 12.

dentem ejus gesta : quippe qui mox futuram ejus mortem prospiciat.

XII. « Dominus autem irridebit eum [1]. » Irridet, inquit, peccatorum insidias adversus justum ; sciens quidem quod diem statuit, in quo huic quidem æternam vitam, illi vero sempiternum supplicium retribuet.

XIII. « Gladium evaginaverunt peccatores. . . . . gla- » dius eorum intret in corda ipsorum [2]. » Ea, inquit, mali dæmones mala sunt perpessi, quæ sanctis inferre moliebantur.

XIV. « Melius est modicum justo [3]. » Ac si dicat, Melior est modica Domini misericordia, quam omnes mundi divitiæ.

XV. « Novit Dominus vias immaculatorum [4]. » Id est approbat et honorat. « Et hæreditas eorum in æter- » num erit. » Incorruptæ namque et sempiternæ sunt sanctorum mercedes.

XVI. « Non confundentur in tempore malo [5]. » In persecutionum, inquit, temporibus, deficientibus magistris, ipse Dominus suopte spiritu enutriet eos qui in ipsum crediderint. « Non confundentur in tempore » malo. » Malum tempus est iræ ac furoris contra impios, quando illi quidem justum Dei judicium experientur ; justi autem gloriam, honorem, incorruptionem et vitam æternam consequentur.

XVII. « Mutuabitur peccator et non solvet [6]. » Non gratias agit, inquit, peccator, de collatis sibi a Deo beneficiis. « Justus autem miseretur et tribuit. » Misericordiam retributionis loco solvit, Dominum suum imitatus.

XVIII. « Quia benedicentes ei hæreditabunt terram [7]. »

[1] Psal. xxxvi, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 18. — [5] Ibid. 19. — [6] Ibid. 21. — [7] Ibid. 22.

Simile huic illud ad Abraham dictum : « Benedicentes » te benedicam, et maledicentes te maledicam[1]. »

XIX. « Apud Dominum gressus hominis dirigen» tur[2]. » Recipit, ait, mercedem operum, quæ hanc agendo vitam edidit.

XX. « Cum ceciderit non collidetur[3]. » Etiamsi, inquit, contigerit, aliquantum labi justum, nihil hinc illi mali eveniet, cum Deum habeat se confirmantem.

XXI. « Nec semen ejus quærens panes[4]. » Spirituales scilicet, qui sunt divini sermones.

XXII. « Et inhabita in sæculum sæculi[5]. » Et hæreditate, inquit, accipies æterna tabernacula.

XXIII. « Justi autem hæreditabunt terram[6]. » Plerumque datam mansuetis terram memoravit, ad ejus concupiscentiam cohortatus.

XXIV. « Os justi meditabitur sapientiam[7]. » Convenit, inquit, sive lingua, sive mente divina eloquia circumferre, in eorumque meditatione assidue versari. Ita enim cum quid agendum sit edidicerit qui virtutis amans est, intrepidus immotusque manebit adversus eos qui dejicere ipsum voluerint. Hæc etiam dixit psalmo primo : « Sed in lege Domini voluntas ejus, et in lege » ejus meditabitur die ac nocte, etc. Et lingua ejus » loquetur judicium[8]. » Judicium justum, non forense, sed quod in illo sano et nunquam errante tribunali fertur.

XXV. « Lex Dei ejus in corde ipsius, et non sup» plantabuntur gressus ejus[9]. Considerat peccator jus» tum[10]. Dominus autem, etc. » Variis eadem ipsa modis profert, majori illa cura et meditatione stabiliorem parans rei memoriam. Ait autem : non negliget

[1] Gen. xii, 3.—[2] Psal. xxxvi. 23.—[3] Ibid. 24.—[4] Ibid. 25.—[5] Ibid. 27. —[6] Ibid. 29.—[7] Ibid. 30.—[8] Psal. i, 2.—[9] Psal. xxxvi, 31.—[10] Ibid. 32

justum Dominus improborum insidiis appetitum, neque una calculum feret cum eis talia molientibus : sed curabit ut retia ille transiliat. Hujusmodi providentia fruebatur Abraham, Sara bis rapta : eadem Isaac, qui idipsum passus est : eadem Jacob fratre et socero invidentibus : eadem Joseph livore et calumnia impugnatus. Ecquid opus omnia recensere? facile namque est studioso cuique et vetera colligere, et nova animadvertere.

XXVI. « Nec damnabit eum cum judicabitur illi[1]. » Id est, quando sententia de illo feretur.

XXVII. « Cum perierint peccatores videbis[2]. » Accisos, inquit, videbis peccatores.

XXVIII. « Vidi impium superexaltatum, et elevatum » sicut cedros Libani, etc.[3] » Juxta illud dictum, « umbra est vita nostra[4]. »

XXIX. « Et transivi, et ecce non erat[5]. » Ubi vidi, inquit, homines improbos prospere agentes, mecum reputabam qua ratione id boni consecuti essent. Deinde vero hæc cogitans et alia mecum revolvens eos denuo videre non potui : imo neque locum in quo consistere videbantur reperire facultas fuit.

XXX. « Custodi innocentiam, et vide æquitatem » quoniam sunt reliquiæ homini pacifico[6]. » Et supplicium, inquit, improborum, et « reliquiæ » id est hæreditas proborum, tibi suadeant ut simplicitatem et innocentiam secteris.

[1] Psal. xxxvi, 33. — [2] Ibid. 34. — [3] Ibid. 35. — [4] 1 Par. xxix, 15. — [5] Psal. xxxvi, 36. — [6] Ibid. 37.

PSALMUS XXXVII.

Psalmus ipsi David in rememorationem de Sabbato [1].

ARGUMENTUM.

Hunc canit psalmum assiduam memorans calamitatem, quam propter peccatum sustinuit, et Deum per sese rogat, sibi sabbatismos, seu calamitatum finem concedi.

I. « Domine ne in furore tuo arguas me, neque in » ira tua corripias me [2]. » Dæmones qui suppliciis inferendis deputantur, et ultrices potestates, Dei ira et furor vocantur. Supplicat itaque ne a malignis virtutibus arguatur, neque per immissionem Angelorum malorum, sed per salutaria verba corripiatur. Corripit nos Dominus, cum nos ad virtutis recordationem deducit. Sanctus autem non redargutionem aut correctionem repudiat : sed eam quæ cum ira et furore conjuncta sit.

II. « Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi [3]. » Sagittas vocat ultrices potestates. « Et confirmasti super » me manum tuam. » Tetigit me, inquit, manus tua, peccati causa corripiens.

III. « Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ [4]. » Ira tua ingruente mihi, labefactata est caro mea. « Et » non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum. » Debilitata, inquit, est virtus animæ meæ, causa autem infirmitatis peccatum est.

[1] Psal. xxxvii, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4.

IV. « Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt ca-» put meum[1]. » Fregit, inquit, me gravis peccati moles. Cruciat me permolestus putridorum fœtor vulnerum, quæ amissa prudentia, et insipientiæ subactus in me excepi. Cujus rei causa omni privatus delectatione angor et assidue crucior animo, neque ullam declinandæ tristitiæ viam invenio. « Sicut onus grave gravatæ sunt su-» per me. » Gravitatem dicit conscientiæ motum vehementer ad desperationem tendentis.

V. « Putruerunt et corruptæ sunt cicatrices meæ a » facie insipientiæ meæ[2]. » Peccatum omne, turpe et putidum est : nisi enim in insipientiam anima decidat, peccatum admittere nunquam tolerarit. Inde naturam peccati novimus. Quænam illa est? Nihil certe peccatum est nisi insipientiæ nostræ fœtus.

VI. « Tota die contristatus ingrediebar[3]. » Id dicatur iis qui multum rident et lætantur. « Miser factus » sum, etc. » Gravitatem conscientiæ indicat, quæ quasi in desperationem impellit.

VII. « Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus[4]. » Quoniam, inquit, videbam inimicos mihi illudentes; intelligentes autem inimicos significat.

VIII. « Afflictus sum et humiliatus sum nimis[5]. » Ex hujusmodi, inquit, concupiscentia, id sum consecutus ut versus terram inclinatus gemitus assidue profundam, ob acerbum animi dolorem. Quamobrem, mutato concupiscentiæ usu, administram eam divinæ voluntatis constitui. Hoc enim adjicit. « Rugiebam a gemitu » cordis mei. » Castigans conscientiam meam id efficiebam ut cor in gemitus erumperet.

IX. « Et gemitus meus a te non est absconditus[6]. » Pœnitentiæ, inquit, desiderium coram te sistatur. Toto

[1] Psal. XXXVII, 5.—[2] Ibid. 6.—[3] Ibid. 7.—[4] Ibid. 8.—[5] Ibid. 9.—[6] Ibid. 10.

desiderio salutem consequi expeto. Ecquod desiderium Christi ? Pascha nostri causa consummare.

X. « Cor meum conturbatum est, dereliquit me » virtus mea[1]. » Cor appellat vim animæ rationalem. « Et lumen oculorum meorum et ipsum non est me» cum. » Lumen oculorum dicit spiritum animi oculis illucescentem.

XI. « Amici mei et proximi mei adversum me ap» propinquaverunt et steterunt[2]. » Cum plagis affectus essem, inquit, obstiterunt mihi. Hæc autem dicit propter Absalom et Achitophel. « Et qui juxta me erant de » longe steterunt. » Angeli enim qui auxiliabantur illi, peccati causa dereliquerunt illum. Fortassis et sanctæ virtutes secedunt in tempore tentationis ad tentati probationem et experimentum, aut fortassis ad punitionem.

XII. « Et vim faciebant qui quærebant animam » meam[3]. » Derelinquentibus ipsum Angelis hinc vehementius irruebant dæmones. « Et qui inquirebant » mala mihi locuti sunt vanitates. » Mutuo colloquebantur, inquit, parantes insidias mihi.

XIII. « Ego autem tanquam surdus non audie» bam, etc.[4] » Dum hæc, inquit, illi loquerentur, nec audire nec loqui videbar, ablata mihi per peccatum fiducia.

XIV. « Quoniam in te, Domine, speravi..... quia » dixi nequando supergaudeant mihi inimici mei[5]. » Tantis, inquit, accidentibus malis, una superest mihi spes salutis, auxilium scilicet tuum mihi affuturum.

XV. « Et dum commoventur pedes mei super me » magna locuti sunt[6]. » Peccatum, inquit, meum com-

[1] Psal. XXXVII, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid. 14. — [5] Ibid. 16. — [6] Ibid. 17.

movens pedes meos in causa fuit ut altos adversum me spiritus assumerent.

XVI. « Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor » meus in conspectu meo semper[1]. » Libenter se correptionem conversioni suæ accomodatam excipere testificatur.

XVII. « Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, et » cogitabo pro peccato meo[2]. » Propterea et mei accusator sum, et nullam non salutis sollicitudinem geram.

XVIII. « Inimici autem mei vivunt, et confirmati » sunt super me[3]. » Etsi, inquit, non sine sensu peccati sim, sed de ipso semper anxius sim, video inimicos meos vires sumpsisse, qui cum nihil injuriæ a me passi sint, peccatum exprobrantes meum, ipsumque seu occasionem belli contra me gerendi accipientes, me persequebantur, se jure ac merito id agere jactitantes. Ideoque factus apud illos ceu mortuus abominabilis : quapropter obsecro te Dominum, ne discedas a me ; sed properes potius ad auxilium nobis ferendum.

XIX. « Ne derelinquas me Domine Deus meus etc. » *Daniel Barbarus :* Possunt homines quos naturæ inopia ad Deum placandum impellit, hæc pro se ipsis orare : sed Christus qui secum Patrem habet, salutem hominum tanquam propriam petit, qui et ipse quoque petitionem hanc secundum divinitati conjunctam humanitatem tanquam suam sibi tribuit. Hoc vero fuit id quod carni compactum et affectibus obnoxium fuit, cum alioqui divinitatem secum haberet quæ petitionem illius ratam faceret.

1 Psal. xxxvii, 18. — 2 Ibid. 19. — 3 Ibid. 20, 21.

PSALMUS XXXVIII.

In finem, ipsi Idithum Canticum David.

ARGUMENTUM.

Sacer cantor cum esset Idithum et prophetica coronatus gratia, canticum refert ad personam ipsius David, repræsentans illum confitentem peccatum suum.

I. « Dixi custodiam vias meas[1]. » Evidens confirmati cordis argumentum. « Posui ori meo custodiam, cum » consisteret peccator adversum me. » Astantes autem ipsi spirituales inimici, peccatum exprobrabant illi.

II. « Obmutui et humiliatus sum et silui a bonis[2]. » Conviciis, ait, impetitus non convicia reddebam, cernens me bonis excidisse. « Et dolor meus renovatus est : » Pro responsione ad eos qui me conviciis onerabant, peccata mihi ipsi revocabam in memoriam. Memoria autem peccati quasi ignis in corde meo erat.

III. « Et in meditatione mea exardescet ignis[3]. » Dum memoriam peccati revocabam inflammabar igne.

IV. « Locutus sum in lingua mea etc[4]. « Illud : » in lin» gua, » quasi dicas, demissa voce et quasi susurrando, nec ad multos sermonem proferens. Cæterum sermo ille interrogatio erat de diebus qui ipsi superessent. Sciscitabatur autem, scire peroptans num ipsi residuum vitæ tempus foret ad pœnitentiam satis.

V. « Ecce mensurabiles posuisti dies meos, et subs-

[1] Psal. xxxviii, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5.

» tantia mea tanquam nihilum ante te[1]. » Etiamsi, inquit, longa adhuc mihi vita superforet, quasi nihil in conspectu tuo reputabitur. Si namque mille anni ante oculos tuos tanquam dies una, quid fuerit tempus hominis unius? Id rursum Symmachus sic interpretatus est : « Ecce quasi palmas dedisti dies meos, et vita mea tan- » quam nihilum in conspectu tuo. » Tu namque sine initio es et sine fine, nostra autem vita ceu quibusdam palmis et mensuris mensa est. His brevitatem declarat humanæ vitæ.

VI. « Verumtamen universa vanitas, omnis homo vi- » vens. Verumtamen in imagine pertransit homo, sed et » frustra conturbatur[2]. » Si autem, in imagine, non in veritate pertransit homo, jure vanitatem præmisit, quando non veram vitam transigimus, sed in quadam imagine, neque veri boni studio agimur, quare frustra conturbamur. Vita, inquit, eorum qui in terra degunt, quippe quæ in sæcularibus versetur curis, jure vanitas æstimetur. Vel sic : omnes vitæ nostræ anni vapor sunt in conspectu tuo, nam pro « vanitate, vaporem » edidit Symmachus. « Thesaurizat et ignorat cui congregabit » ea. » Quoniam in hoc mundo non vera vivimus vita, sed quasi in imagine : neque de iis quæ vere bona sunt curamus, ideo frustra conturbamur, dum in sæcularibus versamur desideriis, et thesauros colligimus, quorum ignoramus hæredes.

VII. « Et nunc quæ est expectatio mea, nonne Domi- » nus[3]? » Jure se spem in Dominum repositam ait habere, utpote qui distractiones hujus vitæ cognoscat. « Et subs- » tantia mea apud te est. » Id est expectatio, sive patientia.

VIII. « Opprobrium insipienti dedisti me[4]. » Ne tra-

[1] Psal. XXXVIII, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9.

das me, inquit, in opprobrium , eo quod tu in me sis qui opprobriis oneraris.

IX. « Obmutui et non aperui os meum quoniam tu » fecisti[1]. » Conviciis impetitus, inquit, tacebam, probe gnarus te esse qui me supplicii aut castigationis causa ad ejusmodi opprobria destinasti.

X. « Amove a me plagas tuas[2], » inflictas scilicet sibi pœnas a dæmonibus, a Deo esse dicit, utpote qui concesserit eum peccati causa torqueri. « A fortitudine manus » tuæ ego defeci[3]. » Plerumque jam ultricem virtutem manum Dei vocari memoravimus. Qui cum acriter flagellat, deficit qui castigatur, quatenus talis est, scilicet infirmus, qui non diu valeat verbera tolerare. « Verum- » tamen vane conturbantur. » Qui vivit in iniquitate, ita ut hujusmodi egeat institutione.

XI. « In increpationibus propter iniquitatem corri- » puisti hominem[4]. » Cum me, inquit, propter peccatum arguebas, me corripuisti.

XII. « Auribus percipe obsecrationem meam[5]. » Quasi dicat : Exaudi et concede mihi peccati veniam antequam moriar; id enim significat : « Quoniam advena » sum. Remitte mihi ut refrigerer. » Antequam moriar, ait, peccatorum veniam concede, ut cum fiducia in infernum sive in sepulcrum descendam. « Et amplius non » ero. » Scilicet talis qualis essem ex tua mihi collata remissione. Remissio autem Dei, est animæ tranquillitas cum vera rerum cognitione.

[1] Psal. XXXVIII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12. — [4] Ibid. 13. — [5] Ibid. 14.

PSALMUS XXXIX.

In finem psalmus David [1].

ARGUMENTUM.

Refertur canticum ex persona novi populi de lacu miseriæ reducti. Postea inducitur Christi persona, qui eos qui gratiis agendis vacant œconomiæ modum edocet. Deinde credentium ex Israële persona introducitur, rogantium remitti sibi peccatum incredulitatis, atque una enarrantium quæ sibi mala ob infidelitatem evenerunt.

I. « Expectans expectavi Dominum, et intendit » mihi [2]. » Simile huic : « In patientia vestra possidebitis » animas vestras [3]. »

II. « Et eduxit me de lacu miseriæ et de luto fæcis [4]. » Ex profundo peccatorum quæ luti instar iis detentos conspurcant. Lacus enim miseriæ est malitia et ignorantia. Ecquid tibi præbuit? postquam me exaudivit, ait, eduxit ex profundo peccati et ex voluptate lutei corporis, sive ex portis mortis et corruptionis ibidem existentis, aut ex occupationibus sæculi. « Et statuit super » petram pedes meos, et direxit gressus meos. » Ait Apostolus Paulus : « Petra erat Christus [5]. » Didici enim in Deo placita incedere via, id est per opera et rectam doctrinam.

[1] Psal. xxxix, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Luc. xxi, 19. — [4] Psal. xxxix, 2. — [5] 1 Cor. x, 13.

III. « Et immisit in os meum canticum novum, hym- » num Deo nostro[1]. » Legem evangelicam : cum enim passionibus vacamus, canimus canticum novum renovata scilicet nostra domo. « Videbunt multi et timebunt, et » sperabunt in Domino. » Prædicatio enim per totum pervasit orbem.

IV. « Beatus vir cujus est nomen Domini spes ejus, et » non respexit in vanitates et insanias falsas[2]. » Postea in cohortationem aliud adjicit. Beatus, inquit, revera, qui Deum solum habuit in spem suam, neque respexit ad præsentis vitæ sollicitudines, quæ vanitates sunt et insaniæ falsæ, et curæ in vanum admissæ. Insania autem prudens, est vitæ præsentis status, qua, mente capti multis videbantur esse Prophetæ, qua de re gloriatur justus et ait : « Ego dixi in excessu meo. »

V. « Multa fecisti tu Domine Deus mirabilia tua[3]. » Quæ fecisti, inquit, œconomiæ tempore, multa sunt atque mirabilia : quæ aliis quoque renuntiavi. Prædicatio autem totum, inquit, pervasit orbem, ut major sit credentium numerus quam qui iniri possit.

VI « Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem » aptasti mihi etc[4]. » Hinc ipsius persona Christi Patrem alloquentis inducitur : Quandoquidem ait sacrificium et oblationem noluisti, neque placuerunt tibi holocausta secundum legem oblata; venio postquam corpus accepi quod tu mihi aptasti. Nam Spiritus sanctus et virtus Altissimi obumbravit sanctæ Virgini. Venio autem « ut fa- » ciam voluntatem tuam[5]. » Quæ autem voluntas Patris erat, nisi ea quam ipse Dominus enarravit dicens : « Hæc » est autem voluntas ejus qui misit me, ut omne quod » dedit mihi non perdam ex eo; sed resuscitem illud in

[1] Psal. XXXIX, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 8.

» novissimo die[1]. » Illud autem, « in capite libri, » hanc habet interpretationem. Caput Hebræi, tomum appellant. Hesaïas vero incarnationis Unigeniti mysterium edoctus, audivit : « Accipe tomum novum, et scribe in » ipso stylo hominis[2]. » Contingit autem non in tabulis lapideis, sed carnalibus describi præcepta novæ legis, quemadmodum ait ille per Jeremiam Prophetam : « Dans » dabo leges meas in mentem ipsorum, et in corde eo» rum describam eas[3], » ut declaret futurum ut Ecclesia in intimis et intelligibilibus cordis receptaculis novam legem recipiat, et mandata ardenter diligat.

VII. « Annuntiavi justitiam in Ecclesia magna[4]. » Ecclesia magna est quælibet anima quæ per omnes gentes Salvatori credidit, quæ etiam justificatur, eum habens qui justificat impium. « Justitiam tuam non abscondi in » corde meo[5]. » Justitiam ab ipso prædicatam intelligit, quæ est supra legem et umbram. Illud autem, « tu scisti, » positum, pro tibi proprium fecisti. « Veritatem tuam et » salutare tuum dixi. » Non silui neque retinui in memetipso veritatem tuam. Veritatem autem ait, evangelicam prædicationem. Neque salutare tuum abscondi, id est, salutis abs te datæ viam, sive gratiam quæ per fidem obtinetur. Concilium autem multum ait Ecclesiam ex Israële et ex gentibus congregatam. Revelat quippe Dominus naturæ rationali sermones de misericordia et veritate, et sermones de salute. Et sermones quidem de veritate inveniet homo in contemplatione ; sermones autem de salute, in actione.

VIII. « Tu autem, Domine, ne longe facias miseratio» nes tuas a me[6]. » Postquam docuit Christus œconomiæ mysterium, inducit Israëlis personam, qui in increduli-

[1] Joan. VI, 40. — [2] Esai. VIII, 1. — [3] Jerem. XXXI, 33. — [4] Psal. XXXIX, 10. — [5] Ibid. 11. — [6] Ibid. 12.

tate permansit. Ut autem, quoniam, misericordiæ Dei non obtemperavit, neglectus a Deo est, et nullis non affectus est malis; resipiscit, et pœnitentia motus rogat ut ex misericordia secum agatur. Significatur autem Judæorum vocatio extremis temporibus futura. « Misericordia » tua et veritas tua semper suscipiant me. » Confitemur, ait, te olim fuisse qui nos servabas, et præsidio nobis eras. Et olim salutem consecuta Dei Ecclesia rogat iterum Dei providentiam et auxilium, adversus multiplices hominum atque dæmonum irruptiones, quarum memoriam in sequentibus agit.

IX. « Quoniam circumdederunt me mala quorum non » est numerus[1]. » Mala recenset quæ ipsis secundum suam erga Christum infidelitatem obvenerunt. « Multi» plicatæ sunt super capillos capitis mei, et cor meum » dereliquit me. » Perinde est ac si diceret. Similis fui eis qui nec mentem nec cor habent. Factus est enim populus stultus et insipiens.

X. « Avertantur retrorsum et erubescant qui volunt » mihi mala[2]. » Aut adversus spirituales inimicos exclamant, aut adversus scribas et Pharisæos, qui saluti animæ ejus insidiabantur de Christo dicentes, modo, « non ejicit » dæmonia nisi in Belzebul, » modo, « dæmonium ha» bes, quis te quærit interficere[3] ? »

XI. « Ego autem mendicus sum et pauper, Dominus » sollicitus erit mei[4]. » Israël ille olim admodum ferox ad pœnitentiam versus, sese pauperem et mendicum vocat. Et adjungit se Dominum spem habere suam.

XII. « Adjutor meus et protector meus tu es, Deus » meus ne tardaveris. » (*Dan. Barbarus :* Hunc exitum, inquit, habebit Ecclesia, ut quæ prius pauper fuit et in mundo inopia graviter premeretur, tandem potentia tua

[1] Psal. XXXIX, 13. — [2] Ibid 15. — [3] Matth. XII, 24. — [4] Psal. XXXIX, 18.

ditetur, et auxilio tuo gloriosa reddatur, quod petit ne in longum protrahatur, et propter ejus petitionem nihil morabitur, juxta illud quod dicitur : « Veniens veniet et non » tardabit[1]. »)

PSALMUS XL.

In finem Psalmus David[2].

ARGUMENTUM.

Præsens psalmus beatos prædicat eos qui crediderunt in ipsum Christum, qui sane fidei præmia ipsis tribuit, suum scilicet auxilium. Inducitur autem ipsa Salvatoris persona maledicens Judaïci populi principibus, maxime autem omnium, proditori.

I. « Beatus qui intelligit super egenum et pauperem[3]. » Beatus vir ille, qui de pauperibus uti consentaneum est, cogitat ac si diceret, qui intelligere valet inopiam, quam nostri causa suscepit Christus. Egenum et pauperem Christum vocat, juxta id quod dictum est : « Dives cum » esset inops propter nos effectus est[4]. » Moralem hoc loco doctrinam præmisit prophetiæ, ut ex psalmo utilitas utrinque proveniret. Ecquem beatum prædicat? Eum qui intelligit super egenum et pauperem : videlicet eum qui cogitat, quod hujus gratia Christus dives cum esset pauper effectus est, ut nos quoque pauperum utpote fratrum creatoris et judicis nostri misereremur. Ecquod amoris

[1] Habac. II, 3. — [2] Psal. XL, 1. — [3] Ibid 2. — [4] 2 Cor. VIII, 9.

erga pauperes lucrum? « In die mala liberabit eum Domi- » nus. » Significat autem judicii diem, quæ dolores peccatoribus atque labores inferet. Liberabit Dominus qui lux est pauperum amantes. Nam debitor illis est humanitatis atque officii, quippe cum ab illis eleemosynam sit mutuatus, nam per Salomonem dixit : « Qui miseretur » pauperis fœneratur Deo[1], » et suopte ore : « In quan- » tum fecistis uni ex his minimis meis, mihi fecistis. In » die mala liberabit eum Dominus[2]. » Diem malam tentationum impetum dicit et inimicorum vexationes. Adumbrat autem, opinor, judicii diem, terribilem sane, improborumque ultricem. Pollicetur autem puram illius paupertatis cognitionem, horribilis illius diei malis ipsum liberaturam.

II. « Dominus conservet eum et vivificet eum, et bea- » tum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam » inimicorum ejus[3]. » Inimicorum spiritualium videlicet.

III. « Universum stratum ejus versasti in infirmitate » ejus[4]. » Ad meliora, ait, transferetur, et revertetur ad sanitatem. Mos enim divinæ Scripturæ versionem pro mutatione ponere, ut illud : « Convertisti planctum » meum in gaudium mihi[5]. »

IV. « Ego dixi, Domine miserere mei, sana animam » meam etc[6]. » Et pro peccato suo David orat, utpote qui in seipso unum conspiciat ex iis qui intelligunt super egenum et pauperem[7]. Rursum hominum peccata qui pro hominibus passus est sua esse dicit, et pro his misericordiam pro nobis in sese postulat, ac ignorantium contemptum solvit, suam exhibens gloriam; in se quidem per propriam virtutem, in nobis vero per gratiam Christi.

[1] Prov. XIX, 17.—[2] Matth. XXV, 40.—[3] Psal. XL, 3.—[4] Ibid. 4. —[5] Psal. XXIX, 12. — [6] Psal. XL, 5. — [7] Hæc sunt Apollinarii.

V. « Inimici mei dixerunt mala mihi[1]. » Hinc persona inducitur Christi, narrans quæ sibi a Judæis illata sint mala. Usque ad præsentem versum, æstimandum de tota Ecclesia catholica sermonem habuisse Prophetam, ita ut proborum cuilibet potius conveniat quam Dominico homini[2]. Non enim, ut arbitrantur, de ipso solo superius locutus est : neque enim cum articulo dixisset, « Beatus ille » qui intelligit super egenum et pauperem. » Nam dictum sine articulo, quemdam et specialem significaret. Post hæc ab aliis Ecclesiæ membris transit ad ipsum Christum scilicet Dominum, qui dicit : « Inimici mei etc. » Quando morietur et peribit nomen ejus? » Gravis nobis est vel ipso conspectu.

VI. « Et si ingrediebatur ut videret vana loqueba» tur[3]. » Hæc ait de Juda. Id autem sibi vult. Cum aditus ei ad me esset, quia in discipulorum numero constitutus erat : erat bilinguis et negotiator : vana quippe loquebatur, id est verax, non erat. « Cor ejus congregavit » iniquitatem sibi. » Decreverat, inquit, me invidis tradere. « Egrediebatur foras et loquebatur in idipsum. » Illud nempe : « Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum » tradam[4]? »

VII. « Adversum me susurrabant omnes inimici mei[5]. » Derisiones atque insidias et conspirationes Judæorum adversum se structas significat, necnon occulta eorum consilia, principes sacerdotum cum Juda paciscentes indicans, qui susurrabant, pretium Jesu consonum cum Juda constituentes. « Susurrabant » scilicet, non ausi palam isthæc metu plebis agere.

VIII. « Verbum iniquum constituerunt adversum me[6]. » Illud scilicet : « Tolle, tolle, crucifige eum[7]. » Quod au-

[1] Psal. XL, 6. — [2] Dominicus homo vox Athanasiana. — [3] Psal. XL, 7. — [4] Matth. XXVI, 15. — [5] Psal. XL, 8. — [6] Ibid. 9. — [7] Joan. XIX, 15.

tem iniquum esset palam est ex illo : « Insontem et justum non occides. Numquid qui dormit non adjiciet » ultra ut resurgat[1] ? » Deridet Judæorum consilia, arbitrantium posse se illum per mortem abolere quasi unum ex nobis. Ille autem ait. Qui arbitramini posse vos morte vitam circumvenire? Somnus namque mihi passio est. Hinc consequitur arbitrari ipsum post dormitionem subsequi resurrectionem. Dormitio mors est : ergo mortem subsequetur resurrectio.

IX. « Etenim homo pacis meæ in quo speravi, qui » edebat panes meos magnificavit super me supplantationem[2]. » Ludibrium, insidias, dolum. Pacis hominem Judam vocat, quia videbatur inter benevolos et amicos ejus computari, et in discipulorum numerum adlectus fuerat.

X. « Tu autem, Domine, miserere mei, et ressuscita » me, et retribuam eis[3]. » Humano more propter humiliationem suam ad Patrem suum verba facit, etiamsi ille sit misericordia Dei et Patris, et resurrectio atque vita.

XI. « In hoc cognovi quoniam voluisti me[4]. » Rursum loquitur ut homo, ut seipsum offerat Deo et Patri. « Quoniam non gaudebit inimicus meus super me. » Si ex humanitatis persona hoc dicit Christus, inimicus plane intelligatur esse qui mortem nobis paravit. Sin quasi ex ipso Christo, Judæorum principes ait. Quod enim res ipsis permolesta fuerit, palam ex eo est quod ejus resurrectionem sint calumniati.

XII. « Me autem propter innocentiam suscepisti[5].» Qui omnium est patrocinium, sibi quoque patrocinium fuisse ait. Non quod ille quatenus Deus intelligitur eo indigeat : sed homo factus cum sit, pro hominibus verba facit.

[1] Exod. XXIII, 7. — [2] Psal. XL, 10. — [3] Ibid. 11. — [4] Ibid. 12. — [5] Ibid. 13.

XIII. « Benedictus Dominus Deus Israël a sæculo[1]. » Jam obsignat canticum in gratiarum actionem desinens. A præsenti, inquit, usque ad futurum. A præsenti igitur benedictio a nobis Deo oblata initium ducit, completurque in futuro : nam « ex parte cognoscimus et ex » parte prophetamus[2] » quare ex parte benedicimus : « cum autem venerit quod perfectum est, » inquit Paulus, « evacuabitur quod ex parte est. » Nam profectu ad meliora accedente, cessat quod ex parte est. Ideoque Psalmista adjunxit, *fiat, fiat,* et duplicat orationem. Siquidem beatum est, per fidem et alia bona opera benedictionem in Deum exordiri, atque ita illam coronare in futuro sæculo, ut impiis et infidelibus Deum illic laudare nullatenus concedatur. Sciendum autem nonnullos hanc psalmorum prophetiam in libros quinque dividere : atque ad hunc usque psalmum priorem constituere; quia in fine benedictionem in Deum ceu coronam habet. Unde etiam sic sequentes quatuor partiuntur.

PSALMUS XLI.

In finem ad intelligentiam filiis Core[3].

ARGUMENTUM.

Sacri fuere cantores filii Core, canunt autem canticum ab auctoribus acceptum, videlicet a Davide, quæ in postremis temporibus obventura essent significantes.

[1] Psal. XL, 14. — [2] 1 Cor. XIII, 9. — [3] Psal. XLI, 1.

Inducunt etiam ipsius Israëlis personam Christo per pœnitentiam confitentem, quam in consummatione sæculorum acturi sunt.

I. « Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, » ita desiderat anima mea ad te Deus[1]. » Rationabiles cervi, deficiente ipsis, peccatorum causa, spirituali fonte, noctu dieque suam perniciem deplorabant.

II. « Quando veniam et apparebo ante faciem Dei[2]? » Facies Patris Verbum. His significatur summe expetere illos eo tempore ante conspectum Dei occurrere quo vocati fuerint, ut compareant ante faciem Patris : quæ eadem ipsa est atque Filii. (1)

III. « In voce exultationis et confessionis sonus epulan» tis[3]. » Sibi ipsi prænuntiat futurum ut aliquando per Christum salutem et vitam consequatur, et in divina aula una cum aliis sanctis habitet.

IV. « Quare tristis es anima mea, et quare conturbas » me[4]. » Tristitiam reprehendit spe erga Christum munitus. Si servatum est, inquit, tempus, o anima mea, quo vocatio per fidem nostra introducet nos cum festum agentibus in tabernaculum illud, quare tristis es, et cur dolore maceraris?

V. « Propterea memor ero tui de terra Jordanis et Her-

(1) (*Huic versui sequens interpretatio aptatur, cum quadam discrepantia, sic :*)

Vultum Dei sermo significat, quod ii vehementi ejus temporis cupidine teneantur, quo tempore et ipsi advocabuntur; ita ut præsentes sint faciei Patris; id est, Filio.

[1] Psal. XLI, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6.

» moniim a monte modico.[1]. » Quandoquidem ait turbata est anima mea, dum mihi in memoriam revocabo mirabilia tua, cum ea quæ in Jordane, tum ea quæ in monte Ærmon ostendisti nobis, memetipsum consolabor. Aut hoc modo. Cum in Jordane fuerim, id est, sacro dignatus baptismate, statim tui recordabor ob confessionis verba. Recordabor quoque Hermoniim; Hermoniim autem explicatur, via lucernæ : quia sacrum baptisma viam ipsis aperit ad illuminationem.

VI. « Abyssus abyssum invocat. » Abyssus Pater, abyssus Filius. Abyssus peccatorum invocat abyssum commiserationis Dei, ut ipse peccatum frangat ejusque auctores, itemque corruptionem : ac si dicat : Mos est tibi, ut peccatoribus supplicantibus, animo flectaris. Ecquid nos despicis, qui tibi procumbimus?

« Abyssus abyssum invocat in voce cataractarum » tuarum[2]. » Alia itidem miracula revocant in mentem. Nam cum alienigenæ bellum moverent adversus eos, cum eorum causa oblatum a Samuële sacrificium fuisset, tanta demissa vis grandinis est, ut inimici prope omnes nemine pugnante caderent. Abyssum igitur super abyssum, grandinis vehementiam dicit : Illud autem, *invocat* pro *advocat* positum. Voces autem cataractarum, grandinis imbres intelligas. Alias vero cataractæ, Dei Prophetæ dicuntur. « Omnia excelsa tua et fluctus tui » super me transierunt. » Aliud item miraculum memoria repetit. Nam per mare, Pharaonis improbitatem fugientes, transierunt. Et videbantur ait fluctuum excelsa, id est, elationes in eos ferri. Sed nihil læsi sunt, nam aquæ ceu murus coagulatæ sunt.

VII. « In die mandabit Dominus misericordiam suam, » et nocte canticum ejus[3]. » Aliud memorat miraculum.

[1] Psal. XLI, 7. — [2] Ibid 8. — [3] Ibid 9.

Rapsaces enim cum Jerosolymam obsedisset; minabatur ne Deum quidem posse eripere eos de manu Assyriorum : at Deus hisce verbis pollicitus est : « Protegam hanc ur- » bem [1]. » Postea vero promissa complens, una nocte centum octoginta quinque millia Assyriorum occidit. Et hoc est quod dicit : « In die mandabit Dominus miseri- » cordiam suam. Oratio Deo vitæ meæ. » Utpote qui jam crediderit, quæ fidelibus congruentia verba sunt profert, suam vitam ascribens ipsi.

VIII. « Dicam Deo susceptor meus es [2]. » Populus ille qui pœnitentiam agit resumit supplicationem, magis magisque Deum evocans ad misericordiam.

PSALMUS XLII.

Psalmus ipsi David, qui apud Hebræos, caret inscriptione.

« Judica me Deus et discerne etc. [3] » Hic psalmus ejusdem est atque superior argumenti. Accedunt enim iterum Israëlitæ salutem per Christum partam postulantes. Quamobrem ait : « Emitte lucem tuam et veritatem tuam. » Futurum namque erat ut ipse in montem sanctum illos adduceret, id est ad cœlum et ad supernas mansiones, quæ tabernacula nuncupat; necnon ad spirituale altare : uturum item erat ut ipse lætificaret eorum juventutem. Juventutem autem vocat lætitiam quæ et renovat eorum animam. Quare in cithara pollicentur se illi confessionem oblaturos. Sæpe autem monuimus citharæ nomine corpus esse intelligendum.

[1] 4 Reg. xix, 33. — [2] Psal. xli, 11. — [3] Est brevis explicatio psalm. xlii.

PSALMUS XLIII.

In finem filiis Core ad intelligentiam.

ARGUMENTUM.

Hic quoque psalmus eidem argumento insistit, est que hominum, qui antiqua beneficia recensent et assumi postulant, quia ipsum Dominum spem sibi ascripserunt, et in nomine ejus confitentur.

I. « Deus auribus nostris audivimus[1]. Nunc autem repulisti, et confudisti nos. Et non egredieris Deus in virtutibus nostris[2]. » Olim, inquit, una nobiscum pugnabas. Nunc autem non modo non nobiscum procedis ad pugnam; sed etiam avertisti nos, ut inimicis etiam nostris direptioni simus. Hæc autem Prophetarum chorus dicit, quasi sibi proprias recensens populi calamitates.

II. « Et qui oderunt nos diripiebant sibi[3]. » Ad ignominiam, inquit, nos tradidisti.

III. « Et non fuit multitudo in jubilationibus nostris[4]. » Jubilatio, est victoriæ canticum. Sententia autem hæc est. Ita, inquit, nos abjecisti, ut et a paucis superemur, et qui victoriæ carmen contra nos edunt modico sint numero.

IV. « Posuisti nos opprobrium vicinis nostris[5]. » Quæcumque in Christum fecerunt, ipsis vicissim illata sunt : vituperarunt, vituperati sunt : irriserunt, irrisi sunt :

[1] Psal. XLIII, 1.—[2] Ibid. 10. — [3] Ibid 11. — [4] Ibid 13. — [5] Ibid. 14.

capita moverunt in eum, capita moverunt in illos alii.

V. « Tota die verecundia mea contra me est[2]. » Diuturna, inquit, et assidua fuit verecundia nostra.

VI. « Hæc omnia venerunt super nos nec obliti sumus » te[3]. » Jam diximus Prophetas esse qui ex populi persona supplicationes offerunt, quasi propria sibi reputantes mala ipsi peccatorum causa obvenientia.

VII. « Et declinasti semitas nostras a via tua[4]. » Hæc aiunt, quia cum erga Christum impie egissent, a sacrificio juxta legem offerendo cohibiti sunt.

VIII. « Quoniam humiliasti nos in loco afflictionis[5]. » Hoc ait quia de insurgentibus malis quid æstimaret non haberet : Et coarguisti nos ob admissum in mundo peccatum. « Et cooperuit nos umbra mortis. » Tenebras significat infidelium cordibus circumfusas.

IX. « Si obliti sumus nomen Dei nostri[6]. » Hoc aiunt, quia scilicet a postremo suo lapsu non ulterius idola coluerunt, aut rursum ceu ex persona Prophetarum.

X. « Quia propter te mortificamur tota die[7]. » Simile huic est : « lapidati sunt, secti sunt, in occisione gladii » mortui sunt[8]. » Quemadmodum autem populi peccata sibi propria faciunt; ita et sua bona quasi ad populi personam referunt, ac si unum corpus omnes sint. Vel hoc modo : ob nostram in te, ait, infidelitatem in tantum ruimus mali, ut similes simus hominibus mortis sententiam ferentibus, atque ovibus ad occisionem ductis.

XI. « Exsurge, quare obdormis, Domine[9]. » Magnam Dei tolerantiam qua eorum peccata ferebat, somno comparant. « Exurge et ne repellas in finem. » Exurge ait, non ut immutet habitum : divinum enim quodlibet est habitus et figuræ expers; sed ut virtutem suam ad nos-

[1] Psal. XLIII, 16. — [2] Ibid. 18. — [3] Ibid. 19. — [4] Ibid. 20. — [5] Ibid. 21. — [6] Ibid. 22. — [7] Heb. XI, 37. — [8] Psal. XLIII, 23.

trum moveat auxilium : « Et ne repellas in finem, » nec inferentes, neque patientes mala. Ut ne ii qui patiuntur, quasi tentationibus prorsus dediti labantur : neque ii qui mala inferunt diuturna Judicis tolerantia audaciores effecti, magis magisque iniquitatem augeant. Rogant id gratiæ sibi tribuatur, ut adveniat Christus in novissimis temporibus, ne vitæ ejus sint expertes.

XII. « Humiliata est in pulvere anima nostra. » Ita loquuntur, quia depulsi a sensu eorum quæ Christi sunt, in sensum carnalem sunt delapsi. « Adhæsit in terra venter noster[1]. » Hæc dicunt, quando a sensu et cogitatione eorum quæ Christum spectant aversi, in carnalem sensum deciderunt.

XIII. « Exurge Domine adjuva nos[2]. » Patrocinare, inquit, nobis, et da veram fidem profitentibus tempus ad conversionem.

PSALMUS XLIV.

In finem, pro iis qui commutabuntur, filiis Core, ad intellectum, canticum pro dilecto[3].

ARGUMENTUM.

Præsens canticum dilecto David offert, scilicet Christo, qui novissimis diebus venit et commutationem effecit, id est conversionem ex idololatria ad veram religionem. Meminit item filiorum Core, personam ad Apos-

[1] Psal. XLIII, 25. — [2] Ibid. 26. — [3] Psal. XLIV, 1.

tolos transferens. Hæc autem omnia intelligere nos oportet, quæ causa est quod, « ad intellectum, » psalmus inscribatur.

I. « Eructavit cor meum verbum bonum[1]. » Hoc Pater ait de Filio : genitus namque est Deus ex Deo. « Dico ego opera mea Regi. » Quatenus rex est utpote Deus per incarnationem imperium inisse dicitur; sic et ea quæ naturaliter novit utpote Deus, ea item dispensatione quadam audire dicitur propter humanitatem. « Lin» gua mea calamus scribæ velociter scribentis. » Quem dixit verbum, eumdem et linguam vocat suam. Calamus porro scribæ velociter scribentis vocatur, quia quidquid dicit ac jubet statim efficitur, ut illud : « Volo, mun» dare, et statim sanatus est[2] : » et, « Adolescens tibi » dico, surge; et statim surrexit[3]. » Immo etiam illud : « Verbum abbreviatum faciet Deus in toto orbe[4]. »

II. « Speciosus forma præ filiis hominum[5]. » Comparationem boni Spiritus videre est ex iis quæ Joannes inquit : « Lex per Moysen data est, gratia autem et veritas » per Jesum Christum facta est[6]. » Præstans enim quoque Mosis calamus, qui legem nobis in pædagogum descripsit, sed non talis qui nomina nostra scriberet in cœlis. « Diffusa est gratia in labiis tuis : » Dulciloquus namque Dominus noster est, qui ait : « Ego veni ut vitam » habeant, et abundantius habeant[7] : » et, « Ego sum » panis qui de cœlo descendit[8] : » et, « qui dat vitam » mundo. »

III. « Accingere gladio tuo super femur tuum poten» tissime.[9]. » Ad pugnam nostri causa committendam excitat Unigenitum. Deinceps quoniam militarem ipsi

[1] Psal. xliv, 2. — [2] Matth. viii, 3. — [3] Luc. vii, 14. — [4] Esai. x, 23. — [5] Psal. xliv, 3. — [6] Joan. i, 17. — [7] Ibid. x, 10. — [8] Ibid. vi, 41. — [9] Psal. xliv, 4.

habitum dedit, postquam gladium dixit, femur insuper commemorat. Ad eum namque, utpote Deum, gladius pertinet, nec extrinsecus affertur : siquidem potentissimus ille est, id est, potestatum Dominus, quod illi secundum naturam competit. Est autem speciosus iis qui norunt adventum ejus, quique pulchritudinem ejus, mundanam omnem exuperantem, possunt intelligere. Femori ille suo gladium apposuit, ut minas infidelibus intentaret, necnon manipulis adversariorum. De infidelibus itaque psalmus dicit : « Nisi conversi fueritis gladium » suum vibrabit[1]. »

IV. « Specie tua et pulchritudine tua[2]. » Species et pulchritudo militis illius, est deitas ejus, et præstantia qua omnes exuperat. « Intende, prospere procede et regna. » Intende, inquit, arcus tuos, prospere procedere facito eos qui a te justificati fuerunt, in quos, ait, regnas, postquam liberasti eos a tyranno. Indicat spiritualem esse victoriam. Postquam enim arma commemoravit, de mansuetudine mentionem facit. Mansueti autem est, illatas sibi injurias dimittere. « Et deducet te mirabiliter » dextera tua. » Quando enim gladium memoravit, consequenter etiam de dextera loquitur. Dextera autem ejus sunt, dextera sive genuina consilia, queis usus peccati impetum non excepit.

V. « Sagittæ tuæ acutæ, o potens[3]. » Sagittas vocat sanctos Apostolos, qui etiam lethalia vulnera inflixere in cor inimicorum Regis regum. Hæc porro tela quæ spirituales inimicos in corde vulnerarunt, orbem potuerunt Christi pedibus submittere, et jugo regni ejus subjicere. Cæterum hi versus per hyperbaton dicuntur, ut sonent : sagittæ tuæ acutæ, o potens, in cordibus inimicorum Regis.

[1] Psal. VII, 13. — [2] Psal. XLIV, 5. — [3] Ibid 6.

VI. « Thronus tuus, Deus, in sæculum sæculi[1]. » Qui vocati per Apostolos sunt confitentes Unigeniti deitatem aiunt : « Thronus tuus Deus in sæculum sæculi. Virga » directionis virga regni tui. » Directio in divinis scripturis justitiam significat. Ait igitur, quibus imperat Christus in via justitiæ incedere ediscent.

VII. « Dilexisti justitiam et odisti iniquitatem[2]. » Quandoquidem hominum natura, mutationem perpessa, deserendo justitiam dilexit iniquitatem ; ideo Unigenitus factus homo est, ut in se humanam corrigens naturam, id efficeret ut diligeret justitiam et odio haberet iniquitatem : atque isthæc fuit incarnationis causa. Quamobrem ait : « Propterea unxit te Deus. » Propterea, quare ? nisi ut qui tui participes essent exultarent, utpote qui ex misericordia tua id consecuti sint ut diligerent justitiam et odio haberent iniquitatem. « Propterea unxit » te Deus, Deus tuus. » Ideo inunxit te Deus, Deus tuus, inquit : illud enim unxit, inunxit interpretatur. Hujus autem loci interpretatio superius ad hæc verba, « Dilexisti » justitiam, » adjuncta fuit.

VIII. « Myrrha et gutta et casia a vestimentis tuis[3]. » Vestimenta Unigeniti probe intelligantur virtutes, magnificentia, gloria, juxta illud : « Dominus regnavit de» corem indutus est, indutus est Dominus virtutem et » præcinxit se[4]. » Isthæc igitur gloria et magnificentia ejus, boni nobis odoris fuit, et quasi genus omne odoramenti et incensi : juxta illud alibi dictum : « Unguentum » effusum nomen tuum[5] : » et illud : « in odorem un» guentorum tuorum curram[6]. » Est autem stacte, sive gutta, myrrhæ genus tenuissimum. Nam contrito aromate, quidquid fluidum in illo habetur in stacten sive guttam

[1] Psal. XLIV, 7. — [2] Ibid 8. — [3] Ibid 9. — [4] Psal. XCII, 1. — [5] Cant. I, 2. — [6] In aliis catenis hæc Basilii esse dicuntur — [7] Cant. I, 3.

dividitur : quod crassius residuum est, myrrha vocatur. Casia autem est cortex tenuissimus, odoratissimus, qui ligneos surculos obtendit. « A domibus eburneis ex qui» bus delectaverunt te. » *Domus*, ædes splendidæ et magnifice structæ atque templa dicuntur. *Eburneas* autem dicit, ceu affabre elaboratas ac pulcherrimas. Reges vocat sanctos Apostolos qui una cum Christo regnant. Filias autem eorum, animas quæ ipsorum opera ad Dei cognitionem regeneratæ sunt, quæ corda sua in templa concinnant ornatissima in Dei honorem, atque delectant ipsum. Perinde igitur est ac si diceret. Delectaberis, o Domine, a domibus eburneis, quas in honorem tuum filiæ regum adornarunt. « Astitit Regina a dextris tuis in » vestitu deaurato. » Regina quidem Ecclesia est, utpote Regi magno desponsata. Collocatio autem a dextris, honorem significat quo fruetur in futuro sæculo. Vestitus autem pretiosus sunt, fides, spes, caritas. Sed et aliud splendidius vestimentum habet, ipsum scilicet Christum. « Quicumque enim, ait, in Christum baptizati estis, » Christum induistis[1].

IX. « Audi, filia, et vide[2]. » Rursus ceu ad Ecclesiam sermo est. « Et obliviscere populum tuum et domum pa» tris tui. » Nemo quippe purus ad Christi fidem accedit, nisi præteritorum malorum memoriam omnino aboleat. Populus autem Ecclesiæ olim erant idololatræ. Domus autem patris ejus sapientes sæculi, in quibus quasi in domo inhabitat Satanas. « Et filia Tyri in muneribus. » Ab una Tyriorum gente, gentium vocationem significat. Tyrios autem memoravit, quia ipsi potissimum piæ institutionis inimici essent.

X. « Vultum tuum deprecabuntur divites plebis[3]. » Hoc ait Evangelium regibus prædicans, et optimatibus :

[1] Gal. III, 17. — [2] Psal. XLIV, 11. — [3] Ibid. 13.

Adora Ecclesiam sive ejus Dominum. « Omnis gloria filiæ » Regis ab intus, in fimbriis aureis [1]. » Pietatem voce, *ab intus,* significat : spiritualis namque est ornatus Ecclesiæ. Fimbrias autem dicit multiplices specie virtutes.

XI. « Adducentur Regi virgines post eam [2]. » Simile huic. « Rapiemur in nubibus obviam Domino in aëra [3]. » Rursum per virginem Ecclesiam indicat : Despondi enim vos virginem puram exhibere Deo. « Proximæ ejus afferentur tibi [4]. » Nam virginitati proxima est continentia. Quotquot igitur animæ se continent a malis actibus, ipsæ quoque una abducentur. Quæ abducuntur autem lætitiam et exultationem consequuntur. « Adducentur » in templum Regis. » Cœleste videlicet.

XII. « Pro patribus tuis nati sunt tibi filii[5]. » Quoniam dixerat illi, obliviscere patris tui, modo dicit, *pro patribus* quondam, tuis, id est, pro magistris erunt tibi filii. Filios porro sanctos Apostolos dicit, juxta illud a Domino dictum : « Filii vestri in quo ejiciunt [6] ? » Aut etiam eosdem Ecclesiarum duces, qui facti sunt Ecclesiæ filii, et constituti a Domino Jesu sunt principes super omnem terram, juxta id quod dictum est : « Euntes docete omnes gentes. » Constitues eos principes super omnem » terram, memores erunt nominis tui in omni generatione et generatione [7]. » Per divinas videlicet scripturas : in sacris namque syllabis memoratur nomen Domini.

XIII. « Propterea populi confitebuntur tibi in æternum [8]. » Per prædicationem scilicet : sermo autem est ceu ad Christum. Eo quod ipsi per Scripturas commemorent mirabilia Dei quæ edidit a generationibus antiquis, et doceant generationes venturas.

[1] Psal. XLIV, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] 1 Thess. IV, 16. — [4] Psal. XLIV, 16. — [5] Ibid. 17. — [6] Luc. XI, 19. — [7] Matth. XXVIII, 19. — [8] Psal. XLIV, 18.

PSALMUS XLV.

In finem, filiis Core, pro arcanis.

ARGUMENTUM.

Gentium vocationem, spiritualem inimicorum depulsionem, eorumque in abyssum detrusionem significat præsens psalmus. Quandoquidem autem isthæc ceu per parabolas dicta sunt; jure « pro arcanis » inscribitur psalmus. Canunt autem illum qui in Christum crediderunt, et maxime omnium Apostoli ejus.

I. « Deus noster refugium et virtus [1]. » Hoc ait ob insurgentes adversum ipsos spiritualium et sensibilium inimicorum opera persecutiones. « Adjutor in tribulatio- » nibus. » Quoniam, inquit, te adjutorem habemus, quamcumque nobis imminentem persecutionem despiciemus. « Propterea non timebimus dum turbabitur terra [2]. » Quoniam te adjutorem habemus, inquit, quamcumque adversum nos insurgentem perturbationem despiciemus. Turbabatur namque tota terra, cum prædicatio inchoaretur : dum ii qui in infidelitate perseverabant, adversus eos qui crediderant insurgerent. « Et transferentur mon- » tes in cor maris. » Cor maris abyssos vocat : montes autem adversarias potestates. Cum futurum esset ut dæmones dejicerentur in abyssum, excitabant ii adversus fideles bellum. Sed ejusmodi inimicos nequaquam re-

[1] Psal. XLV, 1.— [2] Ibid. 3.

formidabimus inquit. Aut montes Dæmones dicit, qui olim excelsi ac conspicui erant, ac proinde montibus similes.

II. « Sonuerunt et turbatæ sunt aquæ eorum [1]. » Aquas hic dicit multitudinem populorum, quos prædicationis novitas perturbavit. « Conturbati sunt montes in » fortitudine ejus. » Vis, inquit, ejus qui prædicabatur impuros dæmones commovit, olim superbos et conspicuos, atque ideo montibus similes dictos.

III. « Fluminis impetus lætificat civitatem Dei [2]. » Flumen evangelicum verbum appellat, quod lætificat Ecclesiam. « Sanctificavit tabernaculum suum Altissi» mus. » Sanctus enim est qui in sanctis requiescit, habitans in sanctis, id est in Ecclesia.

IV. « Deus in medio ejus, et non commovebitur [3], » in medio Ecclesiæ videlicet. « Adjuvabit eam Deus mane » diluculo. » Id ait quod declinet diluculum ad matutinum. Illud autem : *adjuvabit eam*, personam Ecclesiæ respicit, quam hic repræsentant Apostoli, et qui per successionem ejus sunt præfecti, quos impense roborat, ut possint prædicationi operam navare.

V. « Conturbatæ sunt gentes et inclinata sunt regna [4]. » Pugnaverunt quidem, ait, gentes adversus Ecclesiam; sed tamen earum reges inclinati sunt, id est superati et terga dederunt; verum postremo et ipsi Christo cervicem submisere. Dicit enim Ecclesiam celeriter constructum iri ab iis qui eam diruerant. Nam pulcherrimis eam donis auctam in sublime extulerunt. « Dedit vocem suam » altissimus et mota est terra. » Christus scilicet in cruce « Vocem suam, » evangelicum scilicet sermonem. Si namque anima rationalis vocem Domini audierit, com-

[1] Psal. XLV, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7.

movetur, transitque ab improbitate ad virtutem et ab ignorantia ad Dei notitiam.

VI. « Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster » Deus Jacob [1]. » Victoriam adversus spirituales hostes partam ipsi Domino ascribit. Opportune autem hic Jacobi mentio habetur ob luctam cum eo habitam.

VII. « Venite et videte opera Dei, quæ posuit prodi» gia super terram [2]. » Pacem prædicatione initam significat, cum ait bellum omne in terra finem habuisse. *Prodigia* autem dicit cessationes et compressiones. Cessare fecit enim omne bellum.

VIII. « Arcum conteret et confringet arma et scuta » comburet igni [3]. » Arcum, telum, et scutum, pessimum indicant statum, et perversas cogitationes.

IX. « Vacate et videte quoniam ego sum Deus [4]. » Nisi quis enim mundanam omnem curam abjiciat non potest nosse Deum. Vacatione enim opus est ad Dei cognitionem. « Exaltabor in gentibus, exaltabor in terra. » Prædicationis adversus omnes gentes victoriam ipsis pollicetur.

« Dominus virtutum nobiscum, susceptor noster Deus « Jacob [5]. » Qui in Christum crediderunt gratiarum actiones duplicant.

[1] Psal. XLV, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 11. — [5] Ibid. 12.

PSALMUS XLVI.

In finem pro filiis Core [1].

ARGUMENTUM.

Canitur hic psalmus, ex persona sanctorum Apostolorum, qui gentes hortantur ut per bona opera exultent de parta adversus scelestos dæmones victoria.

I. Omnes gentes plaudite manibus [2]. » Quasi dicat, opera bona facere studete. « Jubilate Deo in voce exultationis. » Victoriæ carmen hic psalmus est. Itaque utpote lapsis adversariis potestatibus, ad canendum gentes concitat.

II. « Quoniam Dominus excelsus terribilis [3]. » Excelsus propter Ecclesiam, terribilis contra hostes. « Rex » magnus super omnem terram. » Non ultra, inquit, improbi, terrenis imperant. Dedit enim eis, (nempe discipulis) potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et ipsam improborum dæmonum turbam pedibus eorum subjecit.

III. « Subjecit populos nobis, et gentes sub pedibus « nostris [4]. » Gaudent de concessa sibi a Domino sorte. « Elegit nobis hæreditatem sibi [5]. » Ecqua fuerit hæreditas Domini nisi ea de qua dicitur a Patre : « Postula a » me et dabo tibi gentes hæreditatem tuam [6] ? » Speciem Jacob vocat ejus de gentibus prophetiam, de qua dicit :

[1] Psal. xlvi, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4. — [5] Ibid. 5. — [6] Psal. ii, 8.

« Et ipse erit expectatio gentium [1]. » Ipsa quoque dilecta est. Eccui dilecta est alii, nisi ei qui animam suam pro ea posuit? Hanc itaque dilectam elegit.

IV. « Ascendit Deus in jubilo [2]. » Hisce significatur Domini ad cœlos ascensus. « Dominus in voce tubæ. » Laudes ab iis qui una ascendebant ipsi datas vocem tubæ vocat.

V. « Psallite Deo nostro, psallite Regi nostro, psal- » lite [3]. » Quoniam Angeli, inquit, ascendentem in cœlum hymnis prosequuntur, et vos etiam, o gentes, idem observantes ministerium, psallite Deo terræ imperanti. Eorum enim qui læto secundum Deum animo sunt est psallere. « Læto, *inquit*, animo quis est in vobis? » psallat [4]. Psallite sapienter [5]. » Non cum citharis, ut ii qui ante fuere; id enim significat illud « sapienter. »

VI. « Regnabit Deus super gentes [6]. » Fidem namque ejus acceperunt. « Deus sedet super sedem sanctam suam. » Futurum ejus adventum significat quo sedebit ut judicet orbem.

VII. « Principes populorum congregati sunt cum Deo » Abraham [7]. » Simile est illud : « Sedebitis super duo- » decim thronos judicantes duodecim tribus Israël. Quo- » niam Dei fortes terræ vehementer elevati sunt. « In terra, inquit, mansuetorum quæ sanctis assignabitur, fortes Dei vehementer exaltati sunt, et gloria mirum in modum aucti, ut edidicimus ex ea sententia : « Sedebitis » super thronos duodecim [8]. »

[1] Gen. XLIX, 10. — [2] Psal. XLVI, 6. — [3] Ibid. 7. — [4] Jacq. III, 13. — [5] Psal. XLVI, 8. — [6] Ibid. 9. — [7] Matth. XIX, 28. — [8] Ibid.

PSALMUS XLVII.

Psalmus cantici, filiis Core, secunda Sabbati [1].

ARGUMENTUM.

Hic quoque psalmus ex persona sanctorum Apostolorum canitur, narrantium vexationes ob prædicationem illatas, et victorias de iis partas.

I. « Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate » Dei nostri, in monte sancto ejus [2]. » Non jam in sola, inquit, Judæa, sed in monte sancto. Montem autem hic dicit Ecclesiam, ob sublimem de Deo doctrinam.

II. « Fundatur exultatione universæ terræ [3]. » Extendit, inquit, exultationem per omnem terram : nam in omnem terram pervasit exultatio ejus manifestationis, et gratiam dilatavit. « Montes Sion latera Aquilonis. » Jerusalem ad meridiem sita est : gentes ad Aquilonem. Quoniam autem Judæi, utpote soli montem Sion incolentes magnifice sentiebant, hic ostenditur Sion esse gentes evangelicum sermonem excipientes. Nam Sionis sedes est boreæ climatus, qui boreæ climatus per latera significatur : nam ubi dicturus erat boreæ climatus, latera Aquilonis dixit. Et prius quidem Paulus fuit latera Aquilonis, a quo universa mala per orbem conflagrarunt; jam vero factus est montes Sion, habens in sese loquentem Christum, qui avertit impietatem ex Jacob. « Civitas Regis magni. » Hæc latera Aquilonis, ait, sive

[1] Psal. XLVII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

gentes, civitas jure vocentur, in quibus Deus intelligitur iis patrocinari et eos a tentationibus eripere.

III. « Deus in domibus ejus cognoscitur, cum suscipit » eam [1]. » Domus ii fuerint qui magni et præstantiores in civitate Dei sunt.

IV. « Quoniam ecce reges terræ congregati sunt [2]. » Bellum Apostolis ob Christi prædicationem a Regibus gentium illatum, sive ab inaspectabilibus dæmonibus qui olim regnabant, compressum et sublatum fuit.

V. « Ipsi videntes sic admirati sunt [3]. » Stupore, inquit, affecti et perculsi sunt, auxilium cernentes sanctis a Deo præstitum. « Conturbati sunt, commoti sunt, tremor ap- » prehendit eos [4]. » Etenim præstantia virtutis ejus qui salutem ipsis parabat, in admirationem et stuporem conjecit eos.

VI. « In spiritu vehementi conteres naves Tharsis [5]. » Navibus Tharsis, utpote pretiosis copiosisque mercibus instructis, reges comparat. Spiritus autem vehemens, quo contrivit illos, virtutes quasdam intelligas quibus adversus inimicos Apostolorum dimicavit.

VII. « Sicut audivimus ita et vidimus [6]. » Quam, inquit, promisisti nobis, Domine, salutem, eam per opera vidimus. « In civitate Domini virtutum, in civitate Dei » nostri. » Significat quo loco promissionem impletam viderint. Ubinam autem, nisi in Ecclesia quæ est civitas Dei? « Deus fundavit eam in æternum. » Simile illi dicto Domini : « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam » meam [7]. »

VIII. « Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio » templi tui [8]... Quasi dicat, contemplati sumus, expectavimus in universa terra nomen Dei glorificatum iri,

[1] Psal. XLVII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 8. — [6] Ibid. 9. — [7] Matth. XVI, 18. — [8] Psal. XLVII, 10.

conjectantes, et misericordia Dei non contemnendos eos qui extra Israëlem essent, qui et in loco et in templo constituti, misericordiam in universum orbem tuam speravimus : gnari nomen tuum ad omnes pertingere et in omnibus esse.

IX. « Secundum nomen tuum Deus, ita et laus » tua[1]. » Hoc ait quia omnibus simpliciter et absque personarum acceptione gratiam largitus est, ut dictum est, « In Christo Jesu non est servus, neque liber [2]. »

X. « Lætetur mons Sion. » Mons Sion[3], Ecclesia videlicet. « Et exultent filiæ Judææ. » Filias Judææ animas esse dicit Apostolorum, erant enim a Judæis prognati. « Propter judicia tua, Domine. » Cum judicasses videlicet gentium causam, depulisti dæmonum bellum adversus eos excitatum.

XI. « Circumdate Sion et complectimini eam [4]. » Hæc Spiritus sanctus jubet Apostolis, ut scilicet sint veluti murus Sionis; id est religiosi vitæ instituti. Divinas potestates, quæ Ecclesiam et religiosum institutum servant, Angelosque sanctos alloquitur Spiritus sanctus, dicens, circumdate turres. Quæ enim in urbe præstantiora munimenta sunt, custodibus numero concredita sunt, ut ipsa defendant. « Narrate in turribus ejus. » Quinam vero fuerint Ecclesiæ turres, nisi ii qui variis temporibus ejus duces fuerint, atque justi, queis Apostoli narrant magnalia Dei?

XII. « Ponite corda vestra in virtute ejus [5]. » Virtus Ecclesiæ sunt qui eam confirmant sermones, quos Apostolis jubet ut toto corde inter admonendum usurpent. « Et distribuite domos ejus. » Singuli, inquit, in aliquam terræ partem imperium obtineant. Nam divise-

[1] Psal. XLVII, 11. — [2] Galat. III, 28. — [3] Psal. XLVII, 12. — [4] Ibid. 13. — [5] Ibid. 14.

runt sibi, ait, duodecim, orbem terræ. « Ut enarretis » in progenie altera. » Apostoli namque per scripta quæ reliquerunt Christum enarrant generationibus subsequentibus.

XIII. « Quoniam hic est Deus noster in sæculum, etc.[1] » Distributionis causam significat. Propterea, inquit, distribuite et docete, ut generationibus post futuris notum sit, eum qui juste populum pavit (id est Dominum) eumdem ipsum esse qui per futura et infinita sæcula pascet eos.

PSALMUS XLVIII.

In finem, filiis Core.

ARGUMENTUM.

Quæ ad divinum tribunal pertinent hoc psalmo omnibus hominibus prædicantur, necnon dies illa qua Deus condita omnia ad judicium adducet. Fortasse vero filii Core Apostolorum personam gerant qui mysteriis orbem initiarunt.

I. « Audite hæc omnes gentes, auribus percipite » omnes qui habitatis orbem[2]. » Sicut ad salutem totum humanum genus vocat, eodem modo ad doctrinam divini judicii, una omnes sermo evocat.

II. « Quique terrigenæ et filii hominum[3]. » Terrigenas vocat agrestiores homines barbarosque, qui in de-

[1] Psal. XLVII, 15. — [2] Psal. XLVIII, 2. — [3] Ibid. 3.

sertis habitant, neque legibus cultos : filios hominum dicit eos qui humaniorem ducunt vitæ rationem et legibus parent.

III. « Os meum loquetur sapientiam[1], » quemadmodum ceu in varios ordines distribuit auditores ; ita et doctrinam suam in modos distinguit varios. Chorus autem apostolicus est qui hæc loquitur, et qui in ore Christum habet, qui est sapientia Patris. Utpote igitur Christum in ore ferentes, et eum semper mente versantes intelligentiam obtinebant. Ita autem mens eorum ad intelligentiam acuta et expedita erat, ut etiam parabolas Salvatoris in Evangeliis descriptas intelligerent. Quamobrem cum diceret Christus : « Intellexistis hæc » omnia[2] ? » dicebant ei, « etiam. »

IV. « Inclinabo in parabolam aurem meam[3]. » Ego quidem, ait, postquam mentem meam acui ad intelligentiam parabolarum Salvatoris, in iis comprehensam sententiam assequi potui. Iis autem qui id agere ob infantiam non valent aperiam ea quæ clausa sunt, et problemata explicabo atque parabolas. Hæc autem per psalterium sive corpus meum efficiam, quod quasi organum resonat, et quo anima mea ad hymnum vertitur concinendum, per singulos sensus, membra partesque peritissime mota.

V. « Cur timebo in die mala[4]? » Hinc orditur, postquam priorem doctrinæ partem ceu in procemio expendit. Orditur autem per interrogationem, ut responsionem accipiat. Hæc autem est interrogatio. « Cur time» bo ? » nam ad vocem « timebo, » interpungendum, ut isthæc sit sententia. Si quis interrogat, inquit ; « Cur » timebo ? » volens a me causam ediscere ejus qua occupor afflictionis, cum fiducia audiat, esse aliquam diem

[1] Psal. XLVIII, 4. — [2] Matth. XIII, 51. — [3] Psal. XLVIII, 5. — [4] Ibid. 6.

malam, quam ego metu perculsus exhorresco. Exhorresco autem, quoniam in illa die « iniquitas calcanei mei » circumdabit me, » id est deflexio a divina via, qua per hujusce vitæ distractionem et fallaciam, divinam legem transgressus sum. Isthæc igitur impietas, inquit, circumdabit me ; quasi dicat : circumsistent me mala opera quæ feci, meque undique conclusum obsidebunt, nec sinent me supplicium effugere. Malam vero judicii diem appellat, ut quæ supplicio affectis dira et gravis futura sit. Apostolus autem eam iræ diem vocavit, cum dixit, « Thesaurizas tibi iram in die iræ[1]. »

VI. « Qui confidunt in virtute sua[2]. » Quasi in commune ait illud : Audite hæc omnes qui in divitiis et in virtute confiditis. Quænam autem audiant oportet, nisi illa, quod scilicet nihil illis utilitatis in illa die divitiæ sint allaturæ ? Neque enim redimet eos ab ira et vindicta ob peccatum ipsis infligenda. « Frater non redimit : » Fratrem, religiosum et honorabilem virum dicit. Itaque ne frater quidem, ut ita dicam, etiamsi religiosus sit, neque alius quispiam hominum in illa die quemquam poterit redimere. Quod si ne frater quidem possit, etsi religiosus, multo minus poterunt divitiæ.

VII. « Et pretium redemptionis animæ suæ[3]. » Postquam docuit nihil profuturas divitias in die judicii, docet quid profuturum sit. Quid autem illud, nisi vitam laboribus plenam ducere ? Isti enim promissa vita in futuro sæculo dignabuntur. Qui per actiones laborat, vivet usque in finem per cognitionem, requiescet in sæculum, vivet ad victoriam. « Et laboravit in æternum et vivet » adhuc in finem. »

VIII. « Non videbit interitum cum viderit sapientes » morientes[4]. » Ita longo ab impiis intervallo separabun-

[1] Rom. II, 5. — [2] Psal. XLVIII, 7. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 10.

tur, ut eorum perditioni ne minimum quidem appropinquent. Qui sunt autem illi sapientes morientes, nisi ii de quibus dictum : « Perdam sapientium sapientiam, » et intelligentium intelligentiam despiciam[1]. » Docet enim ubique præsens scriptura, quod in die judicii, neque dives seipsum redempturus sit, neque quivis sapiens existimatus. Vitam autem æternam is solus consequetur qui in hac vita se maceraverit. « Simul insipiens et stul» tus peribunt : » Una, inquit, sapientes et stulti perniciei tradentur : non differunt enim mutuo, simili idololatriæ generi dediti. « Et relinquent alienis divitias » suas. » Neque enim illas sibi proprias et firmas constituere voluerunt, beneficiis erga egenos.

IX. « Et sepulcra eorum domus illorum in æternum[2]. » Per sepulcra mortalitatem significat qua induerunt animam suam, nihil probum nihil rectum animo versantes circa Deum. « Tabernacula eorum in progenie et proge» nie. » Tabernacula, in quibus dum vitam agerent habitabant, ab aliis ad alios consequenter per generationes varias devenient : illud enim superius quoque dixerat, « relin» quent alienis divitias suas. Vocaverunt nomina sua in » terris. » Par erat, ait, ut per fidem et præclaram institutionem id efficerent, ut ipsorum nomina in cœlis describerentur ; illi autem in terris vocaverunt, cum cognomines sibi urbes construerent.

X. « Et homo cum in honore esset non intellexit[3]. » Quæ causa fuerit quod ipsi eo lapsi sint ut alte de se sentirent, enuntiat ille, videlicet carnis concupiscentiæ. Hoc autem est honorem proprium non intelligere, quod scilicet ad imaginem Dei facti sint. Ad similitudinem autem jumentorum insipientium, præ cœlestibus taber-

[1] 1 Cor. 1, 19. — [2] Psal. XLVIII, 12. — [3] Ibid. 13.

naculis terram incolere delegerunt, et sepulcra a Deo concedendæ vitæ prætulerunt.

XI. « Hæc via illorum scandalum ipsis[1]. » Viam divinæ litteræ cujusque hominis vitam appellare consueverunt, et vitæ hominum tempus. Hanc ergo, ait, asperam et odiosam vitam paravit illis, quia rectum nihil sentirent. Sed quando in illa profecerunt tum scandala ne sentiebant quidem. « Postea » vero « in ore suo complacebunt, » quasi dicat, confitebuntur pœnitentiam agentes, quod in hujusmodi via incesserint ; sed quando non erit ultra pœnitentiæ tempus.

XII. « Sicut oves in inferno positi sunt[2]. » Quando noluerunt sub bono pastore agere : sed repulso honore, perinde atque jumenta corpore corrupti sunt ; idcirco pecora inferni effecti sunt, ita ut demum pastor eorum ad pascua sua abducat eos, alios quidem in ignem æternum ; illos eo ubi fletus et stridor dentium ; alios in tenebras exteriores.

XIII. (*Adjicit Daniel Barbarus :* Cæterum juxta Symmachum : Hæc via illorum dementiæ ipsis, posteri vero illorum sermonem probabunt : Non enim primis sat fuit uti dementiæ via, nisi etiam perniciosum posteris exemplum facti simile ad sui imitationem studium illis relinquerent, ut et posteri ipsi in morum suorum via sibi placerent, et illos imitatione sequerentur.)

XIV. « Et dominabuntur eorum justi in matutino. » Non ulterius, quemadmodum in hac vita cum essent, adversus pios homines insurgunt ; verum contra qui matutino tempore dignati sunt et novo lumine, impiis imperabunt. « Et auxilium eorum veterascet in inferno, etc. » Omne, inquit, auxilium eorum, scilicet virtus quam ob-

[1] Psal. XLVIII, 14. — [2] Ibid. 15.

tinebant ex gloria, morte dissolvetur. Illud enim, « ve-» terascet, » pro, solvetur, positum est.

XV. « Verumtamen Deus redimet animam meam de » manu inferi, cum acceperit me [1]. » Mei, inquit, ita loquentis animam redimet Deus, ut ne una abducatur illa, et deseratur cum ovibus inferni.

XVI. « Ne timueris cum dives factus fuerit homo [2]. » Cum didiceris, ait, qui finis erit impiorum, ne beatos prædices eos qui in vita divites et opulenti sunt, neu timeas quasi omni spe interclusus, nec ut magnis orbatus præsentis vitæ bonis, animo deficias. Probe nosti quia te expectat redemptio a morte et vita æterna. Qui autem a multis prædicatur ob divitias gloriamque, et ob illam falso nuncupatam sapientiam, nihil plus habebit, nudatus quippe omnibus, a vitæ bonis abripietur.

XVII. « Quoniam cum interierit non sumet omnia [3]. » Hoc solum lucri, ait, a divitiis accepisse videntur impii, quod anima eorum in hac mortali et temporanea vita ab divitiis celebrata fuerit. Laudati scilicet et felices dicti, ob bona quæ habere videbantur. « Neque descen-» det cum eo gloria ejus, etc. » Quoniam, inquit, omnia temporanea, tum gratiam reddet tibi creatori hujusmodi homo, cum ejus facultates auxeris.

XVIII. « Introibit usque in progenies patrum suorum [4]. » Imitabitur, inquit, patrum suorum studium : et cum ex improbis ortum ducat, improbitatem excipiet. « Usque » in æternum non videbit lumen. » Omnes enim qui hoc modo sentiunt, animo cæcutiunt, neque in hac mortali vita lumine cognitionis illustrati, neque in futura æterno lumine donandi.

[1] Psal. XLVIII, 16.—[2] Ibid. 17. —[3] Ibid. 18.—[4] Ibid. 19.

PSALMUS *Asaph* XLIX.

ARGUMENTUM.

Psalmum canit Asaph, personam inferens legislatoris, qui antiqua sacrificia evertit, et quæ ad novum Testamentum pertinent dona cum laude conjuncta affert. Judæorum primi, neglecta virtute, religionem putabant esse sitam in recitandis legibus, offerendisque sacrificiis. Lectio autem legis et sacrificiorum oblatio, virtutis intus existentis fructus esse debent: qua deficiente illa solum præstare, perinde fuerit ac si quis ungatur ad palæstram, et certamina ipsa nihil curet, quibus corona obtinetur. Eos itaque qui sic affecti sunt, coarguit beatus David, Deumque inducit exprobrantem ac declarantem, se, si deficiat virtus, a sacrificiis abhorrere, quod per Isaïam quoque dicebat : « Impius qui mihi vitulum immolabat, » est quasi ille qui virum cœdit, etc. » (Isai LXVI, *3.) In imagine igitur Verbum adumbrat, inducitque Deum de cœlo venientem ac sedentem ad judicium, et de Judæorum principibus judicium ferentem : « Deus » deorum locutus est. »*

I. « Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit » terram[1]. » Sancti ut dii apud Deum sunt : « Dedi te » Pharaoni in Deum[2], » et « Ego dixi : dii estis[3]. » Quandonam ita a Deo vocantur, nisi cum incarnatus lo-

[1] Psal. XLIX, 1. — [2] Exod. VII, 1. — [3] Psal. XLVI, 6.

cutus est, et totam convocavit terram? Quid vero locutus est, nisi : « Euntes baptizate omnes gentes [1] ; » et illud : « Oportet prædicari Evangelium hoc in universo » mundo [2]? »

II. « Ex Sion species decoris ejus [3] ; » Nam ex superna Sion secundo adveniet. « Ex Sion species decoris ejus. » Deus manifeste veniet. » Illud « ex Sion » priorem dicit adventum significare : illud autem « manifeste » secundum. Quoad itaque priorem ejus adventum atque gloriosam Dei manifestationem, silebat dum ab hominibus judicaretur, neque conspicue divinitatem suam ostendebat : quando autem secundo accedet, manifeste veniet et non silebit ; sed arguet mundi peccatum. Si namque Deus manifeste veniat, Christus autem Deus sit, illud sane dictum « manifeste » carnem declarat.

III. « Deus manifeste veniet [4]. » Non enim perinde atque in primo adventu incognito veniet ; sed ut ipse ait : sicut fulgur quod omnia implet ab Oriente ad Occidentem. « Deus noster et non silebit. » Non sicut ante silebat, et nihil agebat contra impios, ita tunc erit. « Ignis » in conspectu ejus exardescet. » Ignis, ut propter impietatem merentes tradat comburendos : simile autem illud : « In conspectu illius volvebatur fluvius igneus. » Hæc ipsa mirabilia sane vidit Daniel. « Fluvius enim » inquit, ignis volvebatur in conspectu ejus : thronus » ejus flamma ignis, rotæ ejus ignis accensus. » Ignis autem, aut lumen ex eo manans significat, nam Christi cognitionem præcedit lumen spirituale ; cujus figura est columna ignis quæ Israëlem nocte ducebat ; aut indicat nos omni peccatorum genere frigidos a Salvatore accensos ad studium omnis boni. Ignis vero ille ceu spiritua-

[1] Matth. XXVIII, 19. — [2] Marc. XIII, 10. — [3] Psal. XLIX, 2. — [4] Ibid. 3. — [5] Dan. VII, 11.

lis, sancti Spiritus participationem inducit. Ait enim ille : « Ignem veni mittere in terram[1]. » Siquidem spiritu viventes effecti sumus quotquot tali gratia dignati sumus. Quamobrem in omni Spiritus gratia ignis manifestatio una inducitur; baptizamur enim in Christo secundum Joannis vocem in Spiritu sancto et igne. Ait item Prophetarum quidam : « Ipse egreditur quasi ignis » conflans, et quasi herba fullonum : et descendet con- » flans et purgans ceu aurum et argentum[2]. » Omnem quippe maculam in nobis tabefacit Spiritus sancti virtus. Sed nihil profuit synagogæ Judæorum quia gratiam non admiserunt, de quibus apud Jeremiam dicit Deus : « Defecit conflator ab igne, defecit plumbum. In vanum » argentarius argentum signat : malitiæ eorum non ta- » befactæ sunt[3]. »

IV. « Advocabit cœlum desursum[4]. » Olim qui in terra degebant partes vulpium erant, ut in psalmis dictum est, impuros colentes spiritus, et in singulis locis Deum existimantes esse id quod apparebat. Sed ubi apparuit Salvator, illustravit nos vera Dei cognitionis luce, reduxit quod erraverat, obligavit quod infirmabatur, utpote pastor bonus : feras expulit ab ovili ovium, sanctificavit spiritu, munivit virtutibus angelicis, constituit omnes qui in terra fuere sanctos mysteriorum initiatores. Advocabit igitur, inquit, Angelos qui in cœlis sunt, et eos qui in terra ad apostolatum allecti sunt, ut discernant populum ipsius. Nam Apostoli eos quidem qui obtemperarunt, Deo obtulere, infideles autem Satanæ transmisere, tantum non dicentes : Abscedite igitur ad lucem ignis vestri, et ad flammam qua combusti estis. Judæis itaque non credentibus aiunt : « Vobis oportebat primum » loqui Verbum Dei : sed quoniam repellitis illud, et in-

[1] Luc. XII, 49. — [2] Malach. III, 2. — [3] Jerem. VI, 29. — [4] Psal. XLIX, 4.

» dignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad » gentes[1]. » Quod autem mysteriorum dispensatoribus eorumque discipulis Angeli auxilientur, declarat Paulus dicens : « Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in » ministerium missi propter eos qui hæreditatem capturi sunt salutis[2] ? » Hoc item indicavit scala quam vidit Jacob a terra ad cœlum pertingentem, super qua firmiter consistebat Dominus, Angelis sursum deorsum discurrentibus. Ejusmodi item illud est « Castrametabitur » Dominus in circuitu timentium eum, et eripiet eos[3], » dum itaque illi auxiliantur discernunt populum.

V. « Advocabit cœlum desursum. » Justos scilicet, qui cœleste institutum sectantur congregabit in supernis mansionibus. « Et terram discernere populum suum. Peccatores jubet omnesque in terra degentes congregare, ad separandum justos a non justis.

VI. « Congregate illi sanctos ejus[4]. » Quasi ad Angelos est sermo, juxta illud a Domino dictum : « Et mittet An» gelos suos, et congregabunt justos ex quartuor ventis » terræ. Qui ordinant testamentum ejus super sacri» ficia[5]. » Sacrificia dicit spiritualia.

VII. « Et annuntiabunt cœli justitiam ejus[6]. » Gloriam, inquit, Deo tribuent cœli, quia scilicet homines cœlestibus mansionibus dignatus est. Optat ut sancti prioris populi ante futurum judicium finem faciant sacrificii per mactationem brutorum fieri soliti, et illud assumant quod secundum scientiam et cognitionem offertur. Super his cœlestes virtutes judicem celebrant, quia a sanctis incepit, et cœli annuntiant justitiam ejus, de eorum salute una lætantes. Terrenum vero domicilium ei ordini relinquetur qui cœlesti vocatione dignatus non fuerit.

[1] Act. xiii, 46. — [2] Heb. i, 14. — [3] Psal. xxxiii, 8. — [4] Psal. xlix, 5. — [5] Matth. xiii, 41. — [6] Psal. xlix, 6.

« Quoniam Deus judex est. » Hic manifeste Christum dicit Deum : nam omne judicium dedit Pater Filio. Quod si omne judicium dedit illi : et Deus judex est : ergo Deus est Christus.

VIII. « Audi populus meus et loquar tibi[1]. » Cum novam legislationem introduceret, ne quis humanum verbum esse, aut a quadam angelica virtute proficisci existimaret, præmittit illud : « Deus Deus tuus ego sum. » Hæc autem est sententia : Ne putes alium me esse, quod hodie alias sanciam leges : sed idem ipse sum qui apud Mosem de sacrificiis legem tuli. Testificor autem tibi, te non culpatum iri si leges Mosis prætergressus fueris. Ipse enim ego sum qui illas tunc puero meo ad utilitatem ejus tradidi, et jam testificor, tibi non necessum esse legalia de sacrificiis præcepta servare. Etiamsi enim ea non obtuleris, nihilominus sunt oblata : nam « Holo» causta tua in conspectu meo sunt semper, » etiamsi non offerantur. Si autem omnino curas, ea ceu pretiosa quædam et necessaria offerre, cum fiducia audi, me eorum nihil a te accepturum. Superflua enim mihi omnia sunt. Quandoquidem et quæ in agris pascuntur animantia boves, jumenta, volucres cœli, et pulchritudo agri omnia mea sunt, et horum nihil egeo. Quod si quando mihi necessitas foret alimenti, non ita egenus ego sum, ut a te talia postulem : « meus est enim orbis terræ. » Sed quænam grata mihi offeres sacrificia, laudem, canticum, divinum sermonem. Cum autem hæc impleveris, tum ac si legem implesses divinam, mercedem accipies ; ut cum invocaveris, exaudiaris. Et declarans quem populum alloquatur, intulit. « Israël et testificabor tibi. » Exinde vero suum ostendit dominium : « Deus Deus tuus ego » sum, » Id est, qui magna miracula ab initio usque

[1] Psal. XLIX, 7.

ad hoc tempus generi vestro exhibuit. Qui te ægyptiaca servitute liberavi, qui mare in viam dedi, qui in deserto enutrivi, qui eam tibi legem dedi. Nam ne alium me legislatorem existimaveris, cernens legum diversitatem.

IX. « Non in sacrificiis tuis arguam te [1]. » Nequaquam te negligentiæ in offerendis sacrificiis arguo : Illa namque offers assidue ; sed præcipio ne hisce justitiam circumscribas.

X. « Peccatori autem dixit Deus : quare tu enarras justitias meas [2] ? » Peccatorem hoc loco promulgatorem divinarum Scripturarum dicit. Simile autem est huic dicto : « Non speciosa laus est in ore peccatoris. » Si namque omnia præcepta transgreditur, et omni malitiæ studet, et lingua utitur dolosa ; cur postea divinas litteras in ore habet ?

XI. « Existimasti inique, quod ero tui similis [3]. » Olim quidem ait, diu toleravi, sed non jam id faciam, in medium enim tui arguendi causa afferam peccata tua, quæ tu quidem existimabas non ultra existere, neque in cujuspiam memoriam ventura esse. Ego vero utpote Deus ad lucem producam illa, atque apponentur in conspectum tuum. Neque abscondam quemadmodum tu facis, nec similis tui ero. Producam item illa, ut palam faciens pudore te afficiam. « Arguam te et statuam contra faciem tuam peccata tua. »

XII. « Intelligite hæc qui obliviscimini Deum [4]. » Utpote clemens, post increpationem adhortationem adjicit, dans pœnitentiæ locum. Intelligite, me non ideo tamdiu tolerare quod de facinoribus vestris gaudeam, sed ut dem pœnitentiæ locum. Alioquin abripit nos iniquus sive iniquitas nemine liberante. Eripio enim eos qui intelligunt et a malis desistunt, atque dicunt : « Injuste egimus, ini-

[1] Psal. XLIX, 8. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 22.

» quitatem fecimus, impie egimus[1]. » Nam qui adhuc in malis versatur confiteri non potest. « Nequando rapiat et » non sit qui eripiat. » Nequando, inquit, auferat mors animam, pœnitentiam agite : nemo enim est qui eripiat eos qui propter peccata in inferno conclusi sunt. Abripitur enim anima, utpote omnino a Deo lapsa.

XIII. « Sacrificium laudis honorificabit me[2]. » Repetit quæ dicta sunt, jubens iterum ut rationale sacrificium perficiatur. Post gravem et magnam accusationem, peccati remedium scilicet mysteriorum usum et fructum indicat. Illud quippe revera sacrificium laudis est quo Deus honorificatur. Siquidem tunc cum Angelis laudes canimus ac cum creatura stamus. « Et illic iter quo ostendam illi » salutare meum. » In sacrificio, inquit, laudis, via est ad salutem a Deo paratam.

PSALMUS L.

In finem Psalmus cantici David[3].

Cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bersabee[4].

ARGUMENTUM.

Hunc canit psalmum qui criminum duorum, cædis scilicet Uriæ, et adulterii cum Bersabee confessionem continet. Subindicat etiam omnibus hominibus salutis viam esse, pœnitentiam, ceu quamdam artem obtinendæ semper contra inimicum victoriæ. Nam qui

[1] 2 Paral. vi, 37. — [2] Psal. xlix, 23. — [3] Ibid. l, 1. — [4] Ibid. 2.

semper de illa cogitat, eaque recte utitur, victor semper erit inimici assidue instantis. Inducit etiam redemptionem, quæ per sanctum Baptisma affertur « Asperges me » dicens. Immo etiam docet conservatum sibi prophetiæ donum. Non postulat enim quasi ipso privatur, sed supplicat non auferri sibi, dicens : « Ne auferas. » Prophetiam quoque inducit redemptionis a peccatis omnibus per sanctum baptisma futuræ, et spiritualis Dei cultus doctrinam. Passim autem invenies duorum criminum expiationem efflagitantem.

I. « Miserere mei Deus secundum magnam misericor- » diam tuam[1]. » Utpote magno lapsus crimine, magnam Dei misericordiam implorat. « Et secundum multitudi- » nem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. » Nam solis Dei miserationibus competit a crimine cædis abluere manus. Apertius autem sententiam explicans, ait : « Amplius lava me : » Atque hic quoque vim copiamque purgationis expetiit, ut magnum esse facinus ostenderet : aut, quia a Nathan acceperat, veniam sibi fuisse concessam, et variæ calamitates vim peccati minuebant : nunc ait : Opus mihi est purgationibus et ablutionibus, ut jam liquefactæ et exsiccatæ sordes penitus abradantur.

II. « Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me[3]. » Peccatum dicit adulterium. Sciendum autem est peccatum esse a bono lapsum ; iniquitatem vero prævaricationem in divinam legem : hæc sunt amborum principia. In hoc autem conveniunt, quod scilicet peccator ab eo, qui secundum naturam et in na-

[1] Psal. L, 3. — [2] Hisce quædam adjicit Dan. Barba, quæ sunt Hesychii. — [3] Psal. L, 4.

tura est, scopo aberraverit : humanæ quippe naturæ hic scopus positus est, ut secundum rationem vivat, semotis et procul positis iis, quæ rationi adversantur. Similiter qui inique agit, prævaricatur contra legem in natura datam, intemperanter se gerens. E re igitur Apostolus et Discipulus Christi Joannes utrumque in uno copulavit : sic loquens, « Omnis quifacit peccatum, et iniquitatem facit[1]. » Ac si diceret, peccatum est consentaneum iniquitati. Nam quisquis inique agit, peccat; neque tamen omnis qui peccat, inique agit. Potest autem ex opposito dici, quia scilicet : « Omnis qui facit » peccatum, et iniquitatem facit. » « Amplius lava me » ab iniquitate mea[3]. » patratæ cædis, ait. « Et a pec» cato meo munda me, » adulterii videlicet. « Quoniam » iniquitatem meam ego cognosco. » Id quoque de cæde intelligendum. « Et peccatum meum contra me est semper[2]. » Peccati memoriam ultro citroque versat, adulterii videlicet, utpote quæ nondum deseruisset eum, neque abscessisset; sed semper adesset atque in angorem animi conjiceret.

III. « Tibi soli peccavi et malum coram te feci[3]. » Quasi dicat, etsi peccando omnium oculos fugi, solos tuos non latui. Ideo dicit : « Et malum coram te feci. » Multis a te affectus bonis contraria rependi. Non ita porro loquitur quod injuria non affecisse Uriam existimet; nam quo pacto illud? Sed quia iniquitas maxima in ipsum vertitur Deum, qui eum ex pastore in regem allegerat : aut quia cum omnium fugeret oculos, Dei conspectum non effugit, sed per Prophetam reprehensus est : aut, utpote Rex legi hominum non subjacebat; ut autem religiosus, Deo soli : aut quoniam nemo redarguebat; sed solus corripiebat Deus. « Tibi, inquit, soli pec-

[1] I Joan. III, 4. — [2] Psal. L, 5. — [3] Ibid. 6.

» cavi. Ut justificeris in sermonibus tuis. » Me inquit, prævaricatum per Prophetam coarguisti. Et tu quidem justus cum sis, postquam me de inimicis semper liberasti, et me regno atque prophetia ornasti; ego autem profanus et homicida sum. « Et vincas cum judicaris. » Declaratio sive confessio peccatorum.

IV. « Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in » peccatis concepit me mater mea[1]. » Quoniam prior Dei scopus erat, ut non per matrimonium et corruptionem nasceremur : sed transgressio mandati, nuptias induxit ob Adami iniquitatem, id est, quod datam sibi a Deo legem vilipendisset. Omnes itaque qui ex Adamo oriuntur in iniquitatibus concipiuntur, proavi sui damnatione collapsi. Illud autem : « Et in peccatis concepit » me mater mea, » significat Evam omnium nostrum matrem, ceu voluptate turgentem, concepisse peccatum. Quapropter nos in matris nostræ damnationem delapsos, concipi dicimus in iniquitatibus. Declarat quo pacto ab initio natura hominum sub peccatum conciderit ex Evæ transgressione, et sub maledictione ortus ejus fuerit. Sermonem autem altius orditur, dum divini muneris magnitudinem quærit ostendere.

V. « Ecce enim veritatem dilexisti, incerta et occulta » sapientiæ tuæ manifestasti mihi[2]. » Hæc est sententia : Tu, inquit, Domine qui veritas es et veritatem diligis, cum velis nos in veritate degere purgabis nos a veteri peccato : atque ita nos hyssopo mundabis ut supra nivem candidi efficiamur. Hyssopo autem Spiritus sancti efficaciam comparat, utpote ardentem et sordes omnes in nobis repurgantem. Purgatio hyssopo conficietur, scilicet per Spiritum sanctum. Hyssopus namque est herba purgandi vi prædita. Illud autem : « Incerta et occulta sa-

[1] Psal. L, 7. — [2] Ibid. 8.

» pientiæ tuæ manifestasti mihi, » indicantis est omnia futura quæcumque Deus in propria sapientia reposuit ipsi per Spiritum revelata fuisse.

VI. « Asperges me hyssopo et mundabor[1]. » Postquam dixit : Leges dedisti divinas et constitutiones, jam quod majus est dicit : Purificationes quasdam in lege dedisti et aspersionem hyssopo factam : eodem igitur scopo et nobis quoque similia conferas, cum ipse Deus sis. Aut videtur mysterium quodpiam hic adumbrari. Quandoquidem enim Moses in Ægypto sanguinem ovis postibus hyssopo aspergere jussus erat, pretiosiore nos sanguine redempti sumus. Quoniam igitur sanguis ille præsidio et tutelæ fuit, ne læderentur ab exterminatore qui in aliqua domo degerent, merito David sanguinis illius memoriam occulte faciens, « Asperges me, inquit, hyssopo, etc. » adumbrans purificationem illam omnibus per sanguinem veri agni Christi faciendam et exoptans illam, quæ sola potest perfecte purgare et nive candidiorem efficere.

VII. « Auditui meo dabis gaudium et lætitiam[2]. » Curabis, inquit, ut auditu excipiam per Spiritum illam postremis temporibus futuram exultationem et lætitiam. Quæ autem illa fuerit, nisi cognitio illa Resurrectionis, quam hisce verbis docuit : « Exultabunt ossa humiliata ? » Quando autem ossa nostra putrida exultabunt, nisi tempore resurrectionis, quo, ut ait alius Propheta, « ossa » nostra quasi herba germinabunt. Exultabunt ossa hu- » miliata[3]. » Exultabit robur animæ meæ, quæ prius sub peccato infirma erat.

VIII. « Averte faciem tuam a peccatis meis[4]. » Rursum ad confessionem recurrit.

IX. « Cor mundum crea in me Deus[5]. » Inveteratam animam, inquit, peccato putridam renovato. « Et spi-

[1] Psal. L, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Esai. LXVI, 14. — [4] Psal. L, 11. — [5] Ibid. 12.

» ritum rectum innova in visceribus meis. » Hoc est, firmum, quasi dicat : Firma et robora mentem meam ut non ulterius facile in peccatum labatur.

X. « Et Spiritum sanctum ne auferas a me[1]. » Precatur rursum ut spiritus propheticus in se veniat. Ipsum enim propter peccatum reliquerat.

XI. « Redde mihi lætitiam salutaris tuis[2]. » Hoc ad humanum genus omne refertur. Lætitiam quidem salutaris, adventum Domini vocat, juxta illud a Symeone dictum : « Quia viderunt oculi mei salutare tuum[3]. » Rogat autem ut illius particeps efficiatur. « Et spiritu principali confirma me. » Quem rectum superius vocavit Spiritum, hic principalem vocat.

XII. « Docebo iniquos vias tuas[4]. » Postquam, inquit, me a peccato liberaveris, statim mihi concedas Spiritum sanctum tuum. Tunc autem prævaricatores docebo incedere vias tuas.

XIII. « Libera me de sanguinibus Deus Deus salutis » meæ[5]. » Rursum pro cæde Uriæ supplicationem affert, ut aliquo modo ex ejus pollutione liberetur : vel potius, « de sanguinibus, » id est de sacrificiis per sanguinem factis, ut indicant quæ in psalmo subsequuntur sic : « Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique, » etc. Et exultabit lingua mea justitiam tuam. » Hoc Symmachus sic interpretatus est. « Loquetur lingua mea » misericordiam tuam : » nequaquam enim tacebo cum veniam sim consecutus, sed laudibus te prosequar, et beneficia tua commemorabo. Siquidem, ait, legalia sacrificia respuisti, quoniam non possunt peccata dimittere : ideo id quod diligis obtuli tibi. Hoc autem est quod per pœnitentiam et cor contritum offertur.

XIV. « Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua

[1] Psal. L, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Luc. II, 30, — [4] Psal. L, 15. — [5] Ibid. 16.

» Sion[1]. » Sion hic vocat Ecclesiam. Quando enim Deo Patri placuit omnia in Filio suo renovare, tunc et bona Ecclesiæ suæ pollicitus est. « Et ædificentur muri Jerusa» lem. » Muros Jerusalem, sanctos ait, sacrorum ministros qui muniunt Ecclesiam ejus.

XV. « Tunc acceptabis sacrificium justitiæ[2]. » Cum, inquit, beneficia Sioni tribues et ædificati fuerint muri Jerusalem, tunc offerentur sacrificia, non per sanguinem, sed justitiæ laudis scilicet. « Oblationem et holo» causta, » justitiæ scilicet et incruenti sacrificii. « Tunc » imponent super altare tuum vitulos. » Et ipsos (vitulos) justitiæ, ut sint omnia justitiæ; sacrificia, oblationes justitiæ, holocausta justitiæ, vituli justitiæ.

Hic desinit Daniel Barbarus.

PSALMUS LI.

In finem, intellectus David[3]. Cum venit Doec Idumæus et nuntiavit Saüli[4] : venit David in domum Abimelech.

ARGUMENTUM.

Quando[5] fugit David a facie Saülis in domum Abimelech, ac de panibus sacerdotum comedit, accepitque Goliæ gladium, abscedens quispiam rem nuntiavit Saüli. Erat autem is Doec Syrus qui ita animum Saülis exasperavit, ut interfectum miserit totam sacer-

[1] Psal. L, 20. — [2] Ibid. 21. — [3] Psal. LI, 1. — [4] Ibid. 2. — [5] 1 Reg. c, 21.

dotum civitatem, ac ne jumentis quidem pepercerit. Hæc igitur cum audisset David, isthæc loquitur Syri personam spectantia. Referuntur item hæc ad personam populi Judæorum, atque Judæ. Complectitur item futurorum bonorum promissionem, et assiduam sanctorum Dei commorationem in domo ejus, quandoquidem dicit : « Ego autem sicut oliva fructifera in » domo Dei. » Quamobrem et « intellectus » et, « in finem » psalmus inscribitur. Multa enim opus intelligentia, ut ejus qui secundum carnem David est œconomiæ mysterium cognoscatur.

I. « Quid gloriaris in malitia qui potens es[1]? » Quasi ad ipsum Syrum, aut ad Diabolum eum instigantem, sermonem collimat.

II. « Sicut novacula acuta fecisti dolum[2]. » Hoc ait, quod totam sacerdotum civitatem quasi abraserit et internecione deleverit.

III. « Dilexisti malitiam super benignitatem[3]. » Injuste namque agebat cum sacerdotem et reliquos omnes una calumniaretur, ac quæ gesta non fuissent adversus eum deferret : quod enim diceret eum (Abimelechum) Deum circa Davidem interrogasse, id mendacium non veritas erat.

IV. « Dilexisti omnia verba præcipitationis, linguam » dolosam[4]. » Omnia enim egit ad insidias, invidiam et mortem Sacerdotis reliquorumque omnium qui cum eo cæsi fuere, quare « verba præcipitationis » dicuntur, mendacia Doec. Confertim enim totam sacerdotum civitatem suis verbis quasi in profundum præcipitavit. Hæc autem jure quoque dicantur de principibus Judæorum et de ipso Juda.

[1] Psal. LI, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6.

V. « Propterea Deus destruet te in finem[1]. » Hæc recte dicantur de principibus Judæorum et de ipso Juda, quia quæ damnosa erant dilexerunt usque in « finem, » ac si dicat, « semper. » « Propterea destruet te » utpote qui non recte ædificatus fueris, qui superbos evertit, atque ut improbi satum « evellet te et emigrabit, » sive eradicabit, et a domicilio tuo, id est, ne secum habites, ejiciet te.

VI. « Evellat te et transferatte de tabernaculo tuo[1]. » Translati quippe sunt de sacro tabernaculo suo, captivi propter Christi crucem effecti. « Et radicem tuam de » terra viventium. » Simile illud : « Deleantur de libro » viventium[2]. »

VII. « Videbunt justi et timebunt[3]. » Dum cæduntur enim impii, justi reformidant. Et tu quidem, inquit, hæc toleras : justi autem, hoc est, populi tui, conspecta tua pernicie, formidine complebuntur. Nam sufficit supplicium de te sumptum ut illi exterreantur. Etiamsi tuo erga illos beneficio ejusmodi passurus es. « Ecce » homo qui non posuit Deum adjutorem suum, sed spe- » ravit in multitudine divitiarum suarum. » Maluit enim proditor aurum accipere, quam adjutorem habere Jesum. « Et prævaluit in vanitate sua, » quasi dicat : et vanum cor suum implere potuit, neque pœnitentia ductus finem fecit impietatis.

VIII. « Sed speravit in multitudine divitiarum sua- » rum. » Pulchre divitias et potestatem vanitatem vocavit, secundum veram rei naturam : neque enim Doëco profuerunt, neque Assyriis, quando unius Angeli adventu interempti sunt, ac insepulti jacuerunt.

IX. « Ego autem sicut oliva fructifera[8]. » Floret namque semper eorum gloria qui credunt in Christum. » Fruc-

[1] Psal. LI, 7. — [2] Psal. LXVIII, 29. — [3] Psal. LI, 8. — [4] Ibid. 9.

» tus autem Spiritus est, charitas, gaudium, pax, etc. » Hunc itaque fructum cum in se ipso haberet sanctus ille vir, aiebat : « Ego autem sum sicut oliva fructifera[1] : » olivæ autem fructiferæ se comparat; quia cum misericordia in ipso consistat et dominetur, ex consequenti hærebant et reliquæ virtutes. Eodem prorsus modo et Jobum virilem, et Joseph temperantem, cæterosque, ex virtute in ipsis obtinente ac dominante nuncupaverunt. « Speravi in misericordia Dei in æternum. » Misericordiam Dei divinæ Scripturæ Dominum vocant, quia per eum nobis misericordia concessa est. Omnia enim in seipso instauravit et reparavit.

X. « Et expectabo nomen tuum, quoniam bonum est » in conspectu sanctorum tuorum[2]. » In nomine tuo, inquit, fiduciam habebo, atque eam in conspectu omnium sanctorum tuorum annuntiabo. Erit enim mihi illud jucundum atque bonum.

PSALMUS LII.

In finem pro Maeleth, intellectus, Davidi[3].

ARGUMENTUM.

Hunc canit Psalmum in gratiam Apostolorum chori, qui et crediderant in Christum : qui exultabant et lætabantur. Maeleth vero explicatur chorus sive chorea. Necessario autem ea quæ Christi incarnationem præcesserunt enuntiat, ut declaret quæ sit adventus ejus

[1] Psal. LI, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Psal. LII, 1.

utilitas. Sciendum autem est totum decimum tertium psalmum eamdem sententiam habere, iisdemque ferme omnibus verbis constare; ita ut ii qui interpretationem hujus perquirunt, ex illo eam aperte mutuentur.

I. « DIXIT insipiens in corde suo : Non est Deus... Deus » de cœlo prospexit super filios hominum [1]. » Quia Deum non cogitaverunt, humana inspectantem, judicantem judicio justo, ac nefarium opus quodcumque coercentem; ideo Deus de cœlo prospexit. Id enim aperte Domini ad homines transitum significat.

II. « Omnes declinaverunt simul inutiles facti sunt, non » est qui faciat bonum, non est usque ad unum [2]. » Non hyperbolice dicta sunt isthæc nihil enim hyperbolice sed cum veritate omnia in Scriptura dicuntur. Omnes itaque Judæi declinaverunt a via quæ dicit : Ego sum via [3] : » unde et inutiles facti sunt, cum eam admittere nollent, quia nemo faceret bonum. In ignorantia enim ejus versabantur omnes a legali scriptura excæcati.

PSALMUS LIII.

In finem, in carminibus, intellectus David [4]. Cum venissent Ziphæi et dixissent ad Saül : Nonne David absconditus est apud nos?

ARGUMENTUM.

Cum fugeret David [5] a Saüle consedit in deserto Ziph. Deinde digressi Ziphæi ad Saül in quem locum pro-

[1] Psal. LII, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Joan. IV, 6. — [4] Psal. LIII, 1, 2. — [5] 1 Reg. c, 26.

fugisset indicarunt. Rogabant autem, ut accederet, atque eum comprehenderet. Ille vero accepta manibus lyra, utpote prophetico spiritu gnarus se nihil mali a Saüle passurum, hæc canit. Nam profectus ad capiendum eum Saül, nuntium accepit adventus alienigenarum, et regressus properavit cum manu virorum se comitantium. Hæc autem referri videntur ad personam apostolici chori, quasi ille narrans irruptiones judaïci populi, ac Regum gentium furorem, Deum supplicet per nomen ejus ab omnibus eripi malis. Prophetice autem edicit, futurum ut mala Deus in caput inimicorum retorqueat, ipse vero in signum partæ victoriæ sacrificia offerat. Propterea intellectus inscribitur, psalmo nos ad supra dictam sententiam deducente.

I. « Deus in nomine tuo salvum me fac. » Per nomen ipsius, non per aliud quidpiam, salutem consequi rogat. Quandoquidem autem, ait, nomen tuum invoco, in hoc ipso salutem mihi præbeas. « Et in virtute tua » id est, in Filio tuo « judicabis me : » ac si diceret, non aliis judicibus, sed virtuti tuæ examinandum me tradas. « Et in virtute tua judicabis me. » Judicans enim eorum causam alios perniciei tradidit; alios salvos fecit ab inimicis.

II. « Deus exaudi orationem meam[1]. » Bono animo « meam excipe supplicationem. » Auribus percipe ver-» ba oris mei. » Simile illi : « Et nunc, Domine, consi-» dera minas eorum. »

[1] Act. IV, 29.

PSALMUS LIV.

In finem, in hymnis intellectus, ipsi David [1].

ARGUMENTUM.

Spiritu Propheta contemplatus quæ futura essent mala Christo per Judæos illata, ac per ipsum Judam, dolore plenus et anxietate, quam in præsenti « exercitationem » vocat : perturbatus et dubius animi, in considerando hujusmodi facinore moram extrahit, rogatque Deum ut auribus percipiat orationem suam, et id sibi concedat : secundo, ut obsecrationem precibus emissam respiciat : tertio, ut statum precantis contempletur; atque ita dignetur eum audire, quamobrem adjicit : « Intende mihi et exaudi me. »

I. « Exaudi Deus orationem meam etc [2]. » Varias affert supplicationes, rogans admitti illas. Ne despicias, inquit, me supplicantem, sed benevolo animo intende mihi, et auxilium tribue.

II. « Contristatus sum in exercitatione mea et conturbatus sum [3]. » Anxietate namque plenus erat, videns iniquitatem in Salvatorem admissam, quam exinde docet his verbis : « A voce inimici et a tribulatione peccatoris. » Totius autem sententiæ mens hæc est. Respice, quæso, quam contristatus sum, quam turbatus, quam exercitatione repletus sum; hisque admissis exaudi me.

[1] Psal. LI, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

III. « Quoniam declinaverunt in me iniquitates[1]. » Quæcumque enim adversus Salvatorem acciderunt, ad suam ipse personam refert. Hæc in me perpetrabunt, ob illatæ jacturæ memoriam, ex irrationabili ira manentem. Ira permanens iracundia vocatur. Ea vero de causa formidolosus eram atque turbatus, ut morte jam imminente, atque in tantam animi concertationem et formidinem incidi, ut ne radium quidem lucis viderem, sed in tenebris degerem : putabamque omnium rerum optimam esse fugam, ac rogabam dari mihi alas, avolandi causa, ut alibi quiescerem. « Cor meum conturbatum est in » me, et formido mortis cecidit super me[2]. » Ecce cor meum, inquit, omnia mea interiora evertit : immo etiam « formido mortis cecidit super me. » Nimirum hoc de Salvatoris morte ait, ob quam formidine plenus Propheta erat, humana permotus cogitatione : aut de morte animarum, quas per hæc facinora in exitium ruere futurum erat. Sed etiam « timor et tremor[3] » Prophetam invasit cernentem dilectum Dei hæc ab impiis pati, « contexerunt » autem eum « tenebræ[4], » quia scilicet tenebris digna essent quæ adversus Salvatorem patrata sunt. Exinde vero quasi relictus in medio eorum qui hæc agerent, nullo relicto effugii loco, nec quo declinaret a tantis malis habens, precatur se sublimem rapi, atque instar avis per aerem avolare.

IV. « Expectabam Deum qui salvum me fecit, a pusil- » lanimitate spiritus et tempestate[5]. » Tempestatem vocat dolorem sibi per passionem oblatam.

V. « Quoniam vidi iniquitatem et contradictionem in » civitate[6]. » Causas apponit cur eas preces fuderit.

VI. « Quoniam si inimicus maledixisset mihi, sustinuis-

[1] Psal. LIV, 4.— [2] Ibid. 5.— [3] Ibid. 6.—[4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 9— [6] Ibid. 10.

» sem utique[1]. » Hæc ad personam proditoris jure referantur. « Tu vero homo unanimis, dux meus et notus meus. » Quasi dicat, a me dux constitutus es, Judas scilicet. « Qui simul mecum dulces capiebas cibos[2]. » Perinde est ac si diceret, ejusdem sæpe mensæ consors fuisti. « In domo Dei ambulavimus cum consensu. » Hoc ait quia sæpe cum illo in Templum concesserat.

VII. « Veniat mors super illos et descendant in infernum » viventes[3]. » Quandoquidem noluerunt te vitam accipere, ideo mors excipiet eos. Illud autem : « Descendant » in infernum viventes. » Quia videlicet scientes ipsum hæredem esse, dixerunt : « Venite occidamus eum[4] : » nam cognitionem pro vita posuit.

VIII. « Ego autem ad Deum clamavi, et Dominus exau- » divit me[5]. » Ego ad Dominum clamavi : Ecquid clamavit? Nisi ut eriperetur anima ejus ab iis qui eam perdere quærebant. Quamobrem exauditus est.

IX. « Vespere et mane et meridie narrabo[6]. » Quasi dicat : non finem faciam enarrandi, quod exaudiens me redemeris animam meam.

X. « Quoniam inter multos erant mecum[7]. » Quoniam multi convenerunt contra me, volentes animam auferre mihi.

XI. « Non enim est illis commutatio[8]. » Humiliabuntur, inquit, quando non habent commutationem animæ suæ. Nam cum semel pretiosum Christi sanguinem abnegarunt, qui acceptus fuit in commutationem pro vita mundi, non ultra suppetit pretium redemptionis.

XII. « Extendit manum suam in retribuendo[9]. » Ipse quidem extendit manum suam bonorum largitricem ut ipsi perciperent benedictionem ; illi vero non modo non

[1] Psal. LIV, 13. — [2] Ibid. 14, 15. — [3] Ibid. 16. — [4] Matth. XXI, 38. — [5] Psal. LIV, 17. — [6] Ibid. 18. — [7] Ibid. 19. — [8] Ibid. 20. — [9] Ibid. 21.

receperunt, sed etiam « contaminaverunt testamen-» tum » scilicet evangelicum.

XIII. « Divisi sunt ab ira vultus ejus[1]. » Quoniam, inquit, in benefactorem improbi et maligni fuerunt, ideo dissipavit illos in omnem ventum. « Et appropinquave-» runt corda illorum. » Rursum de Juda sermonem instituit : corde, inquit, prodendi Christi consilium admisit. Et quidem lenia et blanda proferebat, sed quæ essent malitia plena. Quæ verba ? nisi illud : « Ave Rabbi[2], » quod in prodendo protulit.

XIV. « Jacta super Dominum curam tuam et ipse te » enutriet[3]. » Simile illud : « Nolite solliciti esse, quid » manducabitis, aut quid bibetis, aut quo operiemini. » Non dabit in æternum fluctuationem justo[4]. » Quasi dicat : omni tempore juxtos extrahet ab omni impetu inimicorum.

XV. « Tu vero, Deus deduces eos in puteum interitus[5]. » Eos scilicet qui insurgerent ut crucifigendum traderent. Puteum enim interitus infernum vocat. « Viri san-» guinum et dolosi non dimidiabunt dies suos. » Viros sanguinum dicit eos qui vitæ principem interfecerunt, qui etiam tempus vitæ suæ non perfecerunt, Romanorum gladio traditi.

[1] Psal. LIV, 22. — [2] Matth. XXVI, 49. — [3] Psal. LIV, 23. — [4] Matth. VI, 31. — [5] Psal. LIV, 24.

PSALMUS LV.

In finem, pro populo qui a sanctis longe factus est, ipsi David in tituli inscriptionem, cum tenuerunt eum Allophyli in Geth[1].

ARGUMENTUM.

David[2] *Saülem fugiens sexcentos viros habuit sequentes se. Deinde transiens in Geth, cum honore excipitur ab alienigenis, nam ipsi separatim in domicilium tradiderunt Sicelam. Referri item potest psalmus ad personam Ecclesiæ, quæ quidem olim procul a sanctis posita erat, quo tempore erat idololatriæ dedita, et dæmonibus serviebat. Ea autem a spiritualibus inimicis erepta est per eum qui ex semine David secundum carnem prodiit, qui bellum pro nobis gessit, et quasi in cippo victoriam pro nobis partam descripsit. Tunc enim eum alienigenæ honore affecerunt, id est, qui ex gentium numero crediderunt in eum.*

I. « Miserere mei Deus quoniam conculcavit me » homo[3]. » Aut de Saüle illud David ait, aut sanctus quilibet, ob ærumnas quæ in hac vita accidunt. Plerumque autem contingit ut demissus noster homo hoc gravissimum subeat bellum, tota die per Satanam impugnatus, atque ab ipso conculcatus. Licet enim hominem psalmus commemoret, attamen ipsum Satanam plerumque in divina

1 Psal. LV, 1. — 2 1 Reg. c. 27. — 3 Psal. LV, 2.

Scriptura nominatum, aut aliquem ex ejus commilitonibus subindicat. Cæterum hæc ab ipso gentilium populo respondendo cantari consentaneum est, qui diuturno tempore per Satanam deceptus ac circumventus fuit, ejusque bellum per dæmonum insidias sustinuit : quos in sequentibus apertius subindicat.

II. « Conculcaverunt me inimici mei tota die [1]. » Sciebat Saülem insidias sibi parare, instigantibus invisibilibus dæmonibus. Aut illud indicat : « Non est nobis pugna » cum carne et sanguine, sed cum spiritualibus nequitiæ » in cœlestibus. Quoniam multi bellantes adversum me, » ab altitudine[2]. » Etiamsi irrumpant, inquit, sed spe tui fretus omnes superabo. Hæc enim spes tantam mihi tribuit fortitudinem, ut eos qui mihi hostes olim erant minime reformidem.

III. « In Deo laudabo sermones meos[4]. » Ad inimicis, inquit, bello appetitus, ut nihil lædar arma sumpsi, sermones meos omnes in cantica converti et Deo obtuli, spemque in illum collocavi : quamobrem universæ carnis timorem ejeci.

IV. « Tota die verba mea execrabantur[2]. » Ego quidem, ait, tota die verba mea Deo offerebam ; illi vero non finem faciebant tota die curandi ut malum mihi infligerent. « Inhabitabunt et abscondent, ipsi calcaneum » meum observabunt. » Illud, « inhabitabunt, » pro, « congregabuntur » positum est. Hæc est autem sententia. Ita, inquit, tota die in eo operam ponebant, ut dicta in me commoverent, omnesque eorum cogitationes contra me vertebantur, ut curarent omnes una convenire atque clam in me conspirationem conflare, sed nec hactenus sistere gradum, immo etiam calcaneum meum, id est vitæ meæ rationem curiosius observare, si quomodo pos-

[1] Psal. LV, 3. — [2] Ephes. VI, 12. — [3] Psal. LV, 5. — [4] Ibid. 6.

sent me deturbare. Atque vestigia mea curiose considerabant, quocumque loco incederem, ut me comprehenderent. Et hæc quidem ii qui me frustra persequebantur adversum me perpetrabant. Tu autem, Domine, spes mea, me quidem ab ea injusta conspiratione libera, ipsos autem adortus, tua ipsius ira deturba.

V. « Deus vitam meam annuntiavi tibi[1]. » Fiduciam, inquit, habens, nec pudore vitæ meæ affectus, eam tibi totam renuntiavi. Tu autem eam acceptam habens lacrymas meas non repulisti, sed posuisti ante oculos tuos, tuam confirmans promissionem quæ ait : « Te adhuc lo- » quente dicam : Ecce adsum[2]. » Quamobrem contigit ut cum me exaudires inimici retro cederent : Unde dico : « In quacumque die invocavero te. »

VI. « Convertentur inimici mei retrorsum[3]. » Ipsis, inquit, operibus accepi accurateque novi, non vanam esse spem meam ; sed Deum me adjutorem habere.

VII. « In me sunt Deus vota tua, quæreddam laudatio- » nis tibi[4]. » Quandoquidem tua nos œconomia dignatus es, inquit, et salutem nobis tribuisti, quid retribuemus tibi nisi hostias laudis? « Quoniam eripuisti animam » meam de morte[5]. » Spirituali, inquit, quæ est ignorantia Dei. « Et pedes meos de lapsu. » Peccati scilicet, ipsum enim conjecit in mortem. « Placebo coram Do- » mino in lumine viventium. » Qui enim a peccato liberatus est, et mundus est effectus, hic in futuro sæculo in regione viventium Domino placebit. Quod autem eripiamur a morte, liberemur a peccato, partem habeamus in terra viventium, id nobis conciliavit Domini adventus. Quamobrem tituli inscriptio ipsi David inscribitur psalmus.

[1] Psal. LV, 7.—[2] Esai. LVIII, 9.—[3] Psal. LV, 10.—[4] Ibid. 12.—[5] Ibid. 13.

PSALMUS LVI.

In finem, ne disperdas David, in tituli inscriptionem, cum fugeret a facie Saülis in speluncam[1].

ARGUMENTUM.

David[2] *insequentem Saülem fugiens venit in speluncam cum viris quadringentis, quando vestimenti Saülis oram excidit. Tunc autem hunc psalmum cecinit, qui refertur etiam ad ea quæ nostrum gratia Christus peregit, cum in novissimis diebus cum carne visus in terra corruptionem abegit a nobis.*

I. « Miserere mei Deus, miserere mei[3]. » Ex persona humanitatis canticum ipsi offert. « Quoniam in te confi- » dit anima mea, et in umbra alarum tuarum sperabo. » Mos est divinæ Scripturæ virtutem Dei inspectricem alas nuncupare, juxta dictum illud : « Quoties volui con- » gregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat » pullos suos sub alas[4]. » In auxilio, inquit, tuo spem habeo. « Donec transeat iniquitas. » Id est, donec Satanas ex medio tollatur, ac quæ cum illo sunt malignæ potestates.

II. « Clamabo ad Deum altissimum, Deum qui benefe- « cit mihi. » Confitebor, inquit, et gratias tibi benefactori reddam. « Misit de cœlo et liberavit me[5]. » Domini ad-

[1] Psal. LVI, 1. — [2] 1 Reg. c. 24. — [3] Psal. LVI, 2. — [4] Matth. XXIII, 37. — [5] Psal. LVI, 3, 4.

ventum aperte prædicat. « Dedit in opprobrium concul- » cantes me. » Spirituales videlicet et adversarias potestates. Beneficium ergo præbeas, ut mihi facultas sit dicendi cum fiducia, te de cœlo nostra respicere : et nostra quidem in meliorem conditionem deduxisse, res autem adversariorum contra in opprobrium detulisse. Aut de salute loquitur, quam consecutus est in spelunca; quando inimicum suum in potestatem accepit, cui etiam pepercit. Quod quidem in contumeliam vertit ei qui periculum evasit, utpote qui servatori suo insidias strueret. « Misit » Deus misericordiam suam et veritatem suam. » Misericordia et veritas Patris, Filius est. Medius scilicet relictus inter catulos leonum Getthæorum, nempe alienigenarum. Aut quantum per me stetit, ex humana impietate dormivi conturbatus. Verum altissimus, misso Verbo suo, liberavit animam meam, ita ut ex catulorum leonum tumultu nihil læsa sit. Quænam hæ feræ? forte filii hominum fuerint, quorum dentes et consilia sunt arma, ac si diceret, in omnibus damnosi sunt. Sicut enim gladius acutus facile perimit, sic et lingua attenuata et acuta obtrectationibus interficit.

III. « Et eripuit animam meam de medio catulorum » leonum [1]. » Catulorum leonum spiritualium videlicet. « Dormivi conturbatus. » Quoniam, inquit, ereptus sum a spiritualibus catulis leonum, ideo, inquit, requiescam, etiamsi olim ab iis conturbatus sum. « Filii hominum » dentes eorum arma et sagittæ. » Ea significans quæ tempore passionis Domino contigerunt, cum ad Pilatum clamabant Judæi adversus Christum : « Tolle, tolle, cru- » cifige eum [2], » et, « Si non esset hic malefactor, non » tibi tradidissemus eum [3]. »

IV. « Exaltare super cœlos Deus, et super omnem ter-

[1] Psal. LVI, 5. — [2] Joan. XIX, 15. — [3] Joan. XVIII, 30.

» ram gloria tua [1]. » Etiamsi, inquit, demisisti teipsum propter nostram salutem ad voluntariam exinanitionem, et factus es obediens usque ad mortem ; sed rursum ascendito ad cœlos, quia cum ascenderis totam terram gloria tua replebis.

V. « Laqueum paraverunt pedibus meis [2]. » Eos, ait, qui me laqueis dejiciebant, curasti ut in foveam quam fecerunt inciderent. Quamobrem hac re præclare acta super cœlos exaltare.

VI. « Paratum cor meum Deus, paratum cor meum [3]. » Rogat sibi dari Spiritum sanctum, quem missurum se in cœlum ascendens Unigenitus pollicitus est, paratum esse cor suum aiens ad eum recipiendum.

VII. « Exurge gloria mea [4], » gloriam suam Spiritum propheticum appellat. « Exurge psalterium et cithara. » Psalterium dicit animam, citharam vocat corpus. « Exur- » gam diluculo. » Quando, inquit, spiritualem lucem sentiam exurgam ad cantandum.

VIII. « Confitebor tibi in populis, Domine, psallam tibi » in gentibus [5]. » Omnium gentium conversionem annuntiat per confessionem suam, quia nimirum omnes gentes hymnos ejus concinunt. « Quoniam magnificata est usque » ad cœlos misericordia tua. » Simile huic : « Quia et ipsa » creatura liberabitur a corruptione, in libertatem filio- » rum Dei. Et usque ad nubes veritas tua [6]. » Veras, inquit, nubium, id est, Prophetarum voces re ipsa comprobasti.

[1] Psal. LVI, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9. — [5] Ibid. 10. — [6] Rom. VIII, 21.

PSALMUS LVII.

In finem, ne disperdas, Davidi, in tituli inscriptionem[1].

ARGUMENTUM.

Eamdem ipsam quam superior hic psalmus habet inscriptionem, immo potius palam enarrat qui finis eorum fuerit qui adversus Salvatorem insurrexerunt.

I. « Si vere utique justitiam loquimini[2]. » Quia adversus Salvatorem congregabantur, quasi legis ulciscendæ causa, jure illis propheticus Spiritus jubet; ut si quam juris et æqui curam habeant, recta sive justa judicent. At illi nequaquam justa judicabant cum innoxium et justum vellent interficere. « Etenim in corde iniquitates » operamini in terra[3]. » Etsi, inquit, lenes videantur sermones, ex dissimulatione ulciscendæ legis; sed cor plenum acerbitate, et opera similiter iniquitate plena sunt.

II. « Alienati sunt peccatores a vulva[4]. » Ostendit eos nullam omnino habuisse salutis causam. Siquidem per Hesaïam Prophetam Judæis ait Deus : « Novi quia despicies » et contemptor eris, atque ex ventre vocaberis, im» pius es. » Ventrem vocat sanctum Baptisma. « Furor » illis secundum similitudinem serpentis[5]. » Furorem animam dicit, quam similem ait serpenti illi qui in Padisrao versabatur, qui simulatis amicitiæ verbis, mortem induxit. Quando igitur et hi quoque, « Rabbi » et,

[1] Psal. LVII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4. — [5] Ibid. 5.

« magister » dicentes, et, « scimus quoniam a Deo venisti[1], » et hujusmodi verba proferentes, crucem ipsi machinabantur; idcirco serpenti comparati sunt. « Sicut » aspidis surdæ et obturantis aures suas. » Non modo, inquit, serpenti comparari possunt, sed etiam aspidi, venenum in dentibus habenti, quæ nolit audire incantatores ut furorem sedet. Hæc autem ideo dicit, quia illi juxta Hesaïæ vocem aures suas aggravarunt ut non audirent sermones Domini.

III. « Deus conteret dentes eorum in ore ipsorum[2]. » Dentes hîc vocat sycophantias quas adversus Dominum struxerunt, maxime autem eas quæ Resurrectionem spectarent, aut dentes virtutem appellat, quia leonum vis in dentibus est. « Ad nihilum devenient tanquam aqua » decurrens[3]. » Despicabiles, inquit, erunt, perinde atque effusa aqua prorsusque inutilis. « Intendet arcum » suum donec infirmentur. » Arcum hic vocat sententiam quam in divino tribunali laturus est. Illud autem, « donec, » pro, *et*, jacet; ut sententia sit, « et infirma» buntur. Supercecidit ignis et non viderunt solem[4]. » Injecti, inquit, in ignem æternum, solem justitiæ non viderunt. Simile autem est illud : « Tollatur impius ut » non videat gloriam Domini[5]. »

IV. « Priusquam intelligerent spinæ vestræ rham» num[6]. » Rhamnus est spinosa arbor, loquitur autem de spinea corona. Priusquam, ait, augeantur spinæ vestræ, id est peccata vestra, et rhamnus fiant, id est efflorescant et fructum ferant, invadet vos ira divina.

V. « Lætabitur justus cum viderit vindictam[7]. » Justi, inquit, cum e medio sublatos improbos dæmonas tempore justi judicii conspicient, de justo Dei judicio gaude-

[1] Joan. III, 2. — [2] Psal. LVII, 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9. — [5] Esai XXVI 10. Juxta 70. — [6] Psal. LVII, 10. — [7] Ibid. 11.

bunt. Quia scilicet innoxii reperti sunt, atque liberi a supplicio pro morte infligendo. Illud enim, « lavabit[1], » de innocente accipiendum, juxta illud : « Lavabo inter » innocentes manus meas. Utique est Deus judicans eos » in terra[2]. » Illud, « utique, » pro, « revera » positum est. Utique est Deus judicans eos. Confitentur, vere justum esse judicium Dei in eos latum.

PSALMUS LVIII.

In finem, ne disperdas, Davidi, in tituli inscriptionem, quando misit Saül, et custodivit domum ejus, ut eum interficeret[3].

ARGUMENTUM.

Livore in Davidem ductus Saül, etiamsi beneficus sibi erat, quærebat interficere eum, modo ejaculans in eum hastam, modo obsidiens in domo. Refertur autem ad personam Salvatoris, qui ingratum Israëlem beneficiis affecit, cujus personam ferebat Saül, insidiis autem ejus appetitus est. Prænuntiat quoque omnium gentium vocationem, ejecto videlicet ob impietatem Israële, ab eo quod secundum Deum est vitæ instituto.

I. « Eripe me de inimicis meis Deus meus[4]. » Rogat ab inimicis cum sensibilibus tum spiritualibus eripi. Isti enim iniqua agentes invidebant ipsi.

II. « Neque iniquitas mea, neque peccatum meum,

[1] Psal. xxv, 6. — [2] Psal. lvii, 12. — [3] Psal. lviii, 1. — [4] Ibid. 2.

» Domine[1]. » Simile illi est : « Quia iniquitatem non » fecit, neque inventus est dolus in ore ejus[2]. »

III. « Intende ad visitandas omnes gentes[3]. » Rogat converti ad Christi fidem idololatras, et ejici Israëlem ob iniquitatem suam. « Non miserearis omnibus qui ope- » rantur iniquitatem. Convertentur ad vesperam[4]. » Causam dicit cur precetur ut non misereatur eis. Causa vero est quia conspirationem adversus Salvatorem facturi erant, quo tempore ille in novissimo dierum in mundum cum carne advenit. « Et famem patientur ut canis, » famem quidem patientur quod panem vivificum non accepturi sint. Canes autem vocat illos ob impudentiam animi. Illud autem : « Circuibunt civitatem. » Quia scilicet patria lapsi et Imperatorio decreto ejus accessu prohibiti, extrinsecus circumeunt, vixque procul eam conspicere possunt.

IV. « Ecce loquentur in ore suo[5]. » Quasi dicat, blasphemabunt. « Et gladius in labiis eorum[6]. » Illud scilicet : « Tolle, tolle, crucifige eum. Et tu, Domine, deride- » bis eos[7]. » Blasphemabant, inquit, et usque ad crucem parabant insidias, dicentes non conspicienda a Deo fore verba et opera ipsorum. Sed etiamsi isthæc cogitaverunt, tu Domine, eos derideri curabis. Illi quidem hæc aggredi audent : tu autem audis atque vides, ridesque vanum eorum furorem. « Ad nihilum deduces omnes gentes. » Spirituales videlicet, quæ contra Dominum bellum excitarunt. Superius dixit : « Intende ad visitandas omnes gen- » tes ; » hic vero : « Ad nihilum deduces omnes gentes. » Multum accurato usus ordine orationis per ea queis in medio est usus. Ostendens enim se non simpliciter postulare ut supplicio afficiantur, primum rogavit Deum ut

[1] Psal. LVIII, 5. — [2] Esai LIII, 9. — [3] Psal. LVIII, 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 8. — [6] Joan. XIX, 13. — [7] Psal. LVIII, 9.

ea perpenderet et gesta examinaret. Exinde narravit qualia ipsi fecissent, rati neminem esse qui rebus provideret. Ac tunc de supplicio sumendo hæc subjunxit : His de causis merito de illis pœnas sumes, atque supplicio ad nihilum eos deduces.

V. « Fortitudinem meam ad te custodiam[1]. » Illi quidem, ait, eo pacto adversum te impie egerunt : ego vero Propheta qui isthæc loquor, spiritualem fortitudinem meam, et regnum meum per te conservatum retinebo : quia scilicet patrocinaris mihi, et antequam precarer me misericordia tua circumplexus es, ut etiam ruinam inimicorum meorum conspicerem.

VI. « Ne occidas eos, nequando obliviscantur legis » tuæ[2]. » Precatur ut non funditus deleatur genus eorum qui insurrexerunt adversus Dominum. Sed rogat magis ut dispergantur, et in captivitate vitam agant, propter « delictum oris eorum, » et propter eorum superbiam.

VII. « Et de execratione et mendacio annuntiabuntur » in consummatione[3]. » Evulgetur, inquit, eorum consummatio, propter maledicta quibus te onerant, gloriam tuam calumniantes. Consummationem autem, non generis universi exitium, sed eversionem gloriæ eorum appellat. Gloria autem eorum sunt legales cultus atque ritus, divinum templum, Prophetæ, Principes sacerdotum, Doctores legis, apparitio Angelorum, quæ confertim omnia post Domini cædem consummata sunt.

VIII. « Et scient quia Deus dominatur Jacob, et finium » terræ[4]. » Omni gloria spoliati, inquit, re et opere cognoscent, quod tu sis Dominus Jacob, qui in fines terræ extendisti Ecclesiam tuam.

IX. » Convertentur ad vesperam[5]. » Resumit ea quæ

[1] Psal. LVIII, 10. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid. 14. — [5] Ibid. 15.

prius dixerat, ut prophetiam adversus eos datam firmiorem efficiat. Quoniam dixit : « In ira consummationis et » non erunt : » ne quis opposita dixisse Prophetam arbitretur, cum sic loquitur : « Disperge illos in virtute » tua ; » merito eamdem vocem repetit « convertentur » quod dictum nonnihil obscuritatis in versibus affert. Vult enim canum exemplum exprimere, qui cum ad escam congregantur, antequam cibum attingant, sese mutuo devorant, ac plerumque discerpuntur, non sumpto cibo. « Ipsi dispergentur ad manducandum, si vero non fue» rint saturati et murmurabunt[1]. » Circuibunt quærentes verbum Domini, nec invenient. Quod si quando aliqua percepta Scripturæ divinæ sententia, videantur ea ad satietatem usque frui; ita quoque murmurabunt, utpote qui semper murmuratores sint et adversus Deum loquantur.

X. « Ego autem cantabo fortitudinem tuam[2]. » Illi, inquit, hoc modo : Ego autem, populus scilicet ex gentibus conversus, qui tuam novi virtutem, gaudebo de tua misericordia quæ in lumine advenit, in die resurrectionis tuæ. Per eum namque patrocinatus nobis es, et refugium in tribulatione effectus. Quapropter psalmos tibi Deo qui mei misertus es persolvo. « Quia fuisti adjutor meus et » refugium meum. » Semper enim tuo potitus sum auxilio, ac per providentiam tuam, occurrentes effugi calamitates. Cujus rei causa te solum agnosco Deum, te misericordiæ et clementiæ fontem voco. Hæc beatus David longe ante propheticis videns oculis Judæorum calamitates prædixit; atque se promisit semper Dominum laudibus celebraturum : ac promissa complet piorum persona canticum offerens.

[1] Psal. LVIII, 16. — [2] Ibid. 17.

PSALMUS LIX

In finem. Pro his qui immutabuntur [1]; in tituli inscriptionem, ipsi David[2], in doctrinam, cum succendit Mesopotamiam Syriæ et Syriam Sobal, et convertit Joab et percussit in valle Salinarum duodecim millia.

ARGUMENTUM.

Cum perspicua sit historia, quod accurate in secundo Regnorum descripta sit, id dicemus quod in ea utile occurrit. Personam scilicet Davidis referri ad personam Domini, qui et mutationem et novitatem rerum in novissimo temporum dedit, et alienigenas gentes percussit, id est spirituales. Hæc namque Scriptura ad doctrinam et institutionem nostram enarrat. Docemur itaque, quo tempore qui ex semine David secundum carnem est, inimicos percussit, et gentes sibi proprias effecit Judæorum populus, cum supplicium ob Christum [necatum] sentiret, quodammodo et ipsum converti, postulantem dari sibi gratiam per Christum. Deplorat autem primum illatam sibi ob impietatem in Christum ruinam, quare ait.

I. « Deus repulisti nos et destruxisti nos, iratus es et » misertus es nobis[3]. » Supplicium, inquit, de nobis sumpsisti ob nostram erga te impietatem. Sed misertus es

[1] Psal. LIX, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

nobis; illud autem, « misertus es » pro, « miserere, » positum est, aut alio modo, « misertus es, » miseros effecisti, ita ut propter calamitates jam tempus sit ut nobis misericordia impendatur. « Commovisti terram et conturbasti » eam[1]. » Jerusalem dicit, quia obsessa fuit et templum ejus solo æquatum. Aut spiritualem eorum terram dicit, quæ propter aversionem quæ sibi obvenit commota est. « Sana contritiones ejus quia commota est. » Rursum quæ gesta sunt enarrat.

II. « Ostendisti populo tuo dura[2]. » Multitudine, inquit, calamitatum, quasi vino quodam soporem nobis effecisti, ac dolore animas nostras complevisti. « Potasti » nos vino compunctionis. » Ita Aquila est interpretatus : « Potasti nos vino soporis. » Vinum compunctionis, supplicia in Scripturis memorata vocat, prænuntiata illi, ob ipsorum erga Christum impietatem. Dum legunt enim et quæ prædicta sunt experientia ediscunt, conscientia compunguntur. « Dedisti metuentibus te significationem » ut fugiant a facie arcus[3]. » Significatio est illuminatio, qua potest discretio haberi spirituum, necnon boni et mali. Hac enim præditi notitia, fugimus a malis, longeque declinamus ab improbo opere et a maligno spiritu. *Ejusdem.* Nos, inquit, ob nostram impietatem supplicio sumus affecti : at qui timent te, signum acceperunt (palam autem est illud signum esse quo obsignati sumus) ut omni supplicio liberi sint. Hujus autem signi typus erat sanguis ovium in Ægypto postibus inspersum.

III. « Deus locutus est in sancto suo[4]. » Simile huic : « In novissimo dierum istorum locutus est nobis in Fi» lio[5]. » Ipse namque est Sanctus Dei et Patris. Quid et cui locutus est? Postquam in præcedenti psalmo precatus fuerat : « Exaltare super cœlos Deus, et super omnem ter-

[1] Psal. LIX, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 8. — [5] Hebr. I, 2.

» ram gloria tua; » ideo respondet, se quidem Sichima divisurum, id est, regiam Israëlis quæ in Sichimis erat. Nam dedit eam alienis gentibus, quæ crediderant in ipsum. « Et convallem tabernaculorum metibor. » Convallem divina Scriptura omnium hominum domicilium vocat. Hanc igitur omnem convallem in tabernacula mihi dimetiar; id est Ecclesiarum plenissimam efficiam.

IV. « Meus est Galaad et meus est Manasses[1]. » Per Galaad et Manassen significat se in adventu suo Judæis primum gratiam prædicaturum. Immo etiam Ephraïm et Judas duæ regiæ tribus Israël gratiam similiter accipient. Illud autem : « Fortitudo capitis mei, » positum est pro, fortitudo principatus mei. Imperii enim sui id est, Israëlis fortitudo Ephraïm erat; ex eo namque Regnum Israël erat. « Moab olla spei meæ. » Olla est vas. Ait autem Moabitas qui nuper athei erant, spem in eum accepturos esse. « In Idumæam extendam calceamentum » meum. » Idumæam quoque, inquit, circuibo. Idumæa item aliena gens erat. His autem nobis declaratur, gentes etiam ejus fidem amplexuras esse : quare ait : « Mihi » alienigenæ subditi sunt. »

V. « Quis deducet me in civitatem munitam ? » Cum per Spiritum audisset Propheta, gentes gratiam esse accepturas, ait : « Quis deducet me in civitatem munitam ? » Civitatem autem munitam vocat Ecclesiam, quæ Dei virtute circumvallata est. Hæc autem Propheta ait quasi ex persona pœnitentis Judæorum populi, et optantis accipere fidem in Christum. « Aut quis deducet me usque » in Idumæam ? » Declarat quæ sit civitas munita. Quæ igitur est, nisi Idumæa? Per Idumæam enim significat omnes gentes quæ fidem acceperunt. « Nonne tu Deus, » qui repulisti nos[3] ? » Quis alius, ait, nos in civitatem

[1] Psal. LIX, 9. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12.

munitam duxerit, nisi tu ipse qui propter iniquitates nostras, nos a tua familiaritate repulisti?

VI. « Da nobis auxilium de tribulatione, quia vana » salus hominis [1]. » Non per humanam, inquit, belli societatem, ab ingruentibus nobis calamitatibus eripi speramus, sed per tuum solum auxilium. « Et vana salus » hominis. » Qui sperat in salutem hominis vanam sibi spem proponit. Apertius Symmachus interpretatus est, adjiciens particulam conjunctivam ac dicens : « Da nobis » auxilium de tribulatione. Etenim vana salus hominis[2]. »

VII. « In Deo faciemus virtutem. » Auxiliare, inquit, iis qui se male habent. Tu namque solus potes calamitatibus liberare. Hominum enim auxilia te non annuente vana sunt. Ejus itaque providentiam invocabimus, et in ejus virtute confidemus. Hæc enim sola sufficit ad gravia quæque solvenda, et ad inimicorum nos impugnantium potentiam opprimendam. Mutuis ceu vocibus colloquuntur, dicuntque se in solo Deo spem reposuisse. Quamobrem ait : cum a solo Deo vim futuram nobis speraverimus, tunc nihil esse inimicos nostros reperiemus.

PSALMUS LX.

In finem in hymnis David [3].

ARGUMENTUM.

Gratias Deo refert cum pro seipso, tum pro populo salutem per gratiam adepto. Pollicetur autem se cum in æternis degerit mansionibus incessanter laudes emissurum.

[1] Psal. LIX, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Psal. LX, 1.

I. « Exaudi Deus deprecationem meam[1]. » Quoniam potentiam ac tyrannidem dæmonum respiciens, anxietate plenus sum; ideo obsecro, ut ad nostrum conspectum veniens eripias nos de manu eorum qui vim nobis inferunt. Illud autem, « A finibus terræ, » significat eum pro toto orbe terrarum supplicationes offerre : « A finibus « terræ ad te clamavi[2]. » Quoniam stationibus multis Babylon a Palæstina distat, extrema orbis inhabitare se putabant, qui in captivitatem deducti eam terram incolere jussi fuerant. « In petra exaltasti me. » Declarat se cito exauditum, juxta illud : « Adhuc te loquente dicam : Ecce » adsum[3]. » Aperte autem prædicat per quem salus futura sit, exaltatum enim se in petra fuisse ait. Fortiores namque, ac superiores mala inferentibus dæmonibus per Christum effecti sumus, qui a beato Paulo petra appellatus est.

II. « Deduxisti me quia factus es spes mea[4]. » Si enim ipse via est, et ipse porta, palam est eum nos bonam incedere viam edocturum, atque curaturum ut in eum speremus. « Turris fortitudinis a facie inimici. » Quasi diceret : Turris mihi ac præsidium fuisti ut mala inferentibus inimicis nihil lædar.

III. « Inhabitabo in tabernaculo tuo in sæcula[5]. » Per bona quæ jam acceperat, factum ut de futuris speret : quia in supernis tabernaculis constitutus, sub ejus tegumento et præsidio semper deget.

IV. « Dedisti hæreditatem timentibus nomen tuum[6]. » Ecqua hæreditas illa nisi regnum cœlorum? « Venite » enim inquit, « benedicti Patris mei possidete paratum » vobis regnum a constitutione mundi[7], » et cætera; ita ut regnum Dei possideant, et Christiani in terra dicantur.

[1] Psal. LIX, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Esai. LVIII, 9. — [4] Psal. LIX, 4. — [5] Ibid. 5. — [6] Ibid. 6. — [7] Matth. XXV, 34.

V. « Dies super dies Regis adjicies[1]. » Significatur partem hæreditatis esse vitam æternam. Illud enim est, dies super dies annis Regis adjici. Significat enim per dies tempora quædam et sæcula. « Permanet in æternum in » conspectu Dei, misericordiam et veritatem ejus quis » requiret ? » Præpostere sermo positus est, ut hæc sit sententia : Si quis requirat misericordiam et veritatem ejus, hic per infinita sæcula manet in conspectu Dei.

VI. « Sic psalmum dicam nomini tuo in sæcula. Sic[2], » Quomodo ? nisi manendo in conspectu tuo in futuro sæculo. Tunc enim beata illa mansione dignatus, sine fine hymnos emittam. Sic et non alio modo, gloriam et laudes proferens homo, non finem faciet in sæculum reddendi Domino vota sua. Fideles namque non cessant quotidie divina celebrare mysteria.

PSALMUS LXI.

In finem. Ad Idithum, Psalmus ipsi David.

ARGUMENTUM.

Idithum unus erat ex chori moderatoribus in divino Templo. Hic lapsus in peccatum a Davide psalmum accipit, qui virtutis ipsi redintegrationem paret. Prædicit autem in eo redemptionem per Salvatoris œconomiam toti generi humano futuram, eversionemque spiritualium inimicorum : adhortationemque inducit qua a peccato homines avertantur, subjiciens ea quæ judicium Dei spectant.

[1] Psal. LX, 7. — [2] Ibid. 8.

I. « Nonne Deo subjecta erit anima mea [1] ? » Etiamsi, inquit, commota es, o anima mea, et a statu virtutis lapsa, sed Domino subjecta esto. Quia ipse tibi patrocinabitur, et salvam te faciet ut ne ultra commovearis. « Nam et ipse Deus meus [2]. » Etenim et ipse salutem tribuet ei qui a vobis læsus est et prorsus a vestra improbitate liberabit.

II. « Quousque irruitis in hominem [3] ? » Acclamat contra adversarias potestates : quia in hominis naturam ad malum propensam irruunt, quæ ea naturali infirmitate, similis est « parieti inclinato, ruinæ proximo, et ma- » ceriæ depulsæ. »

III. « Verumtamen pretium meum cogitaverunt re- » pellere [4]. » Parum enim abfuit quin ipsa vi ratiocinandi nos privarint, cogentes adorare ligna et lapides, ut diceretur de nobis : « Homo cum in honore esset non » intellexit. Cucurrerunt in siti [5]. » Hunc, inquit, cursum emensæ sunt adversariæ potestates, quasi sitientes ut me privarent honoribus. « Ore suo benedicebant et » corde suo maledicebant. » Hoc ait quia dulcia et grata nobis subjicientes, per ea nos maledictionis filios efficiunt.

IV. « Verumtamen Deo subjecta esto anima mea [6]. » Rursum animam alloquitur, ad subjectionem erga Deum cohortans. Declarat autem magnitudinem tentationum, illudque Apostoli ait : « Quoniam non sinet vos tentari » super id quod potestis sustinere [7]. Verumtamen Deo » subjecta esto anima mea. » Parum abest quin nos ratiocinandi usu privarint, cum necessitatem nobis induxerunt adorandi ligna et lapides, ita ut de nobis dicatur. « Homo cum in honore esset, non intellexit. »

[1] Psal. LXI, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Psal. XLIV, 10. — [6] Psal. LXI, 7. — [7] 1 Cor. VII, 13.

Sed illi quidem, o anima mea, hujusmodi sunt : tu autem « subjecta esto » servituti ejus. Deinde infert : idipsum ab illo me spero accepturum, videlicet salutem me ipsius patrocinio consecuturum : neque enim sinet me desertorem ac transfugam ab ipso esse, sive in aliud dominium transferri. Inde quippe salutem expecto auxiliumque ipsius, quia in eo spem reposui meam. « In Deo salutare meum et gloria mea[1]. » In eo spem salutis et gloriæ positam habeo. Id est, ipse me et salvum, et gloriosum, victoremque eorum efficiet.

V. « Sperate in eo omnis congregatio populorum[2]. » Postquam in ipso primo cursum paraverat ad pœnitentiam, ad idipsum alios cohortatur, atque una prophetico ore omnium gentium vocationem prænuntiat. « Effundite coram illo corda vestra. » Perinde est ac si diceret : Ne accedite ad eum corde duplici. Sed ut Scriptum est : « Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex tota mente tua[3]. »

VI. « Verumtamen vani filii hominum etc[4]. » Gnarus omnes Evangelii vocationem accepturos, infelices prædicat eos qui non credituri sunt, maxime vero Judæorum magistros, qui et mendaces erant, utpote qui a veritate repulsi fuissent. Et non modo bilancibus et *stateris* injustitiam exercebant, sed etiam pro vanitate congregabantur. Vanæ quippe fuerunt eorum adversus Salvatorem insidiæ. « Nolite sperare in iniquitate, et rapinam nolite concupiscere[5]. » Hoc ait illis quia avaritiæ causa insidiati sunt illi, sperantes legis se fructum accepturos ab eo.

VII. « Semel locutus est Deus, duo hæc audivi : quia

[1] Psal. LXI, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Matth. XXII, 37. — [4] Psal. LXI, 10. — [5] Ibid. 11.

» potestas Dei est etc[1]. » Deus, inquit, declaravit sermonem de judicio, ex quo hæc duo audivi : unum quidem, quod iis qui per peccatorum magnitudinem iram expetierint, iram daturus; iis vero qui opera misericordiæ digna perpetrarint, misericordiam præstiturus sit. Illud enim *potestas*, iram significat, atque furorem adversus eos qui fuerint ira digni.

PSALMUS LXII.

Ipsi David, cum esset in deserto Judeæ[2].

ARGUMENTUM.

Et hunc canit psalmum, fugiens a facie Saülis, et per institutum vitæ cum virtute actum Dei implorat auxilium. Refertur etiam ad animam quæ olim omni vacua bono fuerat, et quæ postea per Christi gratiam conversa est.

I. « Deus Deus meus, ad te de luce vigilo[3]. » His significat assiduitatem. Ad te, inquit, mane surgens respicio, ut hymnos tibi et orationes offeram. « Sitivit in te ani- » ma mea. » Non modo, inquit, anima mea divino amore repleta est; sed etiam « multipliciter caro mea. » Non solum enim par est nos pietatem colere, sed etiam corpore placere Deo; videlicet, per jejunium, per frequentem orationem, per chameüniam, per opera ma-

[1] Psal. LXI, 12. — [2] Psal, LXII, 1. — [3] Ibid. 2.

nuum, ad eleemosynam erogandam. « In terra deserta et » invia[1]. » Nullum ex deserto loco nocumentum sensi, inquit, sed quasi apud sacrum tabernaculum tuum starem, hymnum offero. Illud enim, « in Sancto, » Tabernaculum significat. Nondum enim divinum templum extructum fuerat. « Sic in Sancto apparui tibi. Sic. » Quomodo? nisi sitiens atque exoptans tecum, qui sanctus es, conjungi. Quis vero sanctus ille fuerit nisi Unigenitus?

II. « Quoniam melior est misericordia tua super vitas[2]. » Quoniam qui ad Dei misericordiam accedunt, id est ad Christum, nihil ducunt hujus mundi vitam, ejusmodi vocem proferunt, dicuntque misericordiam sibi per Unigenitum concessam, præstantiorem esse vitæ præsentis diuturnitate. « Sic benedicam te in vita mea[3]. » Hoc per totam vitam agere pergam, lingua scilicet hymnos cantabo, manus extendam, et tuam rogabo clementiam. « In nomine tuo levabo manus meas. » Non ultra, inquit, sicut ante feci, manus extendam ad Deum alienum : sed ad te solum, et tuum in precationibus nomen invocabo.

III. « Sicut adipe et pinguedine repleatur anima » mea[4].» Ostendit quantum sit lucrum eorum qui in ipsum solum spem posuerint. « Et labiis exultationis lauda» bit os meum. » Cum, inquit, in memoriam mihi venit nomen tuum, tunc gaudio replentur labia mea.

IV. « Si memor fui tui super stratum meum[5]. » Illud : « Si memor fui, » positum pro, « cum memor sum; » ut sit sententia : cum memor tui essem, inquit, insomnes duxi noctes, laudibus tuis vacans, et illustria dona tua accipiens, quæ invocantibus te tribuis. « Quia fuisti » adjutor meus, et in velamento alarum tuarum exul» tabo[6]. » Quandoquidem, ait, tu mihi custodiæ tuæ

[1] Psal. LXII, 3.—[2] Ibid. 4.—[3] Ibid. 5. —[4] Ibid. 6.—[5] Ibid. 7.—[6] Ibid. 8.

auxilium impendis, lætitiam excipio. Velamentum enim alarum vocat custodiæ auxilium. A te, inquit, protectus summopere gaudebo.

V. « Adhæsit anima mea post te [1]. » Ne tantillum quidem possum a cogitatione mea memoriam tui avertere. Sed amoris incentivo adustus, ceu glutino quodam memoriæ, tibi desiderio conjunctus sum. « Me suscepit » dextera tua. » Ecqua autem fuerit Patris dextera, nisi unigenitus ejus Filius?

VI. « Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam [2]. » Occlamat demum contra adversarias potestates, vim illatam sibi objiciens, rogans æternis ipsas tradi suppliciis.

VII. « Rex vero lætabitur in Deo [3]. » Postquam finem eorum enarravit qui erga Christum impii fuerunt, et declaravit in partem ipsis et sortem fore inferiora terræ, ad alium hominum statum et ordinem sermonem convertit : id est, eorum qui in Christum crediderunt, qui cum regno cœlorum dignati sint, reges jure vocantur, juxta illud dictum Apostoli : « Et utinam regne- » tis [4]. » Hic autem erat populus qui regnabat, quique lætabatur lætitia spirituali, quam ipsi Deus ipse largitus est. Ego, inquit, qui regnum accepi de auxilio tuo, non de ipsorum morte gaudeo. « Laudabuntur omnes qui ju- » rant in eo. » Ita, inquit, gloria ipsorum Christus erit, eorum videlicet qui regnabunt; ut jure laudentur, quia eum juramenti Deum statuunt. Jurabunt enim per Deum verum, sicut scriptum est. « Quia obstructum est os lo- « quentium iniqua. » Ecquinam sunt illi, nisi qui ausi sunt dicere : « Tolle de terra hujusmodi, non enim ex- » pedit eum vivere [5]? » Horum itaque os obstructum est, postquam Dominus mortem conculcasset ac post triduum

[1] Psal. LXII, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. 12. — [4] I Cor. IV, 8. — [5] Actor. XXII, 22.

resurrexisset. Ipsarumque adversariarum potestatum os obstructum fuit, ut alibi dictum est : « Et omnis iniqui-» tas oppilabit os suum. Deus[1], *enim* est qui judicat, et » quis est qui condemnet[2]? »

PSALMUS LXIII.

In finem, Psalmus David[3].

ARGUMENTUM.

Hunc canit psalmum ex persona sanctorum Apostolorum, qui rogant liberari se ab inimicis evangelicæ prædicationis, et dilucide narrant quæ adversum se a principibus populi Judaici gesta sint : quæque ipsi, videlicet populi principes, impietatis erga Christum causa sint perpessi.

I. « Exaudi Deus orationem meam cum deprecor[4]. » Accipe, inquit, Domine, supplicationem meam, et mentem confirma meam, ut ne timeam impetus inimicorum. « A timore inimici eripe animam meam[5]. » Simile illi : « Et nunc, Domine, respice in minas eorum, » et da servis tuis cum fiducia loqui verbum tuum. »

II. « Quia exacuerunt ut gladium linguas suas[6]. » Hæc ait, quia blasphema in Jesum dicta proferentes dice-

[1] Psal. cvi, 42. — [2] Rom. viii, 34. — [3] Psal. lxiii, 1. — [4] Ibid. 2. — [5] Act. iv, 29. — [6] Psal. lxiii, 4.

bant Apostolis : « Præcipiendo præcipimus vobis ne do- » ceretis in nomine isto[1]. Intenderunt arcum rem ama- » ram. » Arcus missili lethifera linguæ eorum dicta comparat. Quomodo enim non lethifera fuerint, quæ nituntur persuadere Jesum non credi debere Deum? « Subito sagittabunt eum et non timebunt[2]. » Insidiantes, inquit, subito impetum fecerunt, non cogitantes inspectorem Deum. « Firmaverunt sibi sermonem » nequam, » quod affirmarent Dominum a mortuis non resurrexisse. « Narraverunt ut absconderent laqueos. » Sursum deorsum, inquit, consilium inibant quo pacto evangelicæ doctrinæ præcones clam occiderent. « Dixe- » runt quis videbit eos? » Hæc, inquit, agebant rati Deum de tanta impietate pœnas non exposcere.

III. « Accedet homo et cor altum[3]. » Iniqui homines, ait, finem non fecerunt mala contra Dominum machinandi : Id enim significatur per hæc verba : « Scrutati » sunt iniquitatem. » At homo Dei, qui prudentia consilia init (illud enim significat, « cor altum ») cum accurate mysterium perpenderit, hymnis usus congruentibus, Deum exaltabit, juxta illud quod alibi dictum est : » Exaltabo te Dominus meus, Rex meus. Sagittæ parvu- » lorum factæ sunt plagæ eorum[4]. » Postquam eorum adversus sanctos præcones impetum enarravit, jam eorum ruinam describit.

IV. « Et timuit omnis homo[4]. » Quis non timeret, inspectionem et perquisitionem a Deo adversus impios factam cernens[5]?

V. « Lætabitur justus in Domino et sperabit in eo[6]. » Qui divinas curant leges, ingenti gaudio perfusi, spem erga Deum firmam efficient. « Et laudabuntur omnes

[1] Act. v, 8. — [2] Psal. LXIII, 6. — [3] Ibid. 8. — [4] Psal. CXLV, 1. — [5] Psal. LXIII, 10. — [6] Ibid. 11.

» recti corde. » Gloriæ laudisque fructum apud homines ferent, qui a Deo diriguntur, nec sustinent extra viam rectam incedere.

PSALMUS LXIV.

In finem Psalmus David. Canticum Jeremiæ et Ezechielis populo transmigrationis, cum inciperent exire[1].

ARGUMENTUM.

In hoc psalmo personam inducit Gentium, quæ occlamantibus licet hujus sæculi sapientibus, crediderant in Christum, et jam postulant pristinæ impietatis remissionem. Ad hæc pro iis orationem emittit, qui scilicet infructuosi olim erant, jam vero per Christi fidem frugiferi facti sunt.

I. « Te decet hymnus Deus in Sion[2]. » Non ultra, inquit, iis quos olim deos æstimabamus hymnos canimus, gnari non par esse illos celebrari, qui ligna, lapides et dæmonia sunt. Sed tibi soli hoc officium convenientissimum est. « Et tibi reddetur votum in Jerusalem[3]. » Aut Jerusalem terrenam ait, quæ est Ecclesia, aut cœlestem ad quam cum pervenerimus laudes offeremus.

II. « Exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet[3]. » His omnium gentium vocationem annuntiat

[1] Psal. LXIV, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

juxta id quod dictum est apud Joëlem : « Effundam de » Spiritu meo super omnem carnem[1]. »

III. « Verba iniquorum prævaluerunt super nos[2]. » Verba iniquorum dicit sapientiam sapientum sæculi hujus, qua infirmi fuerunt, a vera lapsi cognitione. « Et impie- » tatibus nostris tu propitiaberis. » Rogant liberari ab impietate in qua olim erraverant.

IV. « Beatus quem elegisti et assumpsisti[3]. » Eos qui erant virtute perfecti, et ad bravium supernæ vocationis pervenerant, beatos appellat. « Replebimur in bonis » domus tuæ. » Bona domus vocat diversa Spiritus dona. « Huic » enim, inquit, « datur per Spiritum sermo sapien- » tiæ, alii autem sermo scientiæ » et reliqua dona. « Sanc- » tum est templum tuum[4], » aut cœleste aut terrenum juxta dictum illud : « Templum Dei sanctum est, quod » estis vos[5], » qui pleni estis sanctificatione. (Templumque illud tuum) per eloquia tua accedentes erudit atque docet justitiam tuam.

V. « Exaudi nos Deus salutaris noster, spes omnium fi- » nium terræ[6]. » Exaudi nos itaque et hæc nobis præbeas. In te, inquit, fines terræ sperabunt, et qui procul a mari habitant. His autem significat terminos terræ.

VI. « Præparans montes in virtute sua[7]. » Montes hic vocat adversarias potestates. « Præparans » autem ad supplicium, præparavit namque illis abyssum. Hoc autem facies, potens cum sis. « Qui conturbas profundum ma- » ris. » Mare dicit, multitudinem immundorum spirituum , quæ Christi adventu conturbatur. Quamobrem metuentes aiebant : « Venisti ante tempus torquere » nos[8]. »

VIII. « Turbabuntur gentes, et timebunt qui habitant

[1] Joël. II, 28. — [2] Psal. LXIV, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] 1 Cor. XII, 8. — [5] 1 Cor. III, 17. — [6] Psal. LXIV, 6. — [7] Ibid. 7. — [8] Matth. VIII, 21.

» minos, a signis tuis[1]. » Quando, inquit, gentes, id est, dæmonum catervæ turbabuntur, tunc qui in terminis terræ versantur homines, turbabuntur, signa magna conspicientes. Signa autem ea sunt, quæ in ejus adventu sunt edita. « Exitus matutini et vespere delectabis. » Cum enim signa magna conspicati homines qui orbem terræ incolunt; bono metu timebunt, tum et ad matutinos et ad vespertinos exitus; hoc est, omni tempore, delectatio erit eis, exultantibus ob res præclare a te adveniente gestas.

VIII. « Visitasti terram et inebriasti eam[2]. » Declarat quibus de rebus delectatio fuerit omnibus gentibus. Quibusnam? nisi quia visitatione sua terram totam dignatus est, suisque donis inebriavit eam. » Flumen Dei repletum » est aquis. » Flumen hîc dicit evangelicum sermonem, et repletum aquis fuisse dicit : quibusnam, nisi divinis promissis, quæ dignis regno cœlorum pollicitus est. Promissa autem hæc fuerint : « Beati pauperes spiritu[3], » et reliquæ beatitudines. « Parasti cibum illorum. » Cibum spiritualem dicit. Quoniam ante mundi constitutionem, decretum est mysterium Christi, qui est panis qui de cœlo descendit et dat vitam mundo.

IX. « Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus[4]. Ri- » vos » dicit profunda cordium : « genimina, » pias cogitationes. « In stillicidiis ejus lætabitur germinans. » Quantumvis parva, inquit, dona ipsi collata, eam lætari ac germinare faciunt, spiritualem scilicet fructum. Stillicidia porro ejus intelliges ex eo quod de Christo dicitur : « Descendet sicut pluvia in vellus, et sicut stillicidia stil- » lantia super terram[5]. »

X. « Benedices coronæ anni benignitatis tuæ[6]. » Annum

[1] Psal. LXIV, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Matth. V, 3. — [4] Psal. LXIV, 11. — [5] Psal. LXXI, 6. — [6] Psal. LXIV, 12.

dicit futuri sæculi tempus, et coronam benignitatis vocat, quia multa cum benignitate sancti in ipso coronantur. « Et campi tui replebuntur ubertate. » Campum iterum animas in ipsum credentes vocat. « Pinguescent » speciosa deserti [1]. » Montes dicit sanctos Apostolos et Evangelistas, qui spiritualibus donis pingues effecti sunt. Desertum vero gentium Ecclesiam vocat, quæ deserta olim erat Dei cognitione. « Et exultatione colles accingentur. » Colles vocat præsides ecclesiarum. « Induti sunt arietes » ovium [2], » Arietes ovium vocat principes populorum. Quo autem induentur? nisi vestimento incorruptibilitatis, et tunica lætitiæ. Arietes ovium, sanctos item Apostolos vocat, utpote qui demisso capite irrumpant, et inimicos cornu petere valeant, quemadmodum ait Dominus : « Ecce ego mitto vos sicut oves in medio luporum [3]. » Et valles abundabunt frumento. » Illæ, inquit, olim pauperrimæ ac steriles gentium animæ, spiritualibus fructibus replebuntur. « Clamabunt, etenim hymnum » dicent. » Ad meliorem, inquit, deductæ statum valles, ac repletæ spiritualibus fructibus, hymnos tibi totis viribus offerent.

PSALMUS LXV.

In finem Canticum Psalmi Resurrectionis [4].

ARGUMENTUM.

Vocationem gentium per hunc psalmum significat, annuntiatque futuram animarum resurrectionem, juxta dictum illud : « *Suscitans a terra inopem* [5]. » *Perso-*

[1] Psal. LXIV, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Matth. XI, 16. — [4] Psal. LXV, 1. — [5] Psal. CXII, 7.

nam item inducit Apostolorum, enarrantium quanta sint pro evangelica prædicatione perpessi, et quot ærumnis ad æterna gaudia deducti sint. Insuperque Judaïci populi reprobatio hic significatur.

I. « Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini » ejus[1]. » Jubilatio est victoriæ canticum, quod canitur profligatis inimicis. Cæsis itaque per Christi adventum hujus sæculi principibus, jubentur omnes gentes victoriæ cantica modulari « Dicite Deo, quam terribilia sunt ope- » ra tua Domine. » Cujusmodi opera, nisi divina signa, et quod impurorum dæmonum catervæ profligatæ sint. « In multitudine virtutis tuæ mentientur tibi inimici » tui[2]. » Judæorum hîc stuporem coarguit, qui non sivit eos miraculorum magnitudini obtemperare. « Omnis » terra adoret te et psallat tibi[3]. » Quoniam, inquit, Judæi, etiamsi ingentia per te edita signa conspexerant, mentiti tamen sunt tibi. At eorum loco te adorabit omnium gentium multitudo.

II. « Venite et videte opera Dei[4]. » Apostolorum hîc personam inducit, qui gentes docent, eum qui in suo secundum carnem adventu divina signa edidit, ipsum esse qui rubrum olim mare exsiccavit, et qui Jordani fluenta divisit, ut filii Israël pedibus transmitterent.

III. « Qui convertit mare in aridam[5]. » Hujusce rei argumentum est quod olim gestum fuit cum convertit mare in aridam. Ita Symmachus ait : « Mutavit mare in ari- » dam : flumen pertransierunt pede. » Hic enim, inquit, Deus est qui reditum nobis concessit, et salutem dedit : qui olim mare et flumen divisit, et proavos nostros absque periculo trajicere jussit. « Ibi lætabimur in » ipso. » Illud, ibi tempus indicat. Ait igitur : quo tem-

[1] Psal. LXV, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6.

pore ille in novum sæculum regnabit, nos una cum ipso regnabimus et ineffabili gaudio perfundemur.

IV. « Oculi ejus super gentes respiciunt[1]. » Intentus est omnibus, omnia gesta inspicit et examinat. « Qui exas- » perant non exaltentur in semetipsis. » Ecquinam fuerint ii qui exasperant, nisi de quibus dicitur : « Fili ho- » minis, vade ad domum exasperantem me[2]? » et illud : « Et exacerbaverunt eum in deserto[3] : » et rursum : « No- » lite obdurare corda vestra sicut in exacerbatione[4]. »

V. « Benedicite gentes Deum nostrum[5]. » Omnes in unum coacti ipsum laudate ac suspicite. « Qui posuit » animam meam ad vitam[6]. » Gaudebo de hujusmodi mirabilibus, deque eorum opifice qui utpote Dominus omniumque inspector, de terrenis discernit et judicat, indignosque homines suppliciis circumvenit. Oculos vocat Apostolos.

VI. « Quoniam probasti nos Deus, igne nos exami- » nasti etc.[7] » Ærumnas Apostolis ob prædicationem futuras prænuntiat Spiritus propheticus : atque ex persona eorum recenset laqueos, sive carceres : tentationesque per ignem et aquam significat.

VII. « Introibo in domum tuam in holocaustis[8]. » Cœlestem videlicet : nam se totos Deo ceu holocausta obtulerunt : Holocausta scilicet spiritualia. Sed quæ tua sunt, Domine, hujusmodi : nostra autem isthæc, ingredi in templum tibi immolare in gratiarum actionem, idipsum autem significat « distinxerunt (labia mea) » atque locuta sunt. Hæc, inquit, precatus sum. « Reddam tibi vota » mea. » Reddam tibi, inquit, ea quæ vovi dum in calamitate versarer. Vovi autem me, cum præsentibus ærumnis liberatus ero, laudes semper redditurum tibi.

[1] Psal. LXV, 7. — [2] Ezech. XLIV, 6. — [3] Psal. LXXVII, 40. — [4] Psal. XCIV, 8. — [5] Psal. LXV, 8. — [6] Ibid. 9. — [7] Ibid. 10. — [8] Ibid. 13.

VIII. « Holocausta medullata offeram tibi[1]. » Quæ offerri tibi jussisti alacriter immolabo. « Medullata » autem, crassa et pinguia vocat; ita enim lex jussit offerri immaculata et perfecta. Exsecratur autem Malachias Propheta eos qui cum talia penes se habeant, mutila offerunt[2]. Hoc ipsum olim Caïno fuit malorum exordium. Nos autem edocemur ea quæ pretiosiora sunt numini offerre. « Offeram tibi boves cum hircis. » Spiritualia omnia sunt, ut jam dixi, holocausta, boves, hirci, quos oblaturum se pollicetur.

IX. « Venite et audite et narrabo[3]. » Ecqua alia narraturus est, nisi ea quæ superius enarravit, nimirum: « Probasti nos Deus etc ? »

X. « Iniquitatem si aspexi in corde meo, non exaudiat » me Dominus[4]. » Sciebam equidem, si ego iniquitati hæream, non exaudiendam a Deo fore deprecationem meam. Aquila: « Inutile videns in corde meo, non exaudiet Dominus. » Hoc autem sibi vult: Petitiones Deo offerens, ut de probo ac decoro curem necesse est: gnarus nihil mihi utilitatis ex petitione obventurum, nisi quæ decent agam. Gloriatur quodammodo apud Deum, quod extra iniquitatem omnem versetur quamobrem se exaudiendum fore confidit.

[1] Psal. LXV, 15. — [2] Malach. I, 7. — [3] Psal. LXV, 16. — [4] Ibid. 18.

PSALMUS LXVI.

In finem, Psalmus in hymnis, ipsi David[1].

ARGUMENTUM.

Rursum hic Apostolorum personam inducit, qui doctrina gentes imbuunt, et rogant liberari ab iis qui doctrinæ suæ contradicunt. Hic psalmus præcedenti consentaneus; proprie enim agit de benedictione sacrorum : atque tota pene oratio in libro Judicum jacet. Ac si igitur futurum sit ut hoc eveniat, postquam reditum vaticinatus est, prædicat divinam incarnationem et adventum, atque futuram gentium salutem. Inscriptus autem est « in hymnis » quia Dei est hymnis celebrari, hominum autem est laudibus ornari.

I. « Deus misereatur nostri et benedicat nobis etc[2]. » Tuam, inquit, miserationem obsecramus, Domine, rogamusque ut exhibeas vultum tuum nobis, ut viam sancti Evangelii tui gentibus omnibus prædicare possimus. « Salutare » enim, ipsius adventum ubique significat.

II. « Confiteantur tibi populi, Deus[3]. » Prædicit Christi confessionem ab omnibus gentibus emittendam fore. « Lætentur et exultent gentes[4]. » cum propheticus spiritus de salute orbis summopere delectetur, plerumque eadem ipsa repetit ex frequenti narratione gaudio affectus.

[1] Psal. LXVI, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5.

III. « Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi » populi omnes[1]. » Non sine causa repetit, sed ut alacriores reddat auditores. « Confiteantur tibi populi, Deus. » Quemadmodum bis gentes ad hymnos concinnendos excitavit, ita bis ipsas ad benedictionem quæsivit : cum bis scilicet eam benedictionem accepisset. Aut quia illæ benedictione repletæ non ignorant Deum qui super omnia est, sed dulcissimum ipsi offerunt pietatis fructum : quem si tibi offeramus, id est, virtutis studium accuratum, a te benedictionem accipiemus. « Terra dedit fructum suum. » Spiritualis videlicet. Fructus autem sunt ejus in pietate profectus. « Benedicat nos Deus. » Sciendum homines Deum benedicentes, ipsi verba solum proferre, sed opere ipsi beneficia impendere non posse. At Deus, cum benedicit, operibus verba confirmat, ac bonorum omnium copiam iis quibus benedicit elargitur. Deinde docet quomodo.

PSALMUS LXVII.

In finem, Psalmus cantici, ipsi David[2].

ARGUMENTUM.

In hoc psalmo adventum Domini significat, necnon spiritualium hostium depulsionem, spiritualisque captivitatis solutionem. Docet insuper se ipsum esse, qui olim filios Israël ex Ægypto eduxerit. Ad hæc omnia iis

[1] Psal. LXVI, 6. — [2] Psal. LXVII, 1.

qui prædicationem acceperint Spiritus sancti donum pollicetur. Apostolos item consolatur, pollicitus omnem prædicationis causa susceptam tribulationem removendam fore. Promittitque multorum ex iis qui ante ad iram concitabant futuram conversionem, necnon eorum qui in profundum voluptatis pelagus demersi essent. Nihilominus autem Apostolorum delectum enarrat, et quinam undeque fuerint. Annuntiat item futuram omnium gentium in Dominum fidem. Ad hæc omnia Domini, in cælos ascensum palam edocet. Licet autem hæc omnia cuilibet, versibus singulis insistenti, animadvertere.

I. « Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus[1]. » Dei ad judicandos impuros dæmones motus significatur. Nam ejus adventu a tyrannide qua homines opprimebant expulsi sunt.

II. « Iter facite ei qui ascendit super occasum[2]. » Probe, inquit, parati estote, ut in viis ejus ambuletis, qui in novissimo temporum iis qui in terra degebant visus est in carne, Aut, « ei qui ascendit super occasum, » qui usque ad infernum descenderat. « Turbentur a facie » ejus. » Dæmonum scilicet turbæ. « Patris orphanorum » et judicis viduarum[3]. » Orphanorum, id est, eorum quibus nullum patrocinium; Viduarum autem, id est, animarum, quibus Verbum sponsus non est. Patronus enim est infirmorum, qui humanum auxilium non habent, quales nos sumus. Quis autem et qualis est hic?

III. « Deus in loco sancto suo[4]. » Postquam dixit ipsum ascendere super occasum, id est usque ad antra inferni: docet iterum, eum cum in cœlos ascendisset propriis locis fuisse. Etiamsi nunquam ab illis remotus fuit natura

1 Psal. LXVII, 2. — 2 Ibid. 5. — 3 Ibid. 6. — 4 Ibid. 7.

divinitatis. « Deus inhabitare facit unius moris in domo. » Unius moris » vocat eos qui ipsi soli vitam suam obtulerunt, et quamlibet mentis duplicitatem et mundanam concupiscentiam abjecerunt. Polliceturque futurum ut ii in domo ipsius, id est in cœlesti civitate inhabitent. « Qui educit vinctos in fortitudine. » Simile est huic dicto : « Iis qui vincti sunt, exite : et his qui in tenebris » revelamini[1]. » Vincula autem et tenebras dæmonum cultum vocat. « Similiter eos qui exasperant, qui habi- » tant in sepulcris. » Hoc ait quia in infernum profectus, spiritibus istic versantibus prædicavit qui increduli olim fuerant. Illud enim, « qui exasperant, » positum est pro, qui exasperaverunt.

IV. « Deus cum egredereris in conspectu populi tui, » cum pertransires in deserto[2]. » Declarat, eum qui ad infernum usque descendit, eumdem ipsum esse qui olim per Mosem eduxit Israëlem ex Ægypto. Ait igitur : Cum populum tuum ex Ægypto egressum, præcederes, terra mota est, id est, per omnem terram pervasit fama exitus eorum. « Terra mota est, etenim cœli distillave- » runt[3]. » Distillaverunt cœli spiritualem escam videlicet, id est manna. « A facie Dei Sinaï. » Id est, Dei qui in monte Sina legem dedit « A facie Dei Israël. » Israël est mens Deum videns.

V. « Pluviam voluntariam segregabis Deus hæreditati » tuæ[4] » Pluviam dicit, Evangelicum verbum, juxta illud: « Descendet sicut pluvia in vellus[5]. » « Voluntariam » autem, ad discrimen legalis cultus. Ille enim non voluntarius erat juxta hoc dictum : « Quis enim requisivit ipsa » de manibus vestris? » Et illud : « Holocausta vestra » non sunt accepta, et sacrificia vestra non placuerunt

[1] Esaï. LXIX, 9. — [2] Psal. LXVII, 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 10. — [5] Psal. LXXI, 6.

» mihi. Et infirmata est, tu vero perfecisti eam [1]. » Infirmata, inquit, est olim cum idola coleret. Perfecisti porro eam per Evangelicum verbum vocando ipsam.

VI. « Animalia tua habitabunt in ea [2]. » Animalia hîc vocat eos qui vivificam escam degustarunt. « In ea, » in qua, nisi in hæreditate ipsius? « Parasti in dulcedine » tua pauperi Deus [3]. » Ecquid paravit, nisi « quod ocu- » lus non vidit, nec auris audivit [4]? » Quis pauper, nisi de quo dixit : « Beati pauperes spiritu, quoniam ipso- » rum est regnum cœlorum? »

VII. « Dominus dabit verbum evangelizantibus, virtute » multa [5]. » Ipse, inquit, sanctis Apostolis suis « dabit » verbum, » ut possint Evangelium prædicare. Simile autem est illud : « Nolite cogitare quomodo aut quid lo- » quamini : dabitur enim vobis in illa hora quid loqua- » mini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus » Patris mei qui loquitur in vobis [6]. » Illud, « virtute » multa, » refertur ad hæc verba, « Dominus dabit ver- » bum, » non autem ad illud, « Evangelizantibus, » ut quidam æstimarunt. Significat enim, quod magna virtute Deus verbum daturus sit evangelizantibus, id est, iis qui voluerint bona nostra annuntiare, ipse sermonem præbet, qui evangelizandi occasionem dedit.

VIII. « Rex virtutum dilecti [7]. » Ipse scilicet Dominus qui dedit verbum initiantibus : ipse namque est rex dilecti populi : ipse item est virtus ejus. « Speciei domus divi- » dere spolia. » Domus sunt qui in Christum crediderunt : species autem domus, sancti ejus discipuli et Apostoli. Ait igitur, eum Evangelistis daturum esse verbum, ut dividant spolia, id est ut trahant gentes ad fidem, et expolient Satanam.

[1] Jerem. vi, 20. — [2] Psal. lxii, 11. — [3] 1 Cor. ii, 9. — [4] Matth. v, 3. — [5] Psal. lxvii, 12. — [6] Matth. x, 19. — [7] Psal. lxvii, 13.

IX. « Si dormiatis inter medios cleros[1]. » Ad sanctos Apostolos sermo refertur. Si, inquit, vos accipiant cleri. Cleros autem vocat eos qui ex duobus populis credidere : si in ipsis requiem habeatis, dabuntur eis « pennæ colum-» bæ, » cujus « posteriora dorsi deaurata erunt. » Ait autem Spiritum sanctum accepturos esse qui Apostolos receperint. μεταφρενας vero, sive, « posteriora dorsi co-» lumbæ, » de aurata dicit, quia pretiosas et sapientes φρενας seu mentes eorum qui acceperint efficiunt.

X. « Dum discernit cælestis reges super eam[2]. » Reges vocat Apostolos hæreditati suæ imperantes. « Nive deal-» babuntur, » quasi dicat, purgabuntur : « In Selmon » interpretatur, in retributione. Ait igitur eos qui sanctos Apostolos receperint, a cælesti rege retributiones, sive præmia accepturos, scilicet purgationem peccatorum.

XI. « Mons Dei mons pinguis[3]. » Montem vocat Ecclesiam : pinguem dicit, quia pingues et opimas reddit animas quæ in illa degunt. « Mons coagulatus, mons » pinguis, ut quid suspicamini montes coagulatos ? » Coagulatum, est lacte plenum, simpliciore videlicet sermone, juxta illud : « Lacte vos potavi non cibo[4]. » Objurgat itaque eos qui hæreticorum ecclesias coagulatas esse suspicantur. Nihil quippe inest eis quod alere possit ad spiritualem vitam. Heus vos, quid suspicamini alios extra Ecclesiam montes esse coagulatos, et non potius montem illum solum suspicitis, « in quo beneplacitum est Deo ha-» bitare in eo? » Quod enim in Ecclesia habitet, palam est ex ejus verbis : « Hic habitabo quoniam elegi eam[5]. »

XII. « Currus Dei decem millibus multiplex, millia læ-» tantium etc.[6] » Currum Dei vocat cælestes ac spirituales virtutes, quibus vehitur Deus. Simile est illi : « Millia

[1] Psal. LXVII, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16. — [4] I Cor. III, 2. — [5] Psal. XI, 14. — [6] Psal. LXVII, 18.

» millium ministrabant ei, et decies millies dena millia » assistebant ei [1]. » Hi sunt qui lætantur utpote a peccato liberati. Qui hoc denorum millium curru vehitur, Dominus est, qui et in monte sancto Sinaï legem dedit [2]. Is ipse item est qui in altum, sive in crucem ascendens, captivam duxit captivitatem, id est, animas a diabolo in captivitatem ductas ipse iterum cepit. Id enim ipse pollicitus est quando dixit : « Cum exaltatus fuero a terra, » omnia traham ad meipsum. Accepisti dona in homi» nibus [3]. » A quonam accepit dona hominibus præbenda, nisi a Patre qui dixit : « Postula a me et dabo tibi » gentes hæreditatem tuam [4]? »

XIII. « Etenim non credentes inhabitare [5]. » Hi, inquit, homines, quos accepisti in dona, olim erant non credentes. Sed in illis, ait, inhabitasti. Quod per hyperbaton sive, transgressionem verborum, intelligendum. « Accepisti dona in hominibus, » ita ut inhabites in eis, videlicet in eis qui dati sunt. Ii autem ipsi, ait, quos accepisti, olim non credentes erant : palam autem est id tum evenisse, quando creaturam potius quam creatorem colebant.

XIV. « Dominus Deus benedictus, benedictus Dominus » die quotidie. » Ob rem præclare gestam hymnum offert Deo chorus, ut palam est, Apostolorum. « Prosperum » iter faciet nobis Deus salutarium nostrorum. » Tu, inquit, Domine, aperies verbi januam, ut via prædicationis prospera sit nobis.

XV. « Deus noster Deus salvos faciendi, et Domini Do» mini exitus mortis [6]. » Aperte confidere se indicat, eos qui propter prædicationem ad usque mortem accesserint educturum se generose. Suos enim ait esse exitus mortis.

[1] Dan. VII, 10. — [2] Psal. LXVII, 19, — [3] Joan. XII, 32. — [4] Psal. II, 8. — [5] Psal. LXVII, 20. — [6] Ibid. 21.

XVI. « Verumtamen Deus confringet capita inimicorum » ejus[1], » id est Apostolici chori. Ipsos enim liberabit, inimicorum scilicet capita confringens. Assumptum autem est dictum illud ex similitudine serpentum, qui cum insurrexerint in aliquem, in capite percussi intereunt. Respicit item sermo principes Judaïci populi. « Verticem capilli perambulantium in delictis suis. » Verticem capilli, caput vocat, ait porro se capita eorum confracturum, qui post peccata pœnitentiam non egerint.

XVII. « Dixit Dominus, ex Basan convertam [2]. » Basan explicatur, amaritudo, sive exacerbatio. Ait igitur : ex domo exacerbantis id est, Israëlis, convertar ad meipsum. « Convertam in profundum maris. » Etiam eos qui in profundum voluptatum demersi fuerant, convertam ad meipsum.

XVIII. « Ut intingatur pes tuus in sanguine [3]. » Docet qua ratione convertent. Et quomodo convertent, nisi de medio sublatis malignis potestatibus. Deduxerunt enim sanguinem ipsorum in terram, juxta Esaiæ vocem, ita ut pes ejus intingeretur in sanguine. Hæc autem historiæ more describuntur. « Lingua canum tuorum ex inimicis » ab ipso. » Canes dicit spiritualis ovilis custodes, sanctos prædicatores. Quorum lingua tantum non degustat sanguinem spiritualium inimicorum. Dicit itaque Apostolorum vocem tantum non fore causam mortis malignorum dæmonum.

XIX. « Visi sunt ingressus tui Deus[4]. » Ingressus Dei ait in œconomia Christi gestas : qualia sunt, partus per Virginem, signorum operationem, ascensionem in crucem, mortem quæ per dispensationem contigit, resurrectionem a mortuis, ascensum ad cœlos. Hos ingressus manifestos fuisse ait : « Ingressus Dei mei, regis mei qui

[1] Psal. LXVII, 22. — [2] Ibid. 23. — [3] Ibid. 24. — [4] Ibid. 25.

» est in sancto. » Vide quam aperte eum qui hos ingressus facit, et Deum, et regem esse suum dicit. Ipsumque prædicat in sancto esse, id est, in monte Sina, juxta id quod antea dictum est : « Dominus in eis, in Sina, in » sancto. »

XX. « Prævenerunt principes conjuncti psallentibus[1]. » Principes vocat sanctos Apostolos, de quibus dictum est : « Constitues eos principes super omnem terram [2]. » Psallentes autem, eos qui rationalia sacrificia per laudes offerunt. Ait igitur, « prævenerunt principes, » id est, priores incœperunt adorationem in spiritu et veritate, id est, Evangelicam. « In medio juvencularum tympa» nistriarum. » Juvenculas dicit credentium animas, quæ per Spiritum sanctum fortes effectæ sunt, quæ sono Evangelicæ prædicationis orbem repleverunt. In quarum medio fuere sancti Apostoli, utpote adorationis principes.

XXI. « In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus » Israël[3]. » Fontes Israël fuerint beati Prophetæ, et ante eos lex. Dicit igitur, nequaquam par esse hymnos aliunde quam ex iis haustos offerre Deo. Hoc autem ait propter heterodoxa hæreticorum scripta. Ex legalibus quippe propheticisque Scripturis Domino benedicitur ab iis qui possunt ex illis, quæ sunt fons salutis, aquam cum lætitia haurire, de qua dicit Salvator : « Qui biberit ex » aqua quam ego do ei, habebit in seipso fontem vitæ » salientis in vitam æternam[4]. » Coarguendi autem sunt qui dividunt veterem Scripturam a nova, quod non possint in Ecclesiis benedicere Deo, cum non habeant fontes Israëlis, neque Dominum eorum, utpote qui deitatem dividere audeant.

[1] Psal. LXVII, 26. — [2] Psal. XLIV, 17. — [3] Psal. LXVII, 27. — [4] Joan. IV, 14.

XXII. « Ibi Benjamin adolescentulus in mentis ex-» cessu [1].» « Ibi, » Ubinam nisi in medio psallentium? Quis est autem Benjamin, nisi beatus Paulus qui ex tribu Benjamin erat? Illud autem, « adolescentulus, » dicitur, quia ipsi post alios Apostolos visus est Dominus. « In ex-» cessu » autem dicitur, ob revelationum excellentiam, juxta illud ab eo dictum. « Sive mente excedimus Deo, » sive sapientes sumus vobis [2]. » Jure autem illum prius quam alios memorat, quia abundantius quam alii laboravit. « Principes Juda duces eorum. » Principes Juda, psallentium duces, inquit, et principes constituti sunt. Ex tribu Juda, ex tribu Zabulon et ex tribu Nephthali. Et ex tribu quidem Zabulon et Nephthali erant Petrus, Andreas, Jacobus et Joannes, sicut Evangelium declarat: ex tribu Juda, Levi sive Matthæus, et alii Apostoli.

XXIII. « Manda Deus virtuti tuæ [3]. » Virtutem Patris Filium dicit, juxta illud: « Christus Dei virtus, et Dei sa-» pientia[4]. » Rogat itaque Patrem Apostolicus chorus ut confirmet in eis, « quod operatus est in eis. » Quid operatus est sive perfecit in eis, nisi corpus? Postulant itaque ut liberet ipsos a corruptione et induat incorruptionem, quod facturus Dominus est cum descendet ex cœlo et mortui resurgent incorrupti.

XXIV. « A templo tuo in Jerusalem tibi offerent reges » munera[5]. » Templum suum dicit Ecclesiam : reges vero, eos qui crediderunt in Christum : juxta id quod dictum est illis : « Vos autem regale sacerdotium [6]. » Ait igitur eos qui per fidem vocati sunt a terreno templo, id est Ecclesia, ad supernam Jerusalem, dona ipsi oblaturos esse, nimirum spiritualia.

XXV. « Increpa feras arundinis[7]. » Quoniam multi sunt

[1] Psal. LXVII, 28. — [2] 2 Cor. V, 13. — [3] Psal. LXVII, 29. — [4] 1 Cor. I, 24. — [5] Psal. LXVII, 30. — [6] 1 Petr. 2, 9. — [7] Psal. LXVII, 31.

ei, quod secundum Deum est, sanctorum instituto inimici, maximeque impuri dæmones; ideo rogat, eos ceu feras increpari arundine. Calamus autem sive arundo, locus est in Palæstina, qua pertransibant qui ascendebant in Jerusalem. Ipsæ autem arundines plenæ leonibus erant, qui latibula in paludibus habebant, qui ascendentibus in Jerusalem insidiabantur. Quemadmodum igitur ascendentibus in Jerusalem leones insidiabantur; ita ascendentibus etiam in spiritualem Jerusalem spirituales leones insidiantur. « Congregatio taurorum in vaccis po- » pulorum. » Alios prædicationi adversantes indicat. Quinam illi, nisi principes Judaïci populi, qui tauri nuncupati sunt? vaccæ autem plebeii appellantur. Quod autem illi tauri nuncupati fuerint, palam est ex dicto illo : « Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues » obsederunt me[1], » qui multitudinem populi ad bellum contra prædicatores excitarunt. « Ut excludant eos qui » probati sunt argento. » Argentum divina eloquia sunt. Ait autem : Increpa tum spirituales tum sensibiles inimicos, ut ne præcones Evangelii intercludantur a prædicatione. Aut hoc modo : Hos atque illos, ait, increpa; ne intercludantur præcones a prædicatione. « Dissipa » gentes quæ bella volunt. » Spirituales scilicet, « bel- » lum » autem contra sanctos excitatum intelligitur.

XXVI. « Venient legati ex Ægypto, Æthiopia præve- » niet manus ejus Deo[2]. » Utpote dissipatis atque ligatis inimicis spiritualibus, demum ad prædicationem accurrunt Ægyptii et Æthiopes. Significat autem per Ægyptios, eos qui idolorum cultui summopere dediti sunt, adversariique instituto Israëlitarum; per Æthiopes autem, terminos terræ. Quomodo Æthiopia ad prædicationem accurrerit, ex Eunucho Æthiope conspicere licet.

[1] Psal. xxi, 13. — [2] Psal. lxvii, 32.

XXVII. « Regna terræ cantate Deo[1]. » Declarat alias omnes gentes cum regibus suis in Christum credituras esse.

XXVIII. « Psallite Deo qui ascendit super cœlum cœli[2]. » Quoniam in superioribus Christi passionem prædicavit, et descensum ad infernum, ideo jam ejus ad cœlos ascensum prædicat. Illud autem : « Ad orientem, » parabolicum est. Quemadmodum enim sol ab occidente ad orientem ascendit, ita et Dominus ceu ab inferni recessibus ascendit super cœlum cœli. « Ecce dabit voci suæ » vocem virtutis. » Vocem virtutis appellat eam quæ mortuos omnes excitabit. Cum ejus jussu suscitabuntur.

XXIX. « Date gloriam Deo[3]. » Ita et Paulus : « Glorificate, » inquit, « Deum in corpore vestro et in spiritu » vestro[4], » quæ sunt ejus. Æquum enim est benefactorem per omnia glorificare. « Super Israël magnificentia ejus et » virtus ejus in nubibus. Mirabilis Deus in sanctis suis, » Deus Israël ipse dabit virtutem et fortitudinem plebi » suæ, benedictus Deus. » Quoniam secundi ejus adventus mentio facta est, quo tempore omnes mortuos suscitabit, ideo honores sanctis vario modo concedendos nos edocet, atque diversos sanctorum ordines[5]. Hos autem ordines, per Israëlem, per nubes, per sanctos et per populum significat. Honores autem per magnificentiam, per virtutem, per miraculum, et per fortitudinem indicat. Ad hæc autem omnia, benedictum dicit Deum. Manifestum enim est sanctos in cœlestibus illis mansionibus constitutos, sine fine benedicturos esse Deum, supernorum spirituum ordinem imitatos.

[1] Psal. LXVII, 33. — [2] Ibid. 34. — [3] Ibid. 35. — [4] I Cor. VI, 20. — [5] Psal. LXVII, 36.

PSALMUS LXVIII.

In finem, pro iis qui commutabuntur, ipsi David [1].

ARGUMENTUM.

Continet psalmus precationem Salvatoris, ex persona humanitatis oblatam, et narrat quæ causæ fuerint quod ei mortem crucis obtulerint. Insuper ipsam passionem clare narrat, necnon calamitates quas post passionem Judæis contingere futurum est. Ad hæc etiam introducendum esse evangelicum institutum, atque doctrinam cultus qui in spiritu et veritate erit, in cujus rei limitibus psalmum circumscribit. Quod autem orationem totam Salvator ex humanæ naturæ persona obtulerit, id in fine psalmi significat, aitque : « Quoniam exaudivit pauperes Dominus, et vinctos » suos non despexit. »

I. « Salvum me fac Deus, quoniam intraverunt aquæ » usque ad animam meam [2]. » Quoniam peccata nostra suscepit, pro nobis cruciatur [3] : ac jure rogat eripi se a tentationibus, quæ torrentis instar animam ejus circumdederunt.

II. « Infixus sum in limo profundi, et non est substan- » tia etc. [4] » Hæc enim patiebatur humana natura, deducta per peccatum in mortem, et in ipsum inferni lo-

[1] Psal. LXVIII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Isaiæ. 53. — [4] Psal. LXVIII, 3.

cum, quem limum profundi et maris altitudinem hîc vocat.

III. « Laboravi clamans raucæ factæ sunt fauces meæ[1] » Quænam clamando dixerit et quibus de causis, in sequentibus aperte docet dicendo : « Libera me ab iis qui » oderunt me et de profundis aquarum, et, non me de- » mergat tempestas aquæ » et cætera. Rogabat siquidem, uti jam dixi, pro hominis natura, ut destrueretur mortis imperium, inferno os suum post ipsum non claudente, quamobrem dicit, « neque claudat super me puteus os » suum. »

IV. « Multiplicati sunt super capillos capitis mei qui » oderunt me gratis[2]. » Multi namque dæmones humanæ naturæ insidiantur, qui nihil a nobis læsi fuerant, et tamen necem moliuntur nobis. « Confortati sunt qui per- » secuti sunt me inimici mei injuste. » Declarat quam injuste sententia contra eum lata sit.

V. « Deus tu scis insipientiam meam[3]. » Insipientiam dicit, eam quæ talis videtur hominibus, stultitiam dico passionis. Facta enim est juxta sacrum Apostolum Crux Domini Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitia. Tu igitur, o Pater, inquit, nosti œconomiam Crucis. Hoc autem ait quia fuit obediens Patri usque ad mortem, mortem autem Crucis. « Et delicta mea a te » non sunt abscondita. » Simile est huic : « Qui non » novit peccatum, peccatum pro nobis fecit[4], » atque hoc est quod dicitur : « A te non sunt abscondita. »

VI. « Non erubescant in me qui expectant te Domine, » Domine virtutum[5]. » Illud, « in me, » id est, per me, sive per meam pro iis passionem. Illud autem : « Non erubescant, » quasi dicas, ne ultra erubescant

[1] Psal. LXVIII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] 2 Cor. V, 21. — [5] Psal. LXVIII, 7.

sicut olim quando ob corruptionem quam patiebantur pudore affecti erant. Hæc autem sententia. Quando, inquit, ego id in me suscepi ut pro illis mortem gustarem, aboleatur illa per mortem ipsis olim illata infamia. Nam mors vere infamia erat, in hominem ad imaginem Dei creatum regnum obtinens. Significat itaque per ejus resurrectionem de medio tollendam esse mortem. Huic interpretationi adjungitur versus isti consimilis : « Non » confundantur super me qui quærunt te. » Pulchre superius et hoc item loco dixit, « super me. » Quia enim ipse erat qui concitabat; si victus fuisset, pudorem allaturus erat iis qui sibi obtemperassent, utpote qui per fraudem et facilitatem animi pericula adiissent.

VII. « Quoniam propter te sustinui opprobrium [1]. » Postulo, inquit, ut mors de medio tollatur, quoniam obediens tibi factus ipsam accepi. « Extraneus factus sum » fratribus meis [2]. » Hoc ait quia tempore passionis ab omnibus derelictus est.

VIII. « Quoniam zelus domus tuæ comedit me [3]. » Me abnegarunt, inquit, quia coarguebam eos quod impii in domum tuam essent. Enarrat autem historiam diserte Joannes : quod cum flagello ejecerit eos de Templo. « Et » opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me [4]. » Non modo, inquit, extraneus factus sum et peregrinus, sed etiam opprobria sustinebam ab iis qui per mala opera exprobrabant tibi. Nulla autem alia de causa id patiebar, nisi propter zelum domus tuæ.

IX. « Et operui in jejunio animam meam etc.[5] » Dolens, inquit, de futura animarum eorum pernicie, hoc atque illud agebam. Illi vero pro quibus ejusmodi res efficiebam, omni tempore et loco me in ore versabant, expro-

[1] Psal. LXVIII, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 10. — [5] Ibid. 11, 12 et 13.

brantes mihi macerationes illas quas eorum causa sustinebam.

X. « Ego vero orationem meam ad te Domine [1]. » Etiamsi, inquit, retribuerunt mihi mala pro bonis, at ego non finem facio preces pro iis offerendi. Et hoc manifestum est, quod Evangelista eum nobis in Cruce pro crucifigentibus orantem representet. « Tempus beneplaciti Deus [2]. Ubi » venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum » factum ex muliere factum sub lege, ut eos qui sub lege » erant redimeret. » Qui ad hoc venit ait : « tempus be» neplaciti Deus. »

XI. « Eripe me de luto ut non infigar [3]. » Hæc clamabat cum pro humana natura precaretur, ita ut diceret : « Raucæ factæ sunt fauces meæ. » Illud autem, « Raucæ » factæ sunt, » vehementiam orationis significat.

XII. « Non me demergat tempestas aquæ, neque absor» beat me profundum [4] » Cum decretum et maledictio proposita sint, ut si vel Angelus evangelizet aut doceat nos præter ea quæ Paulus docuit, anathema sit, quis est qui Paulo sive potius Christo in eo loquenti superior esse possit? Ad sese igitur [Christus] hanc precationem refert, ut testificatur Apostolus in epistola ad Hebræos, quod in diebus carnis suæ [5], hoc est cum ad crucem venisset, obsecrationes et supplicationes, cum valido clamore atque lacrymis offerebat ei qui poterat ipsum liberare a morte, id est Patri, et exauditus est pro sua reverentia : licet filius esset edidicit ex passione sua obedientiam. H[illegible] Paulus, imo potius qui in ipso loquebatur Christus, quæ in Evangeliis silentio prætermissa sunt, nos edocuit, quando dixit, cum clamore valido et lacrymis emissam fuisse orationem illam : « Pater, transeat a me calix

[1] Psal. LXVIII, 14. — [2] Galat. IV, 5.— [3] Psal. LXVIII, 15. — [4] Ibid. 16, 17 — [5] Heb. V, 7.

» iste[1], » non in hypocrisi, non ut Satanam inescaret et deciperet, non quod mundi voluntatem ut propriam efferret; sed ex propria persona Christus, per dispensationem sponte precatur, cum clamore, cum lacrymis, cum sudore et gutta sanguinis, confortante Angelo, et quasi consolante illum, etiamsi vere Filius Dei esset. Sed etiam « factus in agonia » precabatur, ut ait Evangelista[2], imo vero « prolixius, » et usque bis terque orationem Patri offert. Paulo itaque, imo potius ipso Christo qui in Paulo loquebatur, eam orationem ad se referente : quis est qui ea adulterare possit quæ ipse Christus de se testificatus est.

XIII. « Ne avertas faciem tuam a puero tuo[3]. » Quia Deus et Pater propter Adæ transgressionem, humanam naturam aversabatur, ideo rogat ut convertat faciem suam ad eam.

XIV. « Intende animæ meæ et libera eam[4], » a morte videlicet occupante. « Propter inimicos meos eripe me. » Ex injuria nobis per inimicos spirituales illata, ad misericordiam nostri Patrem excitat.

XV. « Tu scis improperium meum[5] : » Simile est dicto illi : « Quoniam propter te sustinui opprobrium[6]. Im- « properium expectavit cor meum et miseriam[7]. » Hinc nobis passionem suam recenset : quam aperte Evangelistæ narraverunt.

XVI. « Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum[8]. » His significat ea quæ Judæis post passionem obventura erant. Perinde autem est ac si diceret : similia sustineant iis quæ me experiri curarunt. Væ enim improbo, quia mala ipsi secundum opera manuum ejus evenient. « Obs-

[1] Matth. xxvi, 39. — [2] Luc. xxii, 43. — [3] Psal. lxviii, 18. — [4] Ibid. 19. — [5] Ibid. 20. — [6] Psal. lxviii, 8. — [7] Psal. lxviii, 21, 22. — [8] Ibid. 23.

curentur oculi eorum ne videant[1]. » Quomodo enim non tenebris offusi fuerint, cum justitiæ solem non acceperint. « Et dorsum eorum semper incurva. » Non enim temporaria eorum, quemadmodum Babylonica, captivitas fuit.

XVII. « Fiat habitatio eorum deserta[2]. » Hoc ait propter vastationem quæ Jerosolymæ contigit. « Et in tabernaculis eorum non sit qui inhabitet. » Ex ipsis videlicet Judæis : nemo enim eorum jam Jerosolymæ tabernacula inhabitat.

XVIII. « Quoniam quem tu percussisti persecuti sunt[3]. » Causam affert cur talia passuri sint. Simile autem est huic : « Percutiam pastorem, et dispergentur oves [4]. » Hunc igitur, ait, qui juxta placitum tuum in passione percussus est, ipsi non recipientes extra propriam salutem sese expulerunt. « Et super dolorem vulnerum meo- » rum addiderunt. » Hoc ait quia ipse quidem humiliavit semetipsum, illi vero morti tradiderunt.

XIX. « Appone iniquitatem super iniquitatem eorum[5]. » Hoc ait quoniam post Crucem et resurrectionem ipsum calumniis impetierunt [6]. « Et non intrent in justitiam » tuam. » Procul erunt remoti a voluptate qua justi donabuntur.

XX. « Deleantur de libro viventium [7]. Etsi enim inscripti fuerint, ait, quia ad ipsos promissiones pertinebant : sed quoniam hœc atque illa perpetrarunt merito delebuntur.

XXI. « Ego sum pauper et dolens, salus tua Deus suscepit » me etc. [8] » Hisce evangelicum institutum prædicatur, cui imperavit ille qui secundum Deum pauper est, cui

[1] Psal. LXVIII, 24. — [2] Ibid. 26. — [3] Ibid. 27. — [4] Zach. XIII, 7. — [5] Psal. LXVIII, 28. — [6] Hic quædam habet Corderius, quæ sunt Theodori. — [7] Psal. LXVIII, 29. — [8] Ibid. 30.

dictum est : « Beati pauperes spiritu [1]. » Ingreditur autem ille pauper chorus gratias agens de salute sibi parta ab Unigenito. Ipse namque est facies Patris [2]. Promittit porro se non ulterius cruenta sacrificia oblaturum. Sed potius sacrificium laudis et spiritualis cantici.

XXII. « Videant pauperes et lætentur etc. [3] » Hæc cum norint ii qui sunt pauperes spiritu, exultabunt. Hæc autem dicunt Apostoli propter eos qui ipsorum opera in Christum crediderunt.

XXIII. « Quoniam exaudivit pauperes Dominus [4]. » Ecquam orationem exaudivit nisi eam quam pro iis offerebat Unigenitus? Quid postulabat autem nisi ut ipsi liberarentur ex vinculis mortis? Quamobrem ait : « Et vinctos suos non despexit. » Dirupit enim omnium vincula cum dixit iis « qui vincti sunt exite : et iis qui in tenebris, » revelamini. Et vinctos suos non despexit [5]. » Et non respuit nos in calamitatibus constitutos, jure autem eos vinctos appellat quod talia paterentur.

XXIV. « Laudent illum cœli et terra [6]. » Si gaudium est in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente, multo magis gaudebunt illi cum totus orbis terrarum liberatus fuerit. Quod si cœlum gaudet de hominum salute, et de hac re laudat Deum; multo magis ii ipsi qui salutem consequuntur in terra, laudabunt eum qui salutem dedit : quapropter addit : « Mare et omnia reptilia in eis. » Hoc ait quia futurum erat ut etiam in insulis reciperetur salutare Dei. Illud autem, « in eis; » id est in terra et in mari.

XXV. « Quoniam Deus salvam faciet Sion, et ædifica» buntur civitates Juda [7]. » Quam esse ait Sion, nisi sanctam Ecclesiam, cujus civitates ædificatæ sunt, excitatæ

[1] Matth. v, 3. — [2] Psal. LXVIII, 31, 32. — [3] Ibid. 33. — [4] Ibid. 34. — [5] Esai. XLIX, 9. — [6] Psal. LXVIII, 35. — [7] Ibid. 36.

scilicet hominum animæ? Ceciderant enim quando ignorabant Dominum. Ipsæ porro per confessionem excitatæ sunt. Judæa namque confessio interpretatur.

XXVI. « Et inhabitabunt ibi, et hæreditate acquirent » eam [1]. » Captivi, inquit, qui nunc reditum obtinuerunt, proprias urbes ædificabunt et inhabitabunt eas. Nec ipsi soli, sed et eorum filii et nepotes ; id enim subjungit.

XXVII. « Et semen servorum ejus possidebit eam, et » qui diligunt nomen ejus habitabunt in ea. » Servi ejus sunt sancti Apostoli, ut, Paulus servus Jesu Christi : semen autem eorum sunt ii qui per ipsos in Christum crediderunt.

PSALMUS LXIX.

In finem, Psalmus David.

In rememorationem quod salvum fecerit me Dominus [2].

ARGUMENTUM.

Hunc canit psalmum ex persona humanæ naturæ, rogantis Deum ut exurgat ad auxilium ipsi. Ita enim contigit pudore affici adversarios ejus dæmones ad bellum instructos; lætari autem eos qui gaudent de salute ipsius.

[1] Psal. LXVIII, 7. — [2] Ibid. LXIX, 1.

I. « Deus in adjutorium meum intende, etc.[1] Confun- » dantur et revereantur[2]. » Qui meam necem exoptant proposito labantur, atque hinc pudorem consequantur.

II. « Avertantur retrorsum et erubescant etc.[3] » Rursum in præsentibus versiculis execratur eos qui insidias ipsi parant, et volunt eum malis affici : et ait illis : qui de malis meis gaudent vertantur in fugam cum pudore, cernentes immutationem meam. « Avertantur statim eru- « bescentes. » Qui de mea olim pernicie et de maledicto mortis gaudebant.

III. « Ego autem mendicus sum et pauper[4]. » Quasi dicat : Justitia eorum qui prius memorati sunt privatus sum, ac in paupertate vivens, divitiarum justitiæ expers sum : qua propter tuum imploro auxilium. « Adjutor meus et » liberator meus es tu, Domine, ne moreris. » Tuam enim providentiam consecutus sum. Exaudi quam citissime, et ne differas postulatum concedere.

PSALMUS LXX.

Psalmus Davidi, in finem, filiorum Jonadab et priorum captivorum. Caret inscriptione apud Hebræos[5].

ARGUMENTUM.

Filii Jonadab viri fuere pii et justi, qui patris præcepta accurate servabant, atque ita religiosi et moribus mansueti, ut eorum virtutis testis ipse Deus, Prophetam

[1] Psal. LXIX, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. LXX, 1.

Jeremiam alloquens, fuerit. Eorum tempore prior captivitas Jerusalem sub Chaldæis fuit. Hi fortasse personam gerant Apostolorum chori, qui naviter cœlestis patris præcepta servavit, et laudibus celebratus est per beatitudines quas audierunt. Similiter et Apostolorum tempore prior Jerosolymæ captivitas sub Romanis accidit. Introducuntur itaque ipsi religiosi viri, scilicet Apostolorum chorus, qui per præsentem psalmum orationem et gratiarum actionem pro seipsis Deo offerunt, quod se oppressos, cum a persecutoribus ob evangelicam prædicationem, tum a spiritualibus insidiatoribus dœmonibus, liberarit. Insuperque promittunt se sacrificia laudis solum oblaturos, legali videlicet cultu liberatos.

I. « In te, Domine, speravi, non confundar in æter» num [1]. » Ingentem fiduciam exhibet nempe spem in Deum. « In justitia tua libera me. » Justitia Patris est Filius, per quem liberati sumus a peccato, quo in corruptione detinebamur.

II. « Esto mihi in Deum protectorem [2]. » Gnarus apostolicus chorus pollicitum esse Deum, quod ipse in murum ignis in circuitu futurus sit iis qui crediderint in ipsum, rogat eam promissionem re jam in se compleri. « Quoniam firmamentum meum et refugium meum es tu. » Ipse namque est petra supra quam ædificati fundamentum habemus : et ipse murus est qui continet nos, ut nihil ex incursu malorum lædamur. Libera me, inquit, ab iis hominibus qui imperium obtinent, et ceu manu quadam nos in servitutem agunt, viris scilicet peccatorum plenis, iniquis, injustis.

III. « Deus meus eripe me de manu peccatoris, et de

[1] Psal. LXX, 1. — [2] Ibid. 3.

» manu contra legem agentis et iniqui[1]. » Peccatoris nomine Judæos intelligit, ipsi enim erant et contra legem agentes et iniqui; contra legem agentes, quia innoxios damnabant; iniqui autem, quia nullam haberent adversus illos rationi consentaneam occasionem.

IV. « Quoniam tu es patientia mea, Domine, Domine » spes mea a juventute mea[2]. » Libera me, inquit, a populo isto legis transgressore, quia propter te, et propter spem quam in te habui ab initio, et a mea per te generatione, illa sustineo, juxta illud : « Quotquot receperunt » eum dedit eis potestatem filios Dei fieri[3]. »

V. « In te confirmatus sum ex utero[4]. » Declarat Christum propter quem illa sustinebant, ipsum esse qui adhuc eos in utero gestatos virtute sua creatrice in lucem eduxit. « De ventre matris meæ tu es protector meus. » Quandoquidem, ait, tu ipse Dominus, me dum adhuc in ventre matris essem protegebas divina tua virtute, et liberasti me ex populo contra legem agente; ideo ego utpote qui tam frequenter tua senserim beneficia, nunquam cesso hymnos tibi offerre.

VI. « In te cantatio mea semper[5].» In hymnis et laudibus tuis proferendis persevero, et per providentiam tuam præclarus evasi. « Tanquam prodigium factus sum « multis. » Prodigium, obstupescendum et magnum aliquid significat. Hujusmodi autem est quod ait : Etiamsi in sublime elevatus sum, inquit, et magnus præclarusque, apud multas gentes fiducia plenus sum : sed non propria mea virtute tantum boni adeptus sum. Tu enim eras qui me tuo auxilio et fortissimum et generosum efficiebas.

VII. « Repleatur os meum laude[6]. » Possumus quidem

[1] Psal. LXX, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Joan. I, 11. — [4] Psal. LXX, 6. — [5] Ibid. 7. — [6] Ibid. 8.

laudare semper Deum, semper benedicere, semper temperanter nos gerere : at quî possibile est semper sperare? Nam qui semper sperat, nunquam rem quam sperat consequitur. Alius quidem ait, illud *semper*, non sæculorum spatium spectare, sed vitam solum istam sensibilem : alius autem spatium quoque sæculorum illud *semper* spectare ait, ut spei terminus sit cognitio Sanctæ Trinitatis. « Repleatur os meum laude ut cantem gloriam » tuam [1]. » Quoniam tantis beneficiis affectus, homo cum sim non possum dignas retributiones rependere; ideo ex tua sapientia rogo os meum laude repleri, atque ita vix potero gloriam celebrare tuam. « Tota die magnificentiam » tuam. » Postquam, ore meo laude repleto, tuam celebrare gloriam incepero, tota die magnificentiam quoque tuam decantabo : gloriam autem vocat, œconomiam quam exhibuit in terra, qua terram gloria sua replevit. Magnificentiam autem vocat deitatem, per quam omnia illa variis modis effecit.

VIII. « Ne projicias me in tempore senectutis [2]. » Senectutem hic vocat infirmitatem. Ait igitur : Absit, Domine, tempus illud quo infirmus appaream. Rogat igitur ut nunquam sua in Christum spe labatur. Ipse namque est virtus nostra. « Cum defecerit virtus mea ne derelinquas » me. » Etiamsi contigerit mihi ut, homo cum sim, in peccatum cadam, ne me propter peccatum deseras, Domine, sed me iterum revoca clemens cum sis.

IX. « Quia dixerunt inimici mei mihi [3]. » Illud : « Quia » dixerunt, » positum pro : Ne forte dicant inimici mei : Irrumpamus in eum, erit quippe nobis in prædam, Deo non opitulante.

X. « Deus meus ne elongeris a me [4]. » Quoniam igitur id

[1] Psal. LXX, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 12.

illi dicunt, ne diutius differas auxilium. « Deus meus in » auxilium meum respice. »

XI. « Confundantur et deficiant detrahentes animæ » meæ[1]. » Quandoquidem ipsi, inquit, impetum in me fecerunt, rati me a te derelictum; si auxilium afferas præ pudore ipsi discedent, cum vanas deprehenderent calumnias in animam meam structas. Quæ autem illæ calumniæ sunt, nisi quæ dicebant illi : « Deus dereliquit eum? »

XII. « Ego autem semper sperabo in te[2]. » Non cessant enim per scripta sua spem erga Christum suam confiteri. « Et adjiciam super omnem laudem tuam. » Per hymnos eorum qui ipsorum opera salutem consecuti sunt.

XIII. « Os meum annuntiabit justitiam tuam[3]. » Non cesso, inquit, Domine, semper justitiam tuam in ore versare. Etenim justitia Patris est Unigenitus ejus. Nam genita nobis est justitia a Deo juxta sacrum Apostolum. « Tota » die salutare tuum. » Semper, inquit, memor ero œconomiæ qua nobis salutem elargitus es. « Quoniam non » cognovi litteraturam. » Per litteraturam aut vanas et implicatas vitæ distractiones intelligit, aut varia quæ quæ lex offerre jubebat sacrificia. Quando, inquit, eas omnes abjeci, in supernas introibo mansiones; Domino virtutem mihi ad eam rem præbente. Simile autem est dicto huic : « Ecce nos reliquimus omnia, et secuti » sumus te, quid ergo erit nobis[4]? » Cum hujusce rei causa promissionem regni cœlorum acceperunt.

XIV. « Introibo in potentias Domini[5]. » Tua virtute et auxilio ingressum inveniam ad terram promissionis. « Domine memorabor justitiæ tuæ solius. » Prædictis omnibus dimissis, inquit, solius justitiæ tuæ memor ero, qua nos a peccato liberasti.

[1] Psal. LXX, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 15. — [4] Matth. XIX, 27. — [5] Psal. LXX, 16.

XV. « Deus meus quæ docuisti me a juventute mea [1].» A prima, ut ita dicam, die qua ipsos elegit, dedit illis ea quæ regnum cœlorum spectant. « Et usque nunc pro- » nuntiabo mirabilia tua » Non immemor, inquit, factus sum eorum quæ doctus fui : sed etiam ea quæ didici, aliis annuntiavi.

XVI. « Et usque in senectam et senium [2]. » Quoniam ipse Christus postquam resurrexit a mortuis promisit eis dicens : « Ecce vobiscum sum omnibus diebus usque ad » consummationem sæculi [3], » ideo rogat eam promissionem erga se impleri. « Deus meus ne derelinquas me, » donec annuntiem brachium tuum. » Si me, inquit, juxta promissionem tuam non derelinquas, Domine, tunc futurum est ut annuntiem robustum brachium tuum fideli generationi ex gentibus futuræ. Quod autem sit brachium subinfert his verbis. « Potentiam tuam et » justitiam tuam. [4] » Potentiam dicit quia ligavit fortem illum et diripuit vasa ejus; justitiam vero, quia nos captivitate injuste detentos redemit. « Deus usque in altis- » sima. » Annuntiabo, inquit, quod non modo terrena, sed etiam cœlestia per proprium sanguinem redemeris. Simile autem est illi : « Quoniam et ipsa creatura libera- » bitur a servitute corruptionis. Deus quis similis tibi [5] ? » Gratias agit, quod etiamsi olim merito peccati causa morte damnatus sit, non in morte remanserit; sed Dei clementia per Christum liberatus sit a corruptione.

XVII. « Quantas ostendisti mihi tribulationes multas [6]?» Qualium me quantorumque malorum experimentum sumere fecisti? « Et conversus vivificasti me, et de abyssis » terræ iterum reduxisti me. Multiplicasti magnificentiam » tuam, et conversus consolatus es me. » Repetitio videtur

[1] Psal. LXX, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Matth. XXVIII, 20. — [4] Psal. LXX, 19. — [5] Rom. XXVIII, 21. — [6] Psal. LXX, 20.

significare, pœnitentiam de peccatis post baptismum admissis, acceptam ei esse, qui, ut dictum est, multiplicavit super nos bonitatem et justitiam suam. Quapropter prius, « vivificasti me, » quasi de regeneratione dictum est; secundo autem, « consolatus es me [1], » quasi de eo dictum est qui admissi peccati tristitia laborat. Possunt etiam priora de liberatione ex Ægypto intelligi, et secunda de Domini adventu explicari, quando nobis plena consolatio fuit. Qui enim ex Ægypto egressi sunt, etsi liberati fuerunt a temporanea morte, at inciderunt in æternam, cum nondum resurrectionis gratia data esset.

XVIII. « Nam et ego confitebor tibi in vasis psalmi verita- » tem tuam Deus[2]. » Me, inquit, per confessionem ita adornabo, ut aptus sim qui vas hymnologiæ appeller. Quod si dictus est vas electionis, dictus est etiam vas hymnologiæ. « Psallam tibi in cithara. » Animæ inquit concentu. Cum enim illa nihil sibi contrarium, sive secundum vitam, sive secundum doctrinam fecerit aut passa fuerit, tunc sane spiritualis cithara jure appelletur.

XIX. « Exultabunt labia mea cum cantavero tibi [3]. » Hoc ait ad discrimen legis, quia ejus quidem præcepta onerosa erant et observatu difficilia. Hæc autem mansueta ac levia sunt, ita ut eos qui illis dignati sunt voluptate repleant. « Et anima mea quam redemisti, » a peccato corruptionis, a servitute Satanæ, ab ipsa morte.

XX. « Sed et lingua mea tota die meditabitur justitiam » tuam, cum confusi et reveriti fuerint qui quærunt mala » mihi[4]. » Cum spirituales inimici mei, inquit, de medio sublati, et qui in abysso habitant infamia et pudore affecti fuerint : tunc, utpote nemine ultra præpediente, nunquam cessabo, Domine, te hymnis celebrare.

[1] Psal. LXX, 21. — [2] Ibid. 22. — [3] Ibid. 23. — [4] Ibid. 24.

PSALMUS LXXI.

In finem, Psalmus David in Salomonem.

ARGUMENTUM.

Adventus Christi hisce significatur, necnon gentium vocatio. In Salomonem autem inscribitur psalmus. Hic enim verus est Salomon pacificus, quia fecit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvit [1].

I. « Deus judicium tuum regi da [2]. » Decrevisti, inquit, o Pater, ut Unigenitus tuus illustret eos qui sunt in terra. Id igitur jam olim a te judicatum, nunc exequere. « Et » justitiam tuam filio regis. » Cum ipse sit justitia Patris, propter humanam naturam dicitur justitiam accepisse. Ipse autem est Christus, Rex, et filius regis. « Judicare » populum tuum in justitia. » Hæc est causa Incarnationis ad judicandam scilicet Satanæ adversum nos arrogantiam, quare cum propediem crucifigendus esset, aiebat : « Nunc judicium est hujus mundi, nunc princeps hujus » mundi ejicietur foras [3]. »

II. « Suscipiant montes pacem populo, et colles justi» tiam [4]. » Montes et colles hic evangelicas virtutes vocat, quæ olim ob effusam impietatem, terram non incolebant, nunc autem jussæ sunt pacem cum hominibus reconciliare.

[1] Ephes. II, 14. — [2] Psal. LXXI, 2. — [3] Joan. XII, 31. — [4] Psal. LXXI, 3.

III. « Judicabit pauperes populi[1]. » Pauperes dicit eos qui idololatrarum filii erant, et erant omni bono egeni. Aut universum hominum genus. Nam omnes declinaverunt juxta psalmi vocem. « Et humiliabit calumniatorem. » Diabolum dicit. « Et permanebit cum sole[2], » In omnia sæcula, inquit, regnum ejus extendetur. « Et ante lunam » in generationem et generationem. » Iste, inquit, qui in adventu suo in terrena regnum obtinuit, ipse est ante sæcula creator omnium. « Descendet sicut pluvia in vel» lus[3]. » Sine strepitu ait : sic autem loquitur ob clandestinum adventum ejus.

IV. « Orietur in diebus ejus justitia[4]. » Tempore namque adventus ejus, omne gentium bellum sublatum est. « Et » abundantia pacis donec auferatur luna. » Tanta erit, inquit, in adventu ejus plenitudo pacis, ut etiam ad futura usque protendatur tempora, quibus « sol obscurabi» tur, et luna non dabit lucem suam[5]. »

V. « Et dominabitur a mari usque ad mare[6]. » Hoc ait quia omnes gentes Christi fidem receperunt : quasi dicat : omnibus terræ finibus imperabit. Quia enim ultra fines terræ magna et immensa maria sunt, quæ Atlantica quidam vocant, Oceanum, Occidentale et Orientale ; jure orbis imperium ambiente pelago circumscribit : quod apertius subsequenti versiculo explicatur.

VI. « Et inimici ejus terram lingent[7]. » Subjecti penitus ei erunt inimici, ut nihil pugnæ adversus eum videatur, ex metaphora eorum qui in terram procidunt in obsequentiæ signum.

VII. « Quia liberabit pauperem a potente[8]. » Ab extremis ad extremos usque fines terræ adorabunt eum gentes atque reges, gratias agentes, quod eos a tyrannide Satanæ

[1] Psal. LXXI, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Matth. XXIV, 29. — [6] Psal. LXXI, 8. — [7] Ibid. 9. — [8] Ibid. 12.

liberaverit. « Ex usuris et iniquitate redimet animas eo-» rum[1]. » Delens chirographum adversus eos scriptum, et gratis debitum remittens ei qui quingenta atque ei qui quinquaginta debebat. « Et honorabile nomen eorum co-» ram illo. » Venerandus, inquit, et gloriosus apud omnes erit.

VIII. « Et vivet et dabitur ei de auro Arabiæ[2]. » Hæc ait propter Herodem qui misit occisum infantes. Ait igitur eum non una cum pueris enecandis comprehendendum fore. Illud autem : Et dabitur ei aurum arabicum, declarat manifeste quæ Magi dona obtulerunt. « Et adorabunt » de ipso semper. » Ipsum compellantes in orationibus, et per eum a Patre dari sibi bonorum munera rogantes.

IX. « Erit firmamentum in terra[3]. » Ecclesiæ et orbis : « in summis montium, » Apostolorum et Prophetarum : « Superextolletur super Libanum fructus ejus. » Libanus est Jerusalem : fructus autem ejus, est evangelicum verbum. Ait igitur prædicationem evangelicam superiorem fore legali cultu. « Et florebunt de civitate sicut fœnum » terræ. » Per civitatem designat Ecclesiam, de qua scriptum est : « Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei[4]. »

X. « Ante solem permanet nomen ejus[5]. » Declarat eum qui non una cum infantibus interfectus est, eumdem esse qui ante mundi constitutionem cum Patre existit.

XI. « Benedictus Dominus Deus Israël, qui facit mira-» bilia solus[6]. » Postquam recensuit omnia quæ tempore œconomiæ beneficia terrigenis conferet, hymnum offert Deo, aiens eum esse Deum Israël, qui solus potuit hæc mirabilia facere. Quæ mirabilia ? nisi destruere imperium Satanæ, liberare eos qui insidiis appetuntur a dæmonum tyrannide. Animadverte porro nihil eorum quæ in psalmo

[1] Psal. LXXI, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16. — [4] Psal. LXXXVI, 3. — [5] Psal. LXXI, 17. — [6] Ibid. 18.

dicuntur Salomoni uxoris Uriæ filio convenire : neque illud, « Ante solem permanet nomen ejus : » neque illud : « Omnes gentes servient ei; » neque, « Ante lunam in » generationem et generationem. » Ex his itaque omnibus palam est de Domino nostro Jesu Christo dictum fuisse psalmum.

XII. « Et benedictum nomen gloriæ. » Quamobrem par est eum super omnia hymnis celebrare. Etiamsi enim ejus naturam, utpote inaccessibilem ignoramus, at salutare ejus nomen edocti sumus.

PSALMUS *Asaph* LXXII.

Defecerunt laudes David filii Jessæ[1].

ARGUMENTUM.

In hoc psalmo narrat quam sint impares homines ad capienda Dei judicia. Ipsa enim profunda sunt, inscrutabilia ac prorsus incomprehensibilia. Qui porro ignorant cujusque œconomiæ rationes, in absurdas cogitationes incidunt. Quamobrem propositis primo ejusmodi cogitationibus, quæ propter improborum hominum felicitatem acciderant: Nam, Ecce ipsi peccatores et abundantes; *docet postea, qualis ipsorum impiorum finis futurus sit; ut ea perspicue edocti, non moleste feramus neque anxii simus ob inæqualitatem rerum hujus vitæ.*

[1] Psal. LXXII, 1.

I. « Quam bonus Israël Deus his qui recto sunt corde[1]! » Narraturus prosperitatem hominum in impietate degentium, et acerbum ipsis postea paratum supplicium ; præmittit illud, rectis corde bonum esse Deum : ut cognoscant qui pietatis sibi partes assumunt, solis rectis corde Deum futurum esse bonum, sed non iis qui improbe peccant. Itaque etiamsi videantur prospere agere, inquit, nemo turbetur, secum reputans quantum illos paulo postea supplicium expectet. « Mei autem pene moti sunt pe- » des. » Narrat hujusmodi mortem piis vivis contingere, ut si quis rogetur an velit talem mortem obire, neutiquam annuat.

II. « Quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum vi- » dens, etc[2]. » Enarrat ea quæ ipsi mentis perturbationem excitant. Hæc autem sunt; primum, quod in alta pace impii degant : secundo quod per totam vitam prospere agant[3]; ita ut ad mortem usque felicitas extendatur, et tale genus mortis impii subeant, quale nemo subire abnuat si quis eum roget, an velit hujusmodi mortem obire. Ad hæc, quod si qua ipsis propter peccatum punitio infligatur, qua ad conversionem revocentur, ea non sit gravis, sed levis et tolerabilis[4]. Super his omnibus, quod non humanos labores experiantur, nec diurno quæstu egeant pro parandis alimentis. Hic enim labor manuum, flagelli et punitionis loco hominibus imponitur.

III. « Ideo tenuit eos superbia, etc[5]. » Quia omnibus fruuntur bonis, nullo affecti malo, ideo intolerantissime superbiunt, atque ita iniqui et impii evadunt, ut impietas eorum ceu pinguis et obesa sit.

IV. « Transierunt in affectum cordis[6]. » Iniqua illa feli-

[1] Psal. LXXII, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6. — [6] Ibid. 7.

citas, inquit, malum ipsis habitum in anima peperit. Et undenam id manifestum erit, nisi quia cogitant et loquuntur iniquitatem?

V. « Iniquitatem in excelso locuti sunt[1]. » Augmentum iniquitatis eorum significat : ita ut vel in ipsum Deum blasphema dicta proferre audeant. « Posuerunt in cœlum » os suum, etc.[2] » Blasphema, inquit, verba in Deum proferebant, licet viles essent et linguam in terra haberent.

VI. « Ideo convertetur populus meus hic[3]. » Ideo eos superbia elatos dejici continget. Sensus autem hic est. Utilitatem quamdam et conversionem populo meo afferet eorum supplicium. Cum viderint enim qui finis excipiet impios, nunquam ad quid simile agendum accesserint, gnari Deum humana omnia conspicere, « Et dies pleni » invenientur in eis. » Cum tali erunt, inquit, mente instructi, tunc vitæ suæ tempus probe conficient, juxta illud dictum : « Dormivit plenus dierum[4]; » id est, omnes eorum dies omni bono pleni fuere.

VII. « Et dixerunt : quomodo scit Deus[5]? » Populus meus, inquit, cum dejecti et deturbati fuerint impii, hinc utilitatem accipiet. Illi autem supradicti impii et athei tanta impietate fuerunt, ut videntibus eorum vitam offendiculo essent, ita ut hi dicerent anxii et dubii : Num Deus respicit humana? Illud enim, « Quomodo scit, » id est, cur dicitur ea quæ nos spectant cognoscere et administrare, et quo pacto rerum nostrarum scientiam habet?

VIII. « Ecce ipsi peccatores et abundantes in sæculo ob» tinuerunt divitias[6]. » Causam declarat offendiculi videntium impios in abundantia esse. Hoc autem ita dicitur, quia diuturnam hanc vitam cum felicitate ducunt.

[1] Psal. LXXII, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Gen. XXV, 8. — [5] Psal. LXXII, 11. — [6] Ibid. 12.

« Et dixi : Ergo sine causa justificavi cor meum, etc,[1] » Ego, inquit, his conspectis, mente perturbatus eram, mecum reputans ne pro virtute susceptus labor inutilis esset mihi. Erat autem labor hujusmodi justitiam exercere, omni iniquo opere purum esse, pro præteritis peccatis sese flagellare in confessione[2], et ad eam rem lecto surgere mane, ad sese peccati causa macerandum.

IX. « Si dicebam narrabo sic : ecce nationem filiorum » tuorum reprobavi[3]. » Hæc, inquit, mecum cogitabam, si eas cogitationes me invadentes aliis renuntiavero, (erant autem illæ : « Ergo sine causa justificavi cor meum, ») offendiculi ipsis causa ero. Hoc autem agens pacta filiorum tuorum prætergressus sum, justorum videlicet virorum. Hæc autem erant pacta Sanctorum, ut non sibi mutuo offendiculi causa essent.

X. « Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante » me[4]. » Cum existimarem, inquit, tam profunda judicia me cognoscere, in laborem me conjeci, cum ea sint profunda et inscrutabilia. Cæterum opportunum mihi ad eam cognitionem tempus assignavi : est autem illud, tempus divini tribunalis, quando reddes unicuique secundum opera sua.

XI. « Verumtamen propter dolos posuisti eis mala, etc.[5] » Ego, inquit, opportunum mihi ad accuratam earum rerum cognitionem assignavi futurum videlicet tempus ; ac prophetico spiritu futura prænoscens dico, dolosos mores gravissimorum ipsis suppliciorum in causa futuros. Erit namque illis exaltatio in ruinam. Atque hujus vitæ divitiæ perinde illis judicabuntur, atque somniantium visa, inania et umbra ipsa infirmiora.

XII. « Et in civitate tua imaginem ipsorum ad nihilum

[1] Psal. LXXII, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 16. — [5] Ibid. 18. — [6] Ibid. 19. — [7] Ibid. 20.

» rediges. » Civitas Domini superna est Jerusalem, « imaginem ipsorum, » id est, terreni. Hæc est autem sententia. Quandoquidem, ait, terreni imaginem gestarunt, et non cœlestis, ideo ad nihilum redigentur, audient enim eo tempore : « Nescio vos [1]; » utpote qui non gerant cœlestis imaginem.

XIII. « Quia inflammatum est cor meum et renes mei » commutati sunt, et ego ad nihilum redactus sum, et » nescivi, etc.[2] » Quoniam « zelo zelatus sum pro Domino[3], » ita ut renes mei implerentur zelo ignis, ideo dignus habitus sum qui illuminarer, et cognoscerem quæ in civitate tua geruntur, et quæ imaginem impiorum spectant [4]. Sed antea ut jumentum insipiens vixi, cum non possem divinæ providentiæ rationes attingere. Attamen non a te Deus meus derelictus sum, neque excidi spe erga te mea, sed « semper tecum » eram. Idque non mea virtute, sed ex tua gratia effeci. Tu enim ipse ex clementia tua meam dexteram apprehendens[5], tenuisti ne moveantur vestigia mea, neque pedes mei nutent, nec amplius tecum consistere possint.

XIV. « Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui » super terram ? etc. [6] » Quoniam, inquit, nihil mihi in cœlo est præter te solum, hinc consequenter nolui quidpiam terrenorum accipere, utpote quæ corruptibilia omnia sint, et temporanea [7]. Unum solum consequi opto, cujus desiderio memetipsum macerabam in terra : illud autem est, ut tu solus portio mea sis.

XV. « Quia ecce qui elongant se a te peribunt, etc. [8] » Tibi assidue conjungimur, o Domine, idque jure ac merito, gnari scilicet eos qui extra te consistunt, in perniciem ituros in fine. Qui autem tecum sunt bonam portionem

[1] Matth. xxv, 10. — [2] Psal. LXXII. 21, 22. — [3] 3 Reg. xix, 10. — [4] Psal. LXXII, 23. — [5] Ibid. 24. — [6] Ibid. 25. — [7] Ibid. 26. — [8] Ibid. 28.

consequentur. Continget enim illis in cœlesti Jerusalem pulchram portionem obtinere. Hæc autem est, ut tuis canendis hymnis semper delectentur.

PSALMUS LXXIII.

Intellectus Asaph[1].

ARGUMENTUM.

Supplicationem hisce canit Propheta, cernens postremam Israëlis captivitatem : ne prorsus eos a sua protectione rejiciat, sed relinquat ipsis aliquam salutis viam. Describit porro excidium urbis ac divini Templi.

I. « Ut quid Deus repulisti in finem ? » Simile est illi : Pervenit ad eos ira jam usque in finem. Non enim amplius requiem habebunt a malis.

II. « Memor esto congregatiônis tuæ quam possedisti ab » initio[2]. » Per Abraham, Isaac et Jacob. « Redemisti » virga hæreditatem tuam. » In commune ponitur illud : memor esto hæreditatis tuæ, quam virga redemisti ; id est, hæreditatis ad regnum adornatæ, ut dictum est illis : Eritis mihi ex omnibus gentibus genus electum, regale sacerdotium. « Mons Sion in quo habitasti in eo[3]. » Quia Deus in divino templo apparuit.

III. « Leva manus tuas in superbias eorum in finem[4]. » Eorum qui contra divinum templum bellum gesserunt.

[1] Psal. LXXIII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] 1 Petr. II, 9. — [4] Psal. LXXIII, 3.

IV. « Et gloriati sunt qui oderunt te in medio solemni- » tatis tuæ[1]. » Quia in solemnitate Paschæ bellum contra Dominum excitarunt, ideo eo ipso tempore inimicis suis traditi sunt. Nam in Paschate congregatis secundum legem Judæis omnibus, obsidio posita est, et jure quidem, eo ipso tempore quo Salvatorem cruci affixerunt.

V. « Posuerunt signa sua signa[2]. » Belli symbola dicit, quæ in exercitibus signa vocantur, quæ posuerunt in via civitatis. Neque hic constiterunt, sed insilierunt, id est in ipsum divinum templum irruperunt, ignari Deum esse qui traderet illis urbem ob impietatem civium. Utpote hæc ignorantes propriam virtutem mirabantur, et infirmitatis arguebant Deum qui in divino templo adorabatur. Quare ultra progressus, ait. « Usquequo, Domine, » improperabit inimicus? » Quod autem repetat vocem, signa, mirantis esse videtur, quod divinum Templum inimicorum manibus traditum fuerit.

VI. « Quasi in sylva lignorum securibus exciderunt ja- » nuas ejus, etc.[3] » Describit in præsentibus urbis ac Templi excidium. Fabrilibus instrumentis usi, et septa diruerunt, et ædium januas confregerunt, quæ pulchre et affabre elaborata erant, quasi sylvam excidentes.

VII. « Incenderunt igni sanctuarium tuum, etc.[4] » Cum magna calamitate nostra irrumpentes, unum scopum habebant, legem scilicet a te datam abrogare. Nam per « dies festos[5] » cultum legalem significavit. Hæc autem perpetrare, ait, ausi sunt quia nec mirabilia tempore patrum nostrorum edita viderant, neque prophetica gratia redarguti sunt. Horum namque omnium subito expertes fuere. Siquidem olim etiam post reditum ex captivitate, Prophetas habuere, Aggæum, Zachariam, Malachiam. Et qui istis antiquiores erant Prophetæ, populo atque regi-

[1] Psal. LXXIII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 8.

bus futura prænuntiabant, et inimicorum insidias palam faciebant. Quod ex historia ediscere in promptu est.

VIII. « Signa nostra non vidimus[1]. » Illi quidem se mutuo concitabant, ut quiescere facerent festos Domini, qui adhuc celebrabantur. Et vero verba in opus deducebant. Nos autem dum hæc agerentur, non vidimus signa illa quorum plerumque in prioribus bellis testes oculati fuimus. Ista autem signa in auxilium nobis erant adversus instantes calamitates. Quamobrem utpote qui ea non viderimus dicimus. « Ut quid Deus repulisti in finem? Jam » non est Propheta et nos non cognoscet amplius. » Et hoc maxime in causa est quod de salute desperemus, quod non amplius Prophetam videamus in gente nostra, qui possit nobis placare Deum.

IX. « Usquequo Deus improperabit inimicus[2]? » Postquam absolvit excidii descriptionem a facie inimicorum, Deum vocat ad misericordiam, et rogat animadvertere, hæc omnia ad Dei contumeliam spectare. Cum dicit, « In » medio solemnitatis tuæ, et, sanctuarium tuum, et, ta» bernaculum nominis tui, *et*, dies festos Domini, *et*, » nomen tuum in finem. »

X. « Ut quid avertis manum tuam, etc.[3] » Ut quid præscindis, inquit, bonorum dona, quæ olim quasi ex sinu tuo largiebaris nobis.

XI. « Deus autem rex noster ante sæcula[4]. » Nunc, ait, nobis bonorum copiam præscindis : olim vero cum et Deus noster et rex noster vocari dignareris, talem nobis salutem operatus es, ut nemini lateret in terra. « Opera» tus est salutem in medio terræ. » Hinc occasione accepta, quidam existimarunt Jerosolymam esse terræ oculum.

XII. « Tu confirmasti in virtute tua mare, contrivisti

[1] Psal. LXXIII, 9. — [2] Ibid. 10. — [3] Ibid. 11. — [4] Ibid. 12.

» capita draconum in aquis[1]. » Quando Pharaonem cum ducibus et curribus ob pravam mentem ac propositum contrivisti quasi capita draconum in aquis; sic Ægyptios Æthiopibus conterminis dedisti in escam, ipsos ac Regem ipsorum vicisti a facie Æthiopum. Describit his verbis quo pacto olim eorum salutem operatus est. Et primo quidem quod consolidatæ sint aquæ maris quasi murus, quando ex Ægypto egressi sunt. Et hoc significat illud; confirmasti mare. Secundo, quod contrita sint capita Ægyptiorum in aquis, quos ob malignitatem linguæ dracones vocat. Ac cum illis regis ipsis imperantis caput, quem regem similiter draconem appellat.

XIII. « Dedisti eum escam populis Æthiopum[2]. » Ipsum Pharaonem, et quidem post bellicam expeditionem. Populos autem dicit avium catervas quæ apud Indos sunt : quæ Ægyptiorum corpora per maris fluctus ad littus rejecta vorarunt.

XIV. « Tu dirupisti fontes et torrentes[3]. » Loquitur de gestis in deserto, quando populum ex petra potavit. « Tu siccasti fluvios Etham. » Etham interpretatur auster, nam ad austrum Judæorum regionis Jordanis situs est.

XV. « Tuus est dies et tua est nox[4]. » Non solum, inquit, in mari Rubro et in deserto bona largitus es nobis; sed etiam toti hominum generi bona tribuis : sive diem atque noctem; sive solem et lunam condens, sive æstatem, et vernum tempus; sive terminos in terra constituens. Hoc autem nunc ait ad præsens auxilium evocans. Quare ait : Memor esto hujusce creaturæ tuæ[5]. Si propter homines, inquit, creaturas condidisti, præbe auxilium iis quorum causa creaturæ conditæ sunt.

XVI. « Memor esto hujus, inimicus improperavit tibi,

[1] Psal. LXXIII, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 16. — [5] Ibid. 17.

» Domine [1]. » Postquam per creaturæ statum ad miserationem populi Deum evocavit, alio rursum modo ad misericordiam vocat. Hic autem modus est quod inimicus magnifice sentiat. « Et populus insipiens incitavit nomen » tuum. » Vide rursum aliam commiserationis rationem, quia scilicet inimici incitarunt nomen ejus.

XVII. « Ne tradas bestiis animam confitentem tibi [2]. » Extendit commiserationis causam, inimicos vocans bestias. Quia qui peccarunt per confessionem veniam consequuntur. Rogat autem ut ne pari modo omnis Israël pereat, quod etiam factum est. Multæ namque myriades eorum qui Christum crucifixerunt, postea crediderunt et salutem consecutæ sunt.

XVIII. « Respice in testamentum tuum [3]. » Alius iterum commiserationis modus affertur, quod enim Deus erga illos bonus et clemens fuerit, testamentum dans illis, hinc misericordiam sibi attrahere conantur. «Quia repleti sunt » qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum. » Quod ait ejusmodi est. Etiamsi multæ domus ob iniquitatem erga te ipsarum, tenebris plenæ fuerunt; at quæso ne omnis populus abjiciatur, et infamiæ tradatur. Habuerunt enim quidam in seipsis spem salutis, qui etiam Apostolorum opera salutem nacti sunt : maxime vero prioribus Petri concionibus, ubi modo ter mille, modo quinquies mille, modo etiam myriades accessere ad fidem.

XIX. « Pauper et inops laudabunt nomen tuum [4].» Postquam, inquit, salutem consecuti sunt, qui ea digni sunt, pauper spiritu, scilicet Apostolorum chorus, secundum illud. « Beati pauperes spiritu » congruentes tibi laudes emittit.

XX. « Exurge Deus judica causam tuam [5]. » Hac supplicatione Deum excitat ad supplicium de iis sumendum qui

[1] Psal. LXXIII, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 20. — [4] Ibid. 21. — [5] Ibid. 22.

populum deceperunt. « Memor esto improperii tui. » Rursum quia ipse improperatus fuit ad misericordiam Deum vocat.

PSALMUS LXXIV.

In finem, ne corrumpas. Psalmus Asaph.

ARGUMENTUM.

In hoc psalmo persona Apostolorum inducitur, cohortans homines ut impietatis finem faciant, ac repræsentans ipsis horrendum illud ac divinum tribunal.

I. « Confitebimur tibi Deus [1]........ Narrabo mirabilia » tua. [2] » Dei mirabilia enarraturum se pollicetur apostolicus chorus a persequentibus liberatus. « Ego justitias » judicabo. » Hæc ait Salvator respondens eorum promissioni.

II. « Liquefacta est terra et omnes qui habitant in ea[3]. » Cum justa judicares, inquit, liquefecisti terram, videlicet Jerosolymam, « et omnes qui habitant in ea. « Potest autem illud duplici modo intelligi, atque in bonam partem, scilicet « liquefacta est, » id est, malitiæ condonavit; et in malam, ut declaret supplicium de iis sumptum. « Ego confirmavi columnas ejus. Columnæ » Jerusalem sunt sancti Apostoli, juxta id quod dictum est:

[1] Psal. LXXIV, 1. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4.

« Columna et firmamentum veritatis[1]. » Iterum ait Apostolus : « Et cum cognovissent gratiam, quæ data est » mihi, Jacobus, et Cephas et Joannes, qui videbantur » columnæ esse. »

III. « Dixi iniquis : nolite inique agere.[2] » Hic Apostolorum persona effertur, quæ homines hortatur ut quiescant ab impietate. Humiliat autem Judaïcum populum ob ejus superbiam : exaltat vero populum ex gentibus ob humilitatem ejus. « Nolite extollere in altum cornu ves- » trum[3]. » Nam cornuta animalia multum de cornibus gloriantur. Jubetur autem iniquis, ut ne arrogantia iniquitatem augeant, neque moveant linguam adversus Deum.

IV. « Quia neque ab exitibus, neque ab occidente, ne- » que a desertis montibus[4]. » Hisce totum orbem terrarum significat. Exitus autem dicit Orientem, a quo sol exit. Occidentem autem vesperias partes : desertos montes, septentrionem et meridiem. Quæ partes ob vehementiam frigoris et æstus habitari nequeunt. Ne, inquit, inique agatis, quia nemo in toto orbe Deum latuerit si impium quid proferat in eum. « Hunc humiliat et hunc exaltat[5]. » Cum sit bonus judex, ait, impios humiliat, exaltat autem humiles corde. Hæc porro accipienda sunt de duobus populis, Judæorum scilicet et gentium. Ille namque humiliatus fuit propter arrogantiam, hic exaltatus propter humilitatem. Ipse namque constituit reges, et deturbat, suscitat de terra inopem et de stercore erigit pauperem. Imo etiam postquam humiliavit eos qui ex circumcisione sunt, gentes exaltavit.

V. « Quia calix in manu Domini vini meri plenus » mixto[6]. » Calix, inquit, est in manu Domini, in quem

[1] 1 Tim. III, 15. — [2] Psal. LXXIV, 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 8. — [6] Ibid. 9.

fructus hominis sive bonos sive malos quasi exprimens et bona malis commiscens, ipsum plenum efficit. Exinde vero quorum fæx non effunditur, id est, ii in quibus peccata remanent, ipsum bibunt, id est, propriis inebriabuntur malis; sicut contra sancti bibent calicem vitæ in regno cœlorum cum Domino Jesu, secundum ipsius Domini vocem : « Donec bibam illud vobiscum in regno cœlo« rum [1]. »

VI. « Ego autem exultabo in sæculum, cantabo Deo « Jacob [2]. » Cum calici vitæ participavero, tunc mihi lætitia hinc eveniet.

VII. « Et omnia cornua peccatorum confringam [3]. » Si humiliatis sanctis, peccatorum cornu in altum extollitur, sane exaltatis sanctis confringentur cornua peccatorum. Quinam fuerint peccatores, nisi maligni dæmones, hominibus Dei oppositi? « Et exaltabitur cornu justi. » Cornu dicit regnum, sive potentiam. Postquam igitur, ait, justi fortitudinem acceperint, sublatis videlicet malignis potestatibus; tunc Dei mirabilia ostendentur. Quare initio psalmi dixit : « Narrabo mirabilia tua cum accepero » tempus. »

[1] Matth. XXVI, 29. — [2] Psal. LXXIV, 10. — [3] Ibid. 11.

PSALMUS LXXV.

In finem, in laudibus, Psalmus Asaph, canticum ad Assyrium[1].

ARGUMENTUM.

Hic quoque psalmus in eodem versatur argumento quo superior; nam quæ divinum tribunal spectant enarrat.

I. « Notus in Judæa Deus, in Israël magnum nomen » ejus[2]. » Judæam hic et Israël vocat animam quæ Deum novit; ipsa namque est vera Judæa et verus Israël.

II. « Factus est in pace locus ejus[3]. » In anima Sanctorum. Hebraïcus textus habet *salem* ac reliqui sic interpretati sunt : quod est *pax*. In ista igitur anima, aut in Ecclesia, tela ignea quæ malignus ille emittit, conteruntur; vel intelligitur, in superna Jerusalem. Si enim de superna Judæa dictum est : hinc effugit dolor, tristitia et gemitus; sane pacis locus erit. « Et habitatio ejus in » Sion. » In spirituali videlicet, sive superna, aut in sanctorum anima.

III. « Ibi confregit potentias arcuum[4]. » His significat adversarias potestates, quæ confringuntur postquam sancti id consecuti sunt, ut in illis mansionibus habitent.

[1] Psal. LXXV, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4.

IV. « Illuminas tu mirabiliter a montibus æternis[1]. » Inde emittit Spiritum Sanctum, scilicet a montibus æternis: Sion dicit, ex qua putabant Deum profectum talia patrare : ubi etiam templum ipsi constructum fuerit. Montes æternos dicit cœlos. Illuminat autem nos Dominus, quando mittit Spiritum de cœlis. « Illuminatio tu es » perquam maxima, a montibus venationis. Illuminas » tu mirabiliter a montibus venationis. Terribilis es mira- » biliter a montibus fructuosis[2]. »

V. « Turbati sunt omnes insipientes corde[3]. » Qui non receperunt illuminationem quæ per Spiritum datur, in perturbatione et agitatione versabuntur, cum divinum tribunal apparebit. « Dormierunt somnum suum et nihil » invenerunt. » Negligentiæ et segnitiei dediti in vita, tempore divini judicii nihil invenerunt manibus suis retinentes, qui olim in mortali vita divites erant : quomodo enim invenire possent quæ non operati sunt? « Omnes » viri divitiarum in manibus suis. » Symmachus sic habet : « Omnes viri fortes manibus suis. » Nihil, inquit, profuit illis fortitudo manuum, quibus se omnium divitias directuros sperabant. Et docens quæ causa fuerit quod nihil lucri habuerint, subjungit.

VI. « Ab increpatione tua, Deus Jacob, dormitaverunt » qui ascenderunt equos[4]. » Lato, inquit, adversus eos justo judicio, quasi somno, et veterno traditi sunt, id est excitare se non potuerunt. Quinam autem illi sunt nisi qui ascenderunt equos. Equos autem divina Scriptura pro more vocat eos qui effrenate ad voluptates declinant; juxta illud : « Equi effeminati facti sunt. Unusquis- » que ad uxorem proximi sui hinniebat[5]. »

VII. « Tu terribilis es, et quis resistet tibi[6]? » Si

[1] Psal. LXXV, 5. — [2] Variæ interpretationes. — [3] Psal. LXXV, 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Jerem. V, 8. — [6] Psal. LXXV, 8.

enim, inquit, clauserit contra hominem, quis aperiet? juxta Hesaïæ vocem [1].

VIII. « De cœlo auditum fecisti judicium [2]. » Nullus, inquit, erit eis defensionis locus cum punientur : prænuntiavit enim illis quæ divinum tribunal spectant. « Terra » tremuit, et quievit. » Terram hic vocat totam hominum naturam, quæ tunc reformidabit. Nemo enim tunc erit quin pertimescat, illa instante die. Cum enim, inquit, Deus sis cœlestis, judicasti et judicium fecisti manifestum, ultus inimicos Jerosolymæ.

IX. « Cum exurgeret in judicium Deus, ut salvos faceret » omnes mansuetos terræ [3]. » Divinum, inquit, tribunal mansuetis salutem tribuet : quemadmodum revera supplicia dabit peccatoribus.

X. « Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi [4]. » Sistemur ante horrendum illud tribunal non solum de iis quæ fecimus sed etiam de iis quæ cogitavimus rationem daturi. Quoniam omnis lingua, omnis cogitatio, omne ratiocinium, confitebitur Domino in tempore judicii, quando etiam occulta in publicum proferentur. « Et reli» quiæ cogitationis diem festum agent tibi. » Reliquiæ cogitationis sunt purificata cogitatio, in eo quod residuum erit per electionem gratiæ. Si igitur illo tempore pura deprehendatur cogitatio esse, tunc festivitatis tuæ particeps erit.

XI. « Vovete et reddite Domino Deo vestro [5]. » Ad cohortationem sermo convertitur. Quoniam, inquit, ea quæ supra diximus in divino tribunali contingent, ideo dum in præsenti vita estis, vovete Domino, vos de bonis operibus deinceps edendis curaturos, et ne tardetis ea vota implere. Afferent autem munera, perterriti de mirabilibus editis.

[1] Esai. XXII, 22. — [2] Psal. LXXV, 9. — [3] Ibid. 10. — [4] Ibid. 11. — [5] Ibid. 12.

XII. « Terribili et ei qui aufert spiritum principum.[1] » Promittite, inquit, vos bona opera edituros, gnari oportere vos in illo loco constitutos, quasi dona opera vestra offerre Deo. Hic autem Deus terribilis est. Itaque ab iis qui olim imperarunt et improbi fuerunt spiritus auferetur. In divino namque ac terribili illo tribunalia singulis peccatoribus auferetur spiritus per baptismum datus. Et illud est quod Dominus dicebat : Exscindet servum improbum Dominus ejus quando venerit, et portionem ejus post infidelem ponet[2].

PSALMUS LXXVI.

In finem, pro Idithun, Psalmus Asaph [3].

ARGUMENTUM.

Cum audisset Idithun quæ dicebantur de populo Hebræorum, quæ isthæc erant : Ut quid Deus repulisti in finem? *summopere dolebat et turbabatur, lugens quod omnino abjecti fuissent. Tum in ejus gratiam Asaph psalmum edit, docens illum, in ejusmodi negotiis ad Deum esse confugiendum, atque inde consolationem mutuari oportere : quare sic orditur.*

I. « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad » Deum, et intendit mihi[4]. » Psalmum ordiens docet Idithun, quod prope sit Dominus invocantibus eum.

[1] Psal. LXXV, 13. — [2] Luc. XII, 46. — [3] Psal. LXXVI, 1. — [4] Ibid. 2.

II. « In die tribulationis meæ Deum exquisivi manibus » meis nocte contra eum, et non sum deceptus[1]. » Tanta inquit, tribulatio demersit animam meam, ut non solum die supplicationes offerrem, sed et ipsum noctium tempus in precibus insumerem. Verum hæc agens non cucurri in vanum, non frustra laboravi : atque id sibi vult illud : » Non sum deceptus. »

III. « Renuit consolari anima mea, memor fui Dei et » delectatus sum[2]. » Nullas, inquit, hominum consolationes admittebam : sed sola Dei memoria lætitia cordis erat mihi. « Exercitatus sum, et defecit spiritus meus. » Cum humanis, inquit utebar ratiociniis, id enim significat illud : « Exercitatus sum, » tunc in defectionem animi dejectus sum.

IV. « Anticipaverunt vigilias oculi mei, turbatus sum et » non sum locutus[3]. » Hoc nos, inquit, in perturbationem conjicit, quod inimici, custodiarum nostrarum loca occupent, id est, murorum propugnacula.

V. « Cogitavi dies antiquos[4]. » Illa, inquit, mecum cogitabam, et turbabar perpendens quo pacto Deus olim populo auxiliaretur; nunc autem repulerit. Et hoc me in anxietatem animi conjiciebat : ne forte in perpetuum deserti forent. Reminiscebar illorum dierum antiquorum.

VI. « Hæc mutatio dexteræ excelsi[5]. » Dum mecum versarem inquit cogitationes illas de populi abjectione, sero tandem intellexi, mutationem illam a bonis ad mala, quæ populo contigit, ob nihil aliud evenisse nisi propter Altissimi dexteram. Quasi apertius diceret; propter ea quæ contra Salvatorem Christum, qui est dextera Patris, facta sunt.

VII. « Quia memor ero ab initio mirabilium tuorum[6]. »

[1] Psal. LXXVI, 3.—[2] Ibid. 4.—[3] Ibid. 5.—[4] Ibid. a 6 ad 11. —[5] Ibid. 11. —[6] Ibid. 12.

Cogitavi, inquit, quanta ipsis bona tribuerit, et qualia vicissim intulerint ei mala.

VIII. « Et meditabor in omnibus operibus tuis [1]. » Et si enim illi ita se gesserint, at ego ea quæ ab initio nobis contulisti beneficia ad finem usque recensebo : id est, nullum ex nobis collatis bonis oblivioni tradam.

IX. « Deus in sancto via tua [2].» Sanctum vocat aut sanctificatum Apostolorum chorum, quicum stupenda illa divina signa edebat; aut quia nemo potest venire ad Patrem nisi per Christum qui revera sanctus est, utpote Deus. « Quis Deus magnus sicut Deus noster ? » Omnibus antecellis, o Domine, solus enim quæ vis « mirabilia » operaris.

X. « Redemisti in brachio tuo populum tuum, filios Ja» cob et Joseph [3].» Ipsis enim primis prædicavit Evangelium regni cœlorum. Brachium Domini, id est Christus.

XI. « Viderunt te aquæ Deus, et timuerunt [4]. » Et quandonam aquæ videntes timuerunt, nisi quando mare increpavit et obmutuit ?

XII. « Vocem dederunt nubes [5]. Etenim sagittæ tuæ » transeunt [6]. » Nubes hic vocat sanctos Apostolos, qui cœlestem et evangelicum sermonem administrant. Sagittas autem vocat operationes sancti Spiritus. Perinde igitur est ac si diceret : Operationes in discipulis tuis editæ, per totum orbem auditæ sunt. Sciendum autem, ipsum Christum sagittam electam apud Esaïam Prophetam nuncupatum fuisse [7]. « Vox tonitrui tui in rota. » Tonitru dicit evangelicum sermonem, qui per totum orbem vehementer insonuit. Quamobrem Evangelistam, filium tonitrui appellavit. Rotam autem dicit hominum vitam, ut ex Ezechiele ediscere est. Perinde itaque est ac si diceret :

[1] Psal. LXXVI, 13. — [2] Ibid. 14, 15. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 17. — [5] Ibid. 18. — [6] Ibid. 19. — [7] Esai. XLIX, 2.

sermo tuus evangelicus, toti hominum generi traditu est. « Illuxerunt fulgura tua orbi terræ. » Ecquænam fulgura fuerint, nisi ea quæ spirituali nos lumine illustrant, sancti scilicet Apostoli et Evangelistæ, quibus Salvator dixit : « Vos estis lux mundi. Commota est et contremuit » terra[1]. » Quasi dicat, Audita est ab omnibus orbem incolentibus salutaris prædicatio, per quam castus timor omnes occupavit, juxta illud : « Servite Domino in » timore, et exultate ei cum tremore[2]. »

XIII. « In mari via tua et semitæ tuæ in aquis multis[3]. » Mare vocat mundum, aquas autem multas, diversa in eo hominum genera. Quoniam autem Christus præcepit Apostolis dicens : « Euntes docete omnes gentes : » et, « Ecce vobiscum sum omnibus diebus[4]; » ipsi vero totum orbem percurrerunt, et prædicaverunt omnibus gentibus, Domino invisibiliter, secundum veraces suas promissiones, ipsis assistente; ideo intulit. « Et vestigia tua non cognoscentur, » ob invisibilem Domini progressum cum eis. Cæterum ipse solus, utpote Deus, viam fecit in mari sensibili ut ait Evangelista.

XIV. « Deduxisti sicut oves populum tuum[5]. » Quemadmodum oves quæ nesciunt quo vadant et ubi incedant, sic nos ipse deduxisti, administris ad hæc usus Moyse et Aarone. Omnia itaque ab his verbis : « Memor fui » operum Domini, » refert ad illud : « Memor fui Dei, » et delectatus sum. » Horum, inquit, recordatus, consolatio mihi et lætitia fuit. Cum enim mecum reputarem quanta et qualia nobis per auxilium tuum obvenerint, confidebam nunquam futurum esse, ut postquam pro nostra salute et pro liberatione eorum qui olim detinebantur tanta effecisti, nunc feras ut despicias nos in

[1] Matth. v, 14. — [2] Psal. II, 11. — [3] Psal. LXXVI, 20. — [4] Matth. XXVIII, 19, et XXVIII, 20. — [5] Psal. LXXVI, 21.

servitute, captivitate et calamitate consistentes. « In » manu Moysi et Aaron. » Tu ipse, inquit, Domine, qui una cum sanctis Apostolis es, olim per Moysen eduxisti populum tuum ex Ægypto, ducibus Moyse et Aarone.

PSALMUS LXXVII.

Intellectus Asaph.

ARGUMENTUM.

Hunc canit psalmum Asaph, novum populum admonens, ut evangelicæ legi attendat; populumque illum antiquum Judaïcum accusat, quod multis acceptis beneficiis, nullius memores fuerint, sed contra loco gratiarum actionis, ingratitudine beneficum remunerarint.

I. « Attendite popule meus legem meam [1]. » Ecquem populum cohortatur nisi qui ex gentibus est? Eccui legi attendere jubet nisi evangelicæ? Quod autem gentes sint populus ejus, id ait propheta Zacharias : « Et confugient » gentes multæ ad Dominum, et erunt ipsi in populum. » Inclinate aurem vestram in verba oris mei[2]. » Alacriter, inquit, verba mea audite.

II. « Aperiam in parabolis os meum[3]. » Hoc aperte Evangelista explicavit ut impletum[4], quando multas parabolas dixit Dominus in Evangeliis.

[1] Psal. LXXVII, 1. — [2] Zach. II, 12. — [3] Psal. LXXVII, 2. — [4] Matth. XIII, 35.

III. « Et Patres nostri narraverunt nobis [1]. » Quotquot, inquit, a patribus edidicimus, hæc omnia per opera et per ejus adventum novimus.

IV. « Non sunt occultata a filiis eorum in generatione » altera [2]. » Non pro altera, inquit, generatione, sed pro filiis eorum omnia Salvatoris mirabilia opera patrata sunt : quare non cessarunt ipsis « narrantes laudes Do- » mini et virtutes ejus. »

V. « Et legem posuit in Israel [3]. » Legem, inquit, dedit patribus eorum, et tabernaculum testimonii, instituens eos ut per legem cognoscerent Salvatorem, qui in tempore ad genus hominum advenit.

VI. « Filii qui nascentur [4]. » His significat sanctos Salvatoris discipulos, qui mirabilia per Christum edita filiis suis annuntiant; id est, iis qui ipsorum opera ad fidem accedunt.

VII. « Et non obliviscantur operum Dei [5]. » Hæc ipsis enarrabunt, ex quibus solis poterunt Deum sibi spem ascribere.

VIII. « Ne fiant sicut patres eorum [6]. » Annuntiabunt, inquit, Apostoli laudes Dei, iis qui per ipsum instituti sunt : ut exquirant Dei mandata, et ne patrum suorum infelicitatem imitentur. Illa namque generatio cor rectum non habuit erga Deum, neque fidem habuit cum Deo spiritus ejus. « Generatio quæ non direxit cor » suum. » Illi namque spem in Deo firmam non habuerunt, quia noluerunt rectam ingredi viam sed sententiam habuere divinis adversantem legibus.

IX. « Filii Ephræm intendentes et mittentes arcubus [7]. » Per solam tribum Ephraïm totum populum Israël a Juda segregatum et divisum significavit. Ipsi enim et vitulos

[1] Psal. LXXVII, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7. — [6] Ibid. 8. — [7] Ibid. 9.

erexerunt, et a legali cultu desciverunt. Postquam ante tetigerat patrum malignitatem, jam eorum improbitatem ex integro recenset, atque bonorum copiam a Deo illis concessam; eorum erga Deum infidelitatem, denique perniciem quæ his de causis illos excepit. Ut iis instituti, malum zelum effugerent. Dicit autem filios Ephraïm, id est totum Israëlem, qui didicerunt cum malignis dæmonibus pugnare, atque ad eam rem in modum arcus adornati erant, ipso pugnæ tempore mutasse sententiam, atque Dominum negasse, ut voluntate ad Barabbam, id est ad Satanam, declinarent.

X. « Non custodierunt testamentum Dei[1]. » Novam Evangelii traditionem dicit atque illud : « Ecce dies venit, » et disponam cum eis testamentum novum[2]. » Causa autem hic redditur, quia illud non custodientes, quod est nova lex Dei, « conversi sunt in die belli. » Non enim credebant ei dicenti : « Ego ex Patre exivi et ve- » nio[3]. » Cum enim par fuisset adversus eos pugnare qui contra Deum bellum gererent : illi adversus Deum bellum moverunt.

XI. « Et obliti sunt benefactorum ejus[4]. » Licet enim multa beneficia acceperint, omnia a memoria sua abjecerunt et ejusce rei argumentum illud est, quod eum tradiderint Pilato. Obliti sunt quomodo pertransierit beneficiis eos cumulans, et sanans eos qui sub potestate diaboli essent.

XII. « Coram patribus eorum fecit mirabilia[5]. » Ita beneficiorum et mirabilium Christi obliti sunt, sicut patres eorum qui in Ægypto fuere quando liberavit eos Dominus. Simile enim quidpiam videtur significare illud : « Coram patribus eorum ; » ac si apertius diceret. Similes

[1] Psal. LXXVII, 10. — [2] Baruch. II, 35. — [3] Joan. XVI, 27. — [4] Psal. LXXVII, 11. — [5] Ibid. 12.

patribus suis in malis studiis fuere : et sicut illi obliti sunt Deum, et isti.

XIII. « Interrupit mare et perduxit eos[1]. » Non solum hoc, inquit, sed etiam mare dividens omnes pertransire fecit[2]. Hinc incipit ea quæ in priori liberatione edita sunt miracula recensere. Diviso enim in multas divisiones Rubro mari, ac separatis aquis et ex utraque parte in sublime elatis, « quasi in utre » quodam divina virtute conclusit eas, ne effusæ multitudinem demergerent.

XIV. « Ideo audivit Dominus et distulit[3] : » Quasi diceret : supersedit parum et operatricem manum quasi cohibuit.

XV. « Et panem cœli dedit eis[4]. » Non solum, inquit, manna corpora nutriebat, sed et rationabili quadam et cœlesti virtute alebat eorum animas, sicut revera etiam alit Angelos. Atque illud potest ex conjunctione animadverti, quæ quasi in quadam additione jacet cum dicitur. « Et panem cœli dedit eis. » Nihilominus autem possumus id ex Apostolo ediscere, qui de illis dicit quod hic panis Angelorum vocatur.

XVI. « Et sicut arenam maris volatilia pennata[5]. » De coturnice hic loquitur.

XVII. « Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum[6]. » Versus est illis cibus in iracundiam, utpote qui omnino ad saturitatem carnium declinarint.

XVIII. « Et recordatus est quia caro sunt, spiritus va- » dens et non rediens[7]. » Miserabatur, inquit, illos, etsi videret eos omnino declinasse ad carnes, id est, ut ea quæ carnis sunt saperent, ac spiritum habere ad concupiscentiam carnis semper vadentem, nec convertentem se ad pœnitentiam, ut quæreret Deum ex tota anima. Nulla

[1] Psal. LXXVII, 13. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 21. — [4] Ibid. 24. — [5] Ibid. 27. — [6] Ibid. 30. — [7] Ibid. 39.

igitur alia de causa, miseratus est et salvum fecit illum, nisi propter suam solum clementiam. Quare prius dixit : « Ipse enim est miserator et misericors. »

XIX. « Non sunt recordati manus ejus, die qua redemit » eos de manu tribulantis[1]. » Postquam enumeravit bona in mari et in deserto ipsis collata, alium recenset beneficiorum modum. Hæc autem sunt mala inimicis illata, scilicet mutatio fluminis in sanguinem, cynomyia, ranæ, erugo, locusta, grando, pruina, ignis, immissio angelorum malorum : et reliqua usque ad primogenitorum exitium.

XX. « Viam fecit semitæ iræ suæ[2]. » Cum dedisset, inquit, mysterium Agni, exitum dedit iræ, ut populum suum prætergrederetur, et ne attingeret eos qui ejus mysterium celebrarent. Sed cum custodiret eos dando semitam iræ suæ, animabus eorum scilicet Ægyptiorum « non pepercit a morte : tradidit enim exterminatori. »

XXI. « Et induxit eos in montem sanctificationis suæ[3]. » Jerusalem ait et templum postea in illa excitatum. « Montem hunc quem acquisivit dextera ejus. » Ipse namque Christus est, dextera Patris, qui olim ante populum incedebat, et sorte dedit eis terram promissionis. « Et ejecit a facie eorum gentes. » Amorrhæum, Chettæum et qui consequenter enumerantur. « Et sorte divisit eis » terram in funiculo distributionis, » expulsis ac deletis septem gentibus. Nam pulsorum urbes domosque possederunt.

XXII. « Et tentaverunt et exacerbaverunt Deum excel» sum[4]. » Idololatriam quæ judicum et regum tempore inducta fuit enarrat. « Et testimonia ejus non custodie» runt. »

XXIII. « Et averterunt se, non servaverunt pactum,

[1] Psal. LXXVII, 42 et seqq. — [2] Ibid. 50. — [3] Ibid. 54. — [4] Ibid. 56.

» quemadmodum patres eorum[1].... » Quemadmodum patres eorum, ait, in deserto, redemptore abnegato, vitulum fecerunt; ita et isti erectis vitulis sacrificabant, Deo derelicto.

XXIV. « In iram concitaverunt eum in collibus suis[2]. » In omnibus enim montium cacuminibus immolabant dæmonibus; ut ait Oseas Propheta[3].

XXV. « Audivit Deus et sprevit, et ad nihilum redegit » valde Israël[4]. » Traditi enim sunt variis captivitatibus.

XXVI. « Et repulit tabernaculum Silom[5]. » In Silom enim erat prius tabernaculum, quo tempore sacerdotium exercebant Heli et Samuël. « Tabernaculum ubi habita- » vit in hominibus. » Tabernaculum dicit Arcam, quæ hominibus illis erepta est, a quinque Satrapiis quæ abstulerunt illam.

XXVII. « Et tradidit in captivitatem virtutem eorum, » et pulchritudinem eorum[6]. » Virtus et pulchritudo eorum erat Arca, quæ tradita est in manus Azotiorum.

XXVIII. « Et conclusit in gladio populum suum[7]. » Cum ducerentur enim in captivitatem moriebantur, nemine auxiliante, quia familiares eorum igne absumpti fuerant.

XXIX. « Sacerdotes eorum in gladio ceciderunt[8]. » Filios Heli sacerdotis dicit. « Et viduæ eorum non plo- » rabuntur. » Perierunt enim eodem exitio, atque viris in morte conjunctæ sunt, neque lacrymis ut solet in mortuis fieri deploratæ sunt.

XXX. « Et percussit inimicos suos in posteriora[9]. » Hoc ait quia Azotios et Ascalonitas in podicibus percussit, donec remitterent Arcam.

[1] Psal. LXXVII, 57. — [2] Ibid. 58. — [3] Oseæ XI, 12. — [4] Psal. LXXVII, 59. — [5] Ibid. 60. — [6] Ibid. 61. — [7] Ibid. 62 et 63. — [8] Ibid. 64. — [9] Ibid. 66.

XXXI. « Et repulit tabernaculum Joseph[1]. » Hoc ait quia Silom erat in portione Joseph : Ephraïm autem filius erat Joseph.

XXXII. « Sed elegit tribum Juda[2]. » Ex ea enim reges constituit, quorum primus fuit David. Sciendum autem tribum pro tribu elegisse Deum, tribum Juda pro tribu Josephi ; et locum pro loco, montem Sion pro Silom.

XXXIII. « Et ædificavit sicut unicornium sanctificium » suum[3]. » Sanctificium dicit, divinum in Jerusalem excitatum templum. Unicornis autem, fera est inexpugnabilis, quia acutum in fronte cornu habet, atque illa belluas omnes interficit. Ait igitur, cum extructum fuit templum illud, omnes gentes virtute in illo contenta inferiores fuisse visas.

XXXIV. « De post fœtantes accepit illum[4]. » Fœtantes dicit natas et recens emissas. Davidem, quod esset pastoritiæ artis peritus, et quia sciret fœtas oves custodire, merito assumpsit, et rationabilium ovium pastorem constituit. « Pascere Jacob servum suum[5]. » Id est, doctor ipsis proborum morum fuit, per ea quæ fecit erudiens eos.

XXXV. « Et in intellectibus manuum suarum deduxit » eos[6]. » Intellectum manuum, omnes actus convenienti tempore editos dicit.

[1] Psal. LXXVII, 67. — [2] Ibid. 68. — [3] Ibid. 69. — [4] Ibid. 70. — [5] Ibid. 71. — [6] Ibid. 72.

PSALMUS *Asaph* LXXVIII.

ARGUMENTUM.

Hunc canit psalmum pro iis qui in tempore Antiochi dire cæsi sunt. Rogans supplicatione sua ultionem cædis in populo factæ, conversis scilicet calamitatibus in eos qui ipsas intulissent.

I. « Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam[1]. » Multas enim adducens gentes Antiochus, ingressus est Jerosolymam et divinum templum incendit. « Polluerunt » templum sanctum tuum. » Ecce, inquit, tua alii occuparunt, et quæ tua sunt ab alienigenis detinentur. « Posue» runt Jerusalem in pomorum custodiam[2]. » Lapidibus electis constructus est locus, ubi tabernaculum habet qui poma custodit.

II. « Posuerunt morticina servorum tuorum escas vola» tilibus cœli[3]. » Ob inhumanitatis vehementiam, ne concedebant quidem cognatis ut mortuos humarent. « Car» nes sanctorum tuorum bestiis terræ. » Quomodo enim sancti non fuerint quorum sanguis effusus est pro legis observantia[4], ex quorum erant numero Macchabæi.

III. « Exardescet sicut ignis zelus tuus[5]. » Zelo accendare, inquit, propter nomen tuum ab inimicis blasphematum[6].

[1] Psal. LXXVIII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6. — [6] Ibid. 8.

IV. « Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum[1]. » Peccata dicit antiqua quæ in Ægypto admissa sunt.

V. « Ne forte dicant in gentibus ; Ubi est Deus eorum[2]? » Etiamsi, inquit, multitudo peccatorum nostrorum impedimentum est nostræ salutis : sed propter nomen tuum adjuva nos, propter convitium quod proferunt in te, propter sanguinem servorum tuorum qui effusus est, propter gemitum compeditorum.

VI. « Secundum magnitudinem brachii tui posside filios » mortificatorum. » Virtute brachii tui, ait salvos fac eos qui a cæde residui sunt.

PSALMUS LXXIX.

In finem, pro iis qui commutabuntur, testimonium Asaph, Psalmus pro Assyriis[3].

ARGUMENTUM.

Ex prima verborum sententia rogat misericordiam assequi eos qui ab Assyrio in servitutem redacti erant. Sed sublimiore sententia, rogat pro iis qui spiritualem captivitatem passi sunt, postquam in crucem actus est Dominus a spiritualibus Assyriis, et ab eorum principe, videlicet Satana. Supplicationem ergo effundit, rogans adventum Salvatoris nostri, et liberationem totius generis Israëlitici.

[1] Psal. LXXVIII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Psal. LXXIX, 1.

I. « Qui regis Israël intende[1]. » Te, Domine, qui pastoris instar populi sollicitudinem geris, rogo admittas deprecationem meam.

II. « Qui sedes super Cherubim, manifestare coram » Ephraïm, Benjamin et Manasse[2]. » Dum incederet tabernaculum, una gradiebantur tres tribus, Judas nempe, Isachar et Zabulon. Subsequebantur ad meridiem tres aliæ, Ephraïm, Benjamin, et Manasse. Erat autem in Cherubim aureis supra arcam positis gloria Dei, qui ipsos præcedebat cum incederent. Tu itaque qui sedes super Cherubim, et præcedis arcam, ita ut sis ante Ephraïm, Benjamin et Manasse, (nam « coram » significat in conspectu) per tuam potentiam salutem dato.

III. « Vineam de Ægypto transtulisti. » Israëlem dicit. « Ejecisti gentes, et plantasti eam[3]. » Nam cum præcederes eos ejecisti a facie eorum gentes.

IV. « Operuit montes umbra ejus[4]. » Umbra vineæ est legalis cultus, quia lex umbram futurorum bonorum continet. Montes dicit Silom et Sion. In iis namque duobus locis tabernaculum constitutum fuit. Nihil ergo aliud significat, nisi quod legalia, quæ futurorum bonorum umbra erant, in duobus hisce montibus celebrata fuerint. « Et » arbusta ejus cedros Dei. » Cedri sunt cœlestes virtutes; arbusta autem vineæ, Prophetæ in populo qui in sublime efferebantur, et quiescebant in supernis et rationalibus potestatibus.

V. « Extendit palmites suos usque ad mare[5]. » Palmites et propagines vineæ dicit, omnem populi multitudinem, qui pertingebat a flumine Euphrate ad usque mare Indicum.

VI. « Ut quid destruxisti maceriam ejus[6]? » Maceria

[1] Psal. LXXIX, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 11. — [5] Ibid. 12. — [6] Ibid. 13.

ejus erat Angelorum custodia, quam amovit ab eis Deus. « Et vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur » viam[1]. » Data quippe fuit in pabulum impuris dæmonibus, qui etiam depascunt eorum animas, et spirituali fructuum copia expoliant.

VII. « Deus virtutum convertere[2]. » Deprecor te igitur potentem Dominum, ut respicias de cœlo vineæ perniciem, et remedium vulneri applices. Tua enim ipsa providentia priorem illam optimam conditionem dederat.

VIII. « Et perfice eam quam plantavit dextera tua[3]. » Quoniam tu, inquit, plantasti illam, ac deinde fuit « in» censa igni et suffossa[4] » atque periit, te illam corripiente, « perfice eam » et paratam redde ad salutem; præpara autem illam per filium hominis : Illud enim : « super » filium hominis, » per filium hominis significat. Quis autem est filius hominis, nisi ipse Dominus noster, ut ipse de se in Evangeliis dicit?

IX. « Fiat manus tua super virum dexteræ tuæ[5]. » Hæc, inquit, est operatio salutis populi, quæ per manum indicatur, « super virum dexteræ tuæ fiat, » id est, per virum qui est dextera tua. Ecquis ille est nisi filius hominis, qui est dextera Patris, etiamsi factus sit homo[6]? Cum autem hoc factum fuerit et salvos non fecerit dextera tua, qui vocaris vir et filius Dei, nunquam discedemus a te, utpote qui vitæ tuæ participes simus, et tuo nomine appellemur, id est Christiani.

X. « Domine Deus virtutum converte nos[7]. » Assidue supplicationem emittit gestiens, ut Unigenitus appareat, per quem salutem ipsi consequentur.

[1] Psal. LXXIX, 14. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 17. — [5] Ibid. 18. — [6] Ibid. 19. — [7] Ibid. 20.

PSALMUS LXXX.

In finem, pro torcularibus Psalmus; ipsi Asaph[1].

ARGUMENTUM.

Jam cum octavum interpretaremur diximus torcularia Ecclesias esse. Videre igitur est ex hoc quoque psalmo ipsum vocare gentes ad fidem in Dominum. Eam doctrinam præbens illis ut nunquam discedant ab ipso, prioris populi impietatis causa abjectionem significans.

I. « Exultate Deo adjutori nostro, jubilate Deo Ja» cob[2]. » Jubilatio est victoriæ carmen. Cohortatur itaque gentes ut Deo auxilianti, qui a dæmonum potestate ipsos liberaverat, hymnos victoriæ canant.

II. « Sumite psalmum et date tympanum[3]. » Psalmum hic vocat, divinam doctrinam, tympanum autem est instrumentum pellibus confectum. Ait igitur : obsequentes divinis eloquiis : « Exhibete corpora vestra hostiam » viventem, Deo placentem. Psalterium jucundum cum » cithara[4]. » Psalterium rursum corpus dicit, ob consensum et coaptationem animæ cum illo; ut Dei homines perfecti sint, et animas Deo dicantes et corpus : non mundo, sed Domino.

III. « Buccinate in neomenia tuba[5]. » Sicut olim Israël sensibiles sumens tubas in neomenia buccinabat, quia

[1] Psal. LXXX, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Rom. XII, 1. — [5] Psal. LXXX, 4 et 5.

hoc præceptum dederat Deus in testimonium quod liberati fuissent ex ægyptiaca servitute; ita et novus populus evangelica usus tuba, cujus sonus in omnem terram exivit, jubet in neomeniis tuba canere, id est in renovatione mentis ejus : confitens ipse atque testificans, quod illum ex spirituali Ægypto liberarit, id est, ex potestate tenebrarum.

IV. « Linguam quam non noverat audivit[1]. » Populus, inquit, egressus ex Ægypto, audivit linguam quam olim non norat. Ecqua illa fuit nisi vox Dei in monte ad populum emissa?

V. « Divertit ab oneribus dorsum ejus[2]. » Quasi dicat, ex oneribus. Dicit porro quod illos a sarcinis liberaverit, quas deferebant cum extruerent urbes Pharaonis. « Ma- » nus ejus in cophino servierunt. » Hoc ait quia lutum et paleas in cophinis ad opus deferebant.

VI. « In tribulatione invocasti me, et liberavi te[3]. » Simile est illi : « Quia audivi gemitus eorum et vocem eo- » rum audivi, et descendi ad liberandum eos. Exaudivi » te in abscondito tempestatis[4]. » Quasi dicat, ex magna et vehementissima te angustia liberavi. « Probavi te » apud aquam contradictionis. » Quando sitibundus populus ad Moysen diceret : « Da nobis aquam ut biba- » mus[5]; » respondit, « quid me conviciis oneratis et ten- » tatis Dominum? »

VII. « Audi populus meus[6]. » Populum cohortatur, ut curet esse obsequens illi. Nam si hoc faciat, nequaquam serviet alii Deo : neque erit ipsi Dominus in Deum recentem. Ipse namque est qui olim eos ex Ægypto redemit. » Dilata os tuum, et implebo illud. » Promittit obsequentibus carnales et spirituales cibos.

[1] Psal. LXXX, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Exod. II, 24. — [5] Ibid. XVII, 2. — [6] Psal. LXXX, 9, 10 et 11.

VIII. « Et non audivit populus meus vocem meam, » etc.[1] » Quia me hoc pollicente, ipsi surdi fuerunt; ideo repudiavi eos, dignasque de facinoribus eorum pœnas sumpsi.

IX. « Inimici Domini mentiti sunt ei, et erit tempus » eorum in sæcula[2]. » Quasi apertius diceret : quia populus mentitus est Domino, erit ei tempus supplicii, id est, tempus futuri sæculi.

X. « Et cibavit eos ex adipe frumenti[3]. » Illi, inquit, mentiti sunt ei : ipse vero, utpote bonus, replevit eos spirituali cibo : qui est ipse Dominus, panis vivus qui de cœlo descendit, et dat vitam mundo. « Et de petra melle » saturavit eos. » Petra est ipse Dominus; mel, ejus divina eloquia. Ait igitur, quod eos sanctis eloquiis suis repleverit.

PSALMUS *Asaph* LXXXI.

ARGUMENTUM.

Postquam in præcedenti psalmo de populi abjectione locutus est, hic quæ causæ sint quod a Deo abjectus fuerit clarius recenset.

I. « Deus stetit in synagoga deorum[4]. » Deos vocat principes Judæorum, qui filii Dei vocabantur. Stetit igitur in medio eorum Deus, in salutari suo adventu, ut judicaret eos, facinorum eorum convictionem afferens.

[1] Psal. LXXX, 12, 13, 14 et 15.—[2] Ibid. 16.—[3] Ibid. 17.—[4] Psal. LXXXI, 1.

II. « Usquequo judicatis iniquitatem? etc.[1] » Iniquitatem, qua erga populum usi sunt, in medium adducit.

III. « Moveantur omnia fundamenta terræ[2]. » Fundamenta terræ dicit principes sæculi hujus : qui ante Judæorum populum pœnas dederunt, a tyrannide qua nos opprimebant expulsi, per illud dictum : « Nunc princeps » huius mundi ejicietur foras[3]. » Exacti sunt a loco quod prius occupabant. Cum itaque prius illi compressi fuissent per crucem ejus : ac deinde abjectus sit Israël postquam Evangelium per totam terram prædicatum fuit, subjunxit : « Ego dixi dii estis[4]. Vos autem sicut homines » moriemini, et sicut unus de principibus cadetis[5]. » Et quibus principibus, nisi iis quos paulo ante significavit per commota fundamenta terræ?

PSALMUS LXXXII.

Canticum Psalmi Asaph[6].

ARGUMENTUM.

Precationem hic effundit ad Deum, rogans ut de arrogantia gentium, quæ cum Assyriis bellum gesserant adversus Jerusalem, sumat pœnas. Hæ autem gentes inferius in psalmo indicantur.

[1] Psal. LXXXI, 2, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Joan. XII, 31. — [4] Psal. LXXXI, 6. — [5] Ibid. 7. — [6] Psal. LXXXII, 1.

I. « Deus quis similis erit tibi ? ne taceas neque compes- » caris Deus[1]. » Nemo, inquit, tibi similis erit, immemor videlicet injuriarum, et æquanimiter tolerans iniquitates. Ego autem precor ut non taceas, super iniquis incursionibus inimicorum, quibus nos adoriuntur.

II. « Quoniam ecce inimici tui sonuerunt[2]. » Publicata, inquit, fuit eorum adversum nos iniquitas.

III. « Facti sunt in adjutorium filiis Lot[3]. » Qui superius memorati sunt auxilium et opem attulerunt filiis Lot. Filii autem Lot sunt Moabitæ et Ammonitæ. Hinc autem cognoscimus, dæmones sese mutuo provocare ad perniciem animæ, ut nos funditus perdant, et famosum illum Israëlem in oblivionem ducant. Deinde finitimos enumerat, a quibus evocati alii convenerunt.

IV. « Fac illis sicut Madian et Sisaræ etc. [4] » Sicut olim Madian, Sisara et Jabin insurgentes contra Israëlem disperierunt, alii in torrente Cisson, alii in Endor; eodem modo qui cum Assur nos adoriuntur easdem pœnas luant. Sisara dux exercitus erat : Jabin autem Rex Chanaan : qui in fugam vertuntur in torrente Cisson : de qua re in libro Judicum manu Barac et Deboræ mulieris Israëlitæ.

V. « Disperierunt in Endor [5]. » In indecenti loco. Endor enim, indecentiam significat. « Facti sunt ut stercus » terræ. » Insepulti enim jacentes dissoluti sunt, et quasi stercus, terræ admixti.

VI. « Pone principes eorum sicut Oreb [6]. » Paria Idumæis, Ismaëlitis, Moabitis, Agarenis et memoratis eorum sociis immitte mala in Oreb et in reliquos. Ipsi enim mali male perierunt.

VII. « Deus meus pone illos ut rotam [7]. » Id est, ne

[1] Psal. LXXXII, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 10. — [5] Ibid. 11. — [6] Ibid. 12. — [7] Ibid. 14.

maneant in eodem statu, sed in contrarium revolvantur. « Sicut stipulam ante faciem venti [1]. » Id est versatiles fient, ut est revera stipula spicæ. « Sicut ignis qui com» burit sylvam. » Fruantur, inquit, igne quem ipsi accenderunt, atque ipse ignis eos consumat : sicut et sensibilis ignis comburit sylvam. Simile est autem huic dicto : « Ecce vos omnes ignem accenditis, eatis ad lumen » ignis vestri, et flammæ quam accendistis [2]. Sicut » flamma comburens montes [3]. » Parabolicus est sermo. Quemadmodum, inquit, ignis decidens comburit montes; ita comburentur illi per supplicium a te inflictum, quod ob vehementiam et gravitatem, tempestati comparavit.

VIII. « Imple facies eorum ignominia [4]. » Lapsi enim optatis suis, et pudore repleti, agnoscent tuam potestatem. « Et quærent nomen tuum, Domine. » Id ait quia ex datis pœnis utilitatem percepturi sunt. Illud, « quæ» rent, » positum est pro, cognoscent.

PSALMUS LXXXIII.

In finem, pro torcularibus, filiis Core [5].

ARGUMENTUM.

Rursum pro Ecclesiis in hoc psalmo verba facit, et palam est ex eo quod pro torcularibus inscribatur.

I. « Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtu» tum [6]. » Tabernacula dicit sanctas Ecclesias Dei, per

[1] Psal. LXXXII, 15. — [2] Esai. L, 11. — [3] Psal. LXXXII, 16. — [4] Ibid. 17. — [5] Psal. LXXXIII, 1. — [6] Ibid. 2, 3.

diversa loca constructas, erga quas studio fertur religiosa anima. « Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum » vivum. » Perinde est ac si diceret : et corpore et anima me obtuli ad serviendum Deo viventi et vero. Illud autem, Deo viventi, ad discrimen idolorum dictum est : quæ mortua sunt et ex materia sensu carente fabrefacta.

II. « Etenim passer invenit sibi domum et turtur ni» dum sibi ubi ponat pullos suos. Altaria tua Domine [1].» Passer hominum animam adumbrat, cui venando insidiatur spiritualis venator, juxta id quod dictum est : « Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venan» tium [2]. » Turturem autem vocat animam quæ in castitate et temperantia versatur. Ait igitur omnem animam hoc inventuram perfugium, ingressum scilicet in altaria.

III. « Beati qui habitant in domo tua [3], » Spirituali videlicet.

IV. « Beatus vir cujus est auxilium abs te : ascensiones » in corde suo disposuit [4]. » Qui sibi, inquit, adjutorem ascripsit, bonas sibi cogitationes quotidie instituit, quas nunc ascensiones dixit, quia in ipsis est quasi ascensus a terrenis ad cœlestia. « In valle lacrymarum [5]. » Vallem lacrymarum mortalem vitam dicit. Ait igitur, in mortali vita replebis eos bonis cogitationibus, quotidie instituens illos [6]. Quæ sibi ex tuo patrocinio advenisse bona senserunt.

V. « Etenim benedictionem dabit Legislator : ibunt de » virtute in virtutem [7]. » Retributiones, inquit, bonarum cogitationum dabit illis legislator, id est, qui legem novi Testamenti dedit illis. Quæ autem fuerint illæ benedictiones, nisi quod de virtute in virtutem eant?

[1] Psal. LXXXIII, 4. — [2] Psal. CXXIII, 7. — [3] Ibid. LXXXIII, 5. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7.— [6] Locus vitiosus. — [7] Psal. LXXXIII, 8.

Id est ab hoc vitæ instituto secundum Deum acto, ad supernam Jerusalem, quo cum pervenerint videbunt Deum sicuti est.

VI. « Respice in faciem Christi tui[1]. » Christum hîc appellat populum vocatum ad regale sacerdotium.

VII. « Quia melior est dies una in atriis tuis super » millia[2]. » Dies una in atriis Domini, id est in Ecclesiis, diem resurrectionis Salvatoris significat. Millia vero, sive mille, ita enim legitur in Hebræorum scriptura, legalem cultum vocat, qui per mille annos perseveravit orsus a temporibus Salomonis, a quo fundatum est divinum templum usque ad adventum Salvatoris. Declarat igitur longe præstantiorem esse evangelicum quam legalem cultum. « Elegi abjectus esse in domo Dei mei etc. » Ac si diceret : Malo pusillus et vilis esse in Ecclesia, quam præpotens in populo peccatore. Hæc iis qui in Babylone erant utilia, et nobis congruentia sunt. Nam et illos edocebat gratia Spiritus, ut divinæ domus vastitatem ne despicerent : et nos erudimur ut Deo sacra templa semper exoptemus et diligamus.

VIII. « Dominus non privabit bonis eos qui ambulant » in innocentia[3]. » Nam qui hujusmodi affectum habent, his omnibus bonis fruuntur. Misericordia enim ex divinis templis oritur, atque largiter exhinc veritas suppeditatur. Istinc enim sanorum dogmatum doctrinam accipimus, et divinam gratiam ex sanctissimi Spiritus fontibus haurimus. Imo exinde præclari evadimus, et valde illustres : et ut uno verbo dicam, omni bonorum copia fruimur, et a malitia improbitateque liberamur : vitam eligentes in simplicitate et veritate agere.

[1] Psal. LXXXIII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12, 13.

PSALMUS LXXXIV.

In finem, filiis Core [1].

ARGUMENTUM.

Per hunc psalmum vocationem gentium significat, et remissionem ob suam ad Deum conversionem ipsis concessam. Ad hæc inducit Judaïcum populum qui post vocationem gentium peccata sua confitetur, et rogat ipse quoque ut per Christum misericordiam consequatur.

I. « Benedixisti, Domine, terram tuam [2]. » Et revera Deus et Pater benedixit, sive placuit ipsi omnia in Christo instaurare. « Avertisti captivitatem Jacob. » Nam cum Judæis primum prædicaverit, multos redemit a spirituali captivitate in quam abducti fuerant [3]. Hæc significavit Dominus post prophetiam Esaïæ, quæ sic habet : « Spiritus Domini super me, eo quod unxerit me, evan» gelizare pauperibus misit me, prædicare captivis re» missionem et cæcis restitutionem visus [4] : » dicens : « Hodie impleta est prophetia hæc in auribus vestris [5]. » Ipse enim est, qui nos a multorum deorum erroneo cultu et a dæmonum servitute liberavit, et catenas peccatorum solvit.

II. Utrumque hic Propheta prædicit, filiorum Israël ex

[1] Psal. LXXXIV, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Hæc dubia sunt. — [4] Esai LXI, 1. — [5] Luc. IV, 21.

Babylone reditum, et salutem mundi : ac duplici modo totum enarrat. Sensus autem est : Deo acceptum est cor bonum ac studiosum, quod ipsius terra est, quia recipit ejus semen, ac reddit fructum centuplum.

III. « Remisisti iniquitatem plebis tuæ [1]. » Quæ per fidem ad ipsum accessit, ait autem populum ex gentibus coactum, juxta illa a Zacharia Propheta dictum : « In illa » die confugient ad Dominum gentes multæ, et erunt » ipsi in populum [2]. »

IV. « Converte nos Deus salutaris noster [3]. » Deprecationem offert ex persona populi Judæorum, rogantium ut et ipsi gratiam consequantur.

V. « Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam [4]. » Cum Cyrus Persarum rex, juxta Esaïæ prophetiam, redeundi potestatem dedisset, festinant patriam repetere suam, et propterea Deum precantur, ut promptam ipsis pro clementia sua, salutem conferat. Citissime inquit, o Domine, tuam nobis bonitatem ostende, ut tuam salutem consequamur, et ex his locis commigrare possimus. Cum sic Propheta supplicationem quasi ex illorum persona offerat, Dei responsum accipit et ait : « Audiam » quid loquatur in me Dominus Deus. » Cum finem supplicandi fecisset Propheta, responsum a Spiritu cum silentio excipit.

VI. « Verumtamem prope timentes eum salutare ip- » sius [6]. » Excipiens Propheta responsum quod auditurus erat a Deo de genere suo ; illud norat, quod paratus sit omnibus prope adesse, si ejus timorem amplexi fuerint : continget autem iis qui Dei timorem amplexi fuerint, quod in gloria inhabitent. « Ut inhabitet gloria in terra nostra. » His significat œconomiam Unigeniti cum carne. Facta

[1] Psal. LXXXIV, 3. — [2] Zach. II, 11. — [3] Psal. LXXXIV, 5. — [4] Ibid. 8. — [5] Ibid. 9. — [6] Ibid. 10.

quippe nobis est a Deo et Patre justitia et pax et misericordia et veritas. Nosque miseratus docuit veritatem ; imo et justos reddidit nos, « pacificans omnia in seipso » quæ in cœlo et quæ in terra [1].

VII. « Misericordia et veritas obviaverunt sibi [2]. » Veritatem quæ per Deiparam et semper Virginem mundo exorta est aperte prædicat. Ipse namque est veritas, etiamsi ex muliere natus sit. « Justitia » enim « et pax » vere « osculatæ sunt, » per veritatem illam ex semper Virgine Deipara mundo orientem.

VIII. « Et justitia de cœlo prospexit [3]. » Simile est id quod ad Virginem dictum fuit : « Spiritus sanctus superveniet in te etc [4]. »

IX. « Etenim Dominus dabit benignitatem [5]. » Cum, inquit, ob summam benignitatem, eos qui in terra sunt illuminaverit Dominus; tunc et nos qui terra sumus spiritualis, spirituales justitiæ fructus dabimus.

X. « Justitia ante eum ambulabit [6]. » Cum dixisset spiritualem terram daturam esse fructum suum, jam docet quo pacto datura sit. Quomodo dabit, nisi cum justitia præambulans, gressus ejus qui operatur bonum et incedit in via quæ sursum tendit, in ipsa via direxerit?

[1] Coloss. I, 20. — [2] Psal. LXXXIV, 11. — [3] Ibid. 12. — [4] Luc. I, 34. — [5] Psal. LXXXIV, 13. — [6] Ibid. 14.

PSALMUS LXXXV.

Oratio ipsi David.

ARGUMENTUM.

Cum per spiritum illuminatus nosset beatus David quæ adventum Unigeniti spectabant, atque futuram omnibus qui ad eum confugerent peccatorum remissionem, jure orationem offert, rogans ut ipse unus esse deprehendatur eorum qui per gratiam salutem consequuntur.

I. « Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me [1]. » Opportuna sane via ut quis exaudiatur, est humilitas. « Quoniam inops et pauper sum ego. » Humilitatis est procemium in oratione. Nam justitiæ ambo divitias possidentes David atque Ezechias, ad eas non respiciebant, sed naturæ inopiam spectabant, et Deo supplicabant, ut eam paupertate affectam miseraretur. Illud autem : « Inclina Domine aurem tuam, » ex metaphora positum est, quasi ex infirmitate non possit altius clamare, et medicum cogat ut aures ori admoveat.

II. « Custodi animam meam quoniam sanctus sum [2]. » Ob bona opera quæ edidit postulat exaudiri se. « Salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem in te. » Postquam se sanctum esse dixit, ad humilitatem rursum

[1] Psal. LXXXV, 1. — [2] Ibid. 2.

sermonem convertit, servum sese Domino ascribens, atque spem salutis in illum tantum habere se testificatus.

III. « Miserere mei, Domine, quoniam ad te cla- » mabo [1]. » Docemur hisce, eum qui a Deo quidpiam boni accipere voluerit, debere incessanter in precibus versari.

IV. « Quoniam tu, Domine, suavis et mitis [2]. » Docet eos qui ad Deum accedunt, ut ne anxii sint, si dona tantisper differat. Erit quippe illis propitius, utpote qui mansuetus sit et dives in misericordia.

V. « Non est similis tui in diis, Domine [3]. » Deos vocat sanctos Prophetas ad quos sermo Domini factus. Ait autem neminem Prophetarum potuisse liberare homines a peccato, nisi solum Dominum, juxta id quod alibi dictum est : « Non legatus, non Angelus, sed ipse Domi- » nus salvavit nos. »

VI. « Lætetur cor meum ut timeat nomen tuum [4]. » Qui pietate erga Deum instructus est, legitimum vitæ institutum amplectitur. Hujusmodi autem vita mater est lætitiæ. Merito itaque Propheta divino timore cor suum lætificari posse putavit. Ita enim alibi quoque ait [5]: « Lætetur cor » quærentium Dominum [7], » et iterum : « Memor fui Dei » et delectatus sum [6]. »

VII. « Confitebor tibi, Domine Deus meus in toto corde » meo [7]. » Mutata repente oratione in confessionem, eo quod liberatus fuerit ab inferno; causam enuntiat cur peccaverit, insidias multorum atque potentium commemorans, iisque adumbrans invisibiles potestates, quæ Deum ante oculos non constituunt. Tu autem, Domine, ait, concessisti ea quæ minime illi expectabant, tua clementia liberans animam meam ex inferno inferiori. Hæc

[1] Psal. LXXXV, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 11. — [5] Psal. CIV, 3. — [6] Psal. LXXVI, 2. — [7] Psal. LXXXV, 12.

autem dicit Christus, astantibus regibus terræ, et principibus coactis in unum contra ipsum.

VIII. « Quia misericordia tua magna est super me [1]. » Quasi jam consecutus quod precibus postulavit, magnam Dei misericordiam se in sæcula laudaturum ait : quia eorum animas de manu inferi liberavit.

IX. « Deus, iniqui insurrexerunt super me [2]. » His ostendit se in peccatum illud delapsum fuisse. Quomodo autem, nisi quia Synagoga quædam malignorum spirituum insurrexit, et supplantavit eum ne virtutis cursum teneret?

X. « Et tu Domine Deus meus, miserator et miseri» cors etc [3]. » Etiamsi, inquit, insurgentibus in me malignis spiritibus, in peccatum dejectus sum, ac per illud in infernum illum inferiorem [4]. Sed tu ipse, Domine, tuas illas miserationes in me effundens liberasti animam meam ; quare rursum misericordiam postulo. Veniet autem mihi misericordia, cum me respicias.

XI. « Fac mecum signum in bonum [5]. » Sicut olim in Ægypto filiis Israël signum dedit Dominus, ut non læderentur ab exterminatore; ita et sibi signum dari rogat, ut per illud servetur, et inimicos confundat.

[1] Psal. LXXXV, 13. — [2] Ibid. 14. — [3] Ibid. 15. — [4] Ibid. 16. — [5] Ibid. 17.

PSALMUS LXXXVI.

Filiis Core Psalm. Cantici.

ARGUMENTUM.

Hunc rursus psalmum canunt filii Core in Ecclesiæ gratiam, vocationem gentium prædicantes, et illustrationem Unigeniti in Ecclesia futuram per œconomiam carnis.

I. « Fundamenta ejus in montibus sanctis [1]. » Ejus scilicet populi qui per fidem vocatus est. Ait autem ex gentibus ædificatum fuisse populum super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.

II. « Diligit Dominus portas Sion super omnia taberna- » cula Jacob [2]. » Portas Sion initialem et elementarem Ecclesiæ doctrinam dicit. Tabernacula autem Jacob legalem cultum. Ait igitur optabilius apud Deum esse evangelicum institutum legali cultu.

III. « Gloriosa dicta sunt de te civitas Dei [3]. » Civitas est Ecclesia. Quænam gloriosa dicta sunt de illa, nisi quod in ea habitet Unigenitus, juxta dictum illud : « Hic habitabo quoniam elegi eam [4] ? »

IV. « Memor ero Rahab et Babylonis [5]. » Eorum qui ad me convertuntur ait, memoriam ad bonum conservabo :

[1] Psal. lxxxvi, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. cxxxi, 14. — [5] Ibid. lxxxvi, 4.

aut eorum qui indecenter ad voluptatem declinarunt, sive eorum qui idololatriæ valde addicti fuere. Hæc enim nobis significavit per Rahab et Babylonem. « Ecce alie- » nigenæ et Tyrus et populus Æthiopum. » Palam his verbis edocemur ex omnibus gentibus Ecclesiam constare.

V. « Mater Sion dicet: Homo et homo natus est in ea[1]. » Matrem dicit, manifestum autem est nos qui credimus id Sioni sive Ecclesiæ ascripturos, in qua est homo, sive is ipse qui fundavit eam. Hic autem est qui pro nobis homo factus est, et qui pollicitus est se supra petram ædificaturum Ecclesiam.

VI. « Dominus narrabit in scripturis populorum et » principum[2]. » Populorum, inquit, et principum qui in ipsa Ecclesia erunt scripturam Dominus enarrabit. Et qua ratione illud, nisi quia descriptionem illam in cœlis factam, illis ipse narrabit dicens: « Gaudete quia nomina » vestra scripta sunt in cœlis[3] ? »

VII. « Sicut lætantium omnium habitatio est in te[4]. » Quando, ait, qui in Ecclesia sunt habitatio in te fuerit, tunc lætitia pleni erunt.

[1] Psal. LXXXVI, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Luc. X, 20. — [4] Psal. LXXXVI, 7.

PSALMUS LXXXVII.

Canticum Psalmi. In finem pro Maheleth ad respondendum, intellectus [1] Etham Israëlitæ [2].

ARGUMENTUM.

In hoc psalmo Christi mors, quam pro nobis suscepit, memoratur : ut postquam spiritibus qui in inferno erant prædicasset, daret resurrectionem. Deflet autem Jerusalem, utpote quæ excidisset a spe in ipsum. Ipsa autem Jerusalem sive populus, olim ceu quidam chorus erat, secundum quod portio et sors ejus nuncupabatur; quamobrem pro Maheleth inscriptus est psalmus, q. d. choreæ sive chori. Quoniam autem profundum est Christi mysterium, valde subtili et spirituali mente opus est ad illud intelligendum; quare intellectus, *inscribitur. Dicitur autem psalmus Æman esse, in Ægypto a Moyse factus. Hic autem Æman nepos erat Israëlis, utpote qui descenderet ex Zara, qui erat filius Judæ filii Israëlis.*

I. « Domine Deus salutis meæ in die clamavi [3]. » Utpote bonus, cum videret populi lapsum et discipuli perniciem, preces pro iis effudit ad Patrem; ut improbitatis minime participes, salutem et ipsi per eum nanciscerentur.

[1] Vulgata cum Hebræo, Etham Ezrahitæ.—[2] Psal. LXXXVII, 1.—[3] Ibid. 2.

II. « Quia repleta est malis anima mea [1]. » Tametsi ipse peccata nostra pertulit, et pro nobis dolet, jure se malis repletum ait. « Et vita mea inferno appropinquavit. » Hoc ait quia per gratiam Dei pro universo mundo gustavit mortem.

III. « Factus sum sicut homo sine adjutorio inter mor- » tuos liber [2]. » Solus Jesus et mortuus est pro iniquitatibus populi ductus ad mortem, juxta Esaïæ vocem : et mortuus cum esset solus erat liber. Neque enim peccatum habebat quod ipsum morti faceret obnoxium. Quapropter dixit : « Potestatem habeo ponendi animam meam, et » iterum potestatem habeo sumendi eam [3]. »

IV. « Sicut vulnerati dormientes in sepulcris [4]. » Similis, inquit, factus sum hominibus vulneratis et jacentibus in sepulcris, qui cum tuum auxilium non accepissent, non acceperunt resurrectionem. Ego autem vulneratus sum, inquit, propter peccata populi, et in sepulcris fui, sed non ibi remansi; quia et post vulnerationem, et post depositionem in sepulcro, mei meministi. Resurrexi enim calcata morte.

V. « Super me confirmatus est furor tuus [5]. » Furorem Dei vocat maledictionem mortis, hominum generi illatam. Quia igitur maledictio pro nobis factus est, ideo furorem Dei super se confirmatum dicit.

VI. « Et omnes fluctus tuos induxisti super me [3]. » Fluctus sive elationes vocat, vehementem pœnam hominibus prævaricationis causa inflictam. Significat item mortem.

VII. « Longe fecisti notos meos a me [6]. » Hoc ait quia tempore passionis omnes reliquerunt eum. « Posuerunt » me abominationem sibi. » Vide quomodo etiam num Judæi Christi nomen execrentur. « Traditus sum et non

[1] Psal. LXXXVII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Joan. X, 18. — [4] Psal. LXXXVII, 6. — [5] Ibid. 8. — [6] Ibid. 9.

» egrediebar. » Hoc ait quia conclusus fuit in domo principis Synagogæ.

VIII. « Oculi mei languerunt præ inopia [1]. » Flebam, inquit, pro populo cernens eos a divitiis, quæ secundum Deum sunt, ad extremam paupertatem delapsos.

IX. « Clamavi ad te, Domine, tota die [2]. » Unum nobis exitum ut a malis liberemur præbeto tuam, Domine, providentiam. Nam semper manus extendens te deprecor. Hic porro habitus acerbum animi dolorem indicat. Necessitate quippe coactus quilibet homo, ferventius ei supplicat qui id tribuere potest.

X. « Numquid mortuis facies mirabilia [3]? Medici sus» citabunt. » Nos edocet quæ causa sit quod mortis tempore descenderit, tantum non ita loquens : quoniam, inquit, neque mortui possunt mirabilia facere, neque medici suscitare ut confiteantur tibi : neque ii qui in pernicie erant nosse poterant veritatem tuam. Hujus rei gratia, o Pater, reputatus sum cum iis qui sunt in inferno; ut suscitati ii qui sunt in terra oblivionis, mirabilium tuorum experimentum accipiant, et qui olim in tenebris erant enarrent veritatem tuam.

XI. « Numquid narrabit aliquis in sepulcro misericor» diam tuam [4]? » Num potest, inquit, fieri ut mortui in pulverem redacti qui in umbra mortis degunt, et oblivioni traditi sunt, tuæ sint clementiæ participes, et tuorum mirabilium speculatores.

XII. « Numquid cognoscentur in tenebris mirabilia » tua [5]? » Quemadmodum apud eos qui perierunt non est veritas; ita apud eos qui in tenebris sunt, non sunt mirabilia. Terra oblivionis, est anima rationalis fructibus Spiritus sancti privata.

[1] Psal. LXXXVII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12. — [4] Ibid. 13. — [5] Ibid. 14.

XIII. « Ut quid, Domine, repellis orationem meam, » avertis faciem tuam a me[1]. » Ille quidem pro populo precabatur, ipsi vero ob ingentem malitiam sese salute indignos reddunt; ita ut ejus orationem pro ipsis oblatam quasi inutilem efficiant.

XIV. « Pauper sum ego et in laboribus a juventute » mea[2]. » Pauper quidem quia servi formam accepit; in laboribus autem a juventute, quia ab ipsis incunabulis, Herodis et similium ipsi hominum insidiis appetitus est: « Exaltatus autem humiliatus sum et conturbatus[3]. » Exaltationem dicit sive ascensum ad crucem, juxta id quod ab illo dictum est : Cum exaltaveritis filium hominis. Illud autem, « humiliatus sum, » de suo in infernum descensu ait.

XV. « In me transierunt iræ tuæ etc.[4] » Omnem iram, inquit, adversum me excitasti; et terribilissimis me suppliciis conturbasti, iisque ceu aquis me demersisti.

XVI. « Elongasti a me amicum et proximum, et notos » meos a miseria[5]. » Miseriam vocat passionis tempus. Ait igitur tempore passionis, amicos et notos reliquisse ipsum. Ac quoniam factus est Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; in cruce autem relictus est a Discipulis, ideo Patrem suum elongasse amicos et notos dicit.

[1] Psal. LXXXVII, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Joan. VIII, 28. — [4] Psal. LXXXVII, 17, 18. — [5] Ibid. 19.

PSALMUS LXXXVIII.

Psalmus intellectus Æthan[1] Israëlitæ[2].

ARGUMENTUM.

In præsentibus Christi ex semine David generationem, et ejus regnum, vaticinatur, insuperque salutarem passionem quam pro nobis sustinuit. Intellectus autem inscriptus est, quia spirituali mente opus est maxime ad intelligendam mysteriorum ejus profunditatem. De Æman autem, quod et ipse Propheta fuerit, in præcedentibus jam enarratum est.

I. « Misericordias tuas, Domine, in æternum cantabo[3]. » Et quas misericordias Domini? quasnam erga nos effecit, quas cantare debeamus? Nimirum quod principatus et potestates de medio sustulerit, et ipsum diaboli imperium : nosque liberaverit a peccato et morte. « In generationem et generationem annuntiabo veritatem tuam in ore meo. » Veritas Patris est Filius, quem sancti in generationem et generationem in ore gestant : sermo enim quasi ab Apostolico choro procedit.

II. « Quoniam dixisti : In æternum misericordia ædificabitur[4]. » Tu, inquit, o Domine, dignatus es polliceri, in æternum misericordiam magnam et mirabilem

[1] Vulgata cum Hebræo : Etham Ezrahitæ.—[2] Psal. LXXXVIII, 1.—[3] Ibid. 2. — [4] Ibid. 3.

assidue ædificandam in cœlis, id est, præparandam, sive excitandam. Nam quod ædificatur quodam modo excitatur et erigitur. Est autem illud salus et gratia per Christum data. Misericordia quidem Dei homines ædificat; veritas autem præparat sanctas virtutes. « Præparabitur » veritas tua. » Quemadmodum salus Christi misericordia et gratia vocatur, ita quoque vocatur veritas, quæ usque ad cœlos, ait, excitata est per sanguinem; sive in terra sive in cœlo.

III. « Disposui testamentum electis meis [1]. » Abrahamo, inquit, et Jacobo: iis enim promissiones de Christo dedit, juxta id quod dictum est: « Et benedicentur in » semine tuo omnes tribus terræ. Juravi David servo » meo [2]. » Et ubinam juravit, nisi cum diceret illi: « Et » erit postquam impleti fuerint dies tui, et dormieris » cum patribus tuis; exurget de semine tuo alius, qui » erit ex ventre tuo. Et præparabo in æternum regnum » ejus. Ipse ædificabit domum nomini meo. Et erigam » regnum ejus in sæculum. Ego ero illi in patrem, et » ipse erit mihi in filium [3]. »

IV. « Confitebuntur cœli mirabilia tua [4]. » Hoc ait ob Christum natum, et quod Angeli pastoribus annuntiaverint dicentes: « Quia natus est nobis hodie Christus Do» minus in civitate David [5]. » Et quod alterius cœlestis exercitus multitudo visa fuerit dicentium: « Gloria in » excelsis Deo, et in terra pax [6]. »

V. « Quoniam quis in nubibus æquabitur Domino [7]. » Etiamsi, inquit, unigenitus factus sit homo, et demisit se ad voluntariam evacuationem, atque accepit servi formam: atqui etiam sic, est incomparabilis, et omnes etiam cœlestes virtutes antecellit. Illæ namque domesti-

[1] Psal. LXXXVIII, 4. — [2] Gen. XXII, 18. — [3] Paral. XVII, 11. — [4] Psal. LXXXVIII, 5. — [5] Luc. II, 11. — [6] Ibid. 14. — [7] Psal. LXXXVIII, 7.

cum et ministerialem habent ordinem ; Dominus autem, universorum est dominator. Imo vero neque « in filiis Dei » quispiam similis ei est. Et hoc ipsi testificantur dicentes : « Ex plenitudine ejus nos omnes accepimus[1]. » Et ille quidem dat utpote Deus, hi vero ejus donis divites sunt.

VI. « Deus qui glorificatur in consilio sanctorum, mag» nus et terribilis[2]. » Quemadmodum imprudentes scandalizantur videntes eum in servi forma, audientesque tamen eum dicentem « Ego sum veritas[3] : » et « Antequam » Abraham fieret ego sum[4]; » contra sancti glorificant eum, magnumque ac terribilem vocant. Quod hinc palam est, quod Petrus ceu ex omnium ore clamet : « Tu es » Christus filius Dei vivi[5]. » Omnesque rursum : « Vere » filius Dei es. » Quando mare et ventos increpavit.

VII. « Potens es Domine et veritas tua in circuitu tuo[6]. » Tu dominaris potestasti maris[7]. » Declaratur eum qui in forma servi est, eumdem ipsum esse qui humidam substantiam produxit; atque eumdem ipsum esse qui posuit arenam in terminum maris, et dixit ei : « Huc usque » venies, nec pertransibis[8]. » Hoc autem verum esse commonstravit quando increpavit mare et ventos, cum navigaret una cum Discipulis. « Motum autem fluctuum ejus » tu mitigas, tu humiliasti sicut vulneratum super» bum. » Ipse namque est qui ligavit fortem et superbum, et suis « dedit potestatem calcandi super serpentes » et scorpiones, et super omnem virtutem inimici[9]. »

VIII. « Tui sunt cœli et tua est terra[10]. » Sicut maris est Dominus, ita et cœlorum et universæ terræ conditor. « Orbem terræ et plenitudinem ejus tu fundasti. Aquilo» nem et mare tu creasti. Thabor et Hermon[11]. » Hisce

[1] Joan. I, 16. — [2] Psal. LXXXVIII, 8. — [3] Joan. XIV, 6. — [4] Ibid. VIII, 58. — [5] Matth. XVI, 16. — [6] Psal. LXXXVIII, 9. — [7] Ibid. 10. — [8] Job. XXXVIII, 11. — [9] Luc. XIX, 19. — [10] Psal. LXXXVIII, 12. — [11] Ibid. 13.

verbis quatuor terræ partes significat, per aquilonem, septentrionales regiones : per mare, occidentales. Mare namque scriptura vocat occidentem : per montem Hermon, meridiem; per Thabor, orientem.

IX. « Tuum brachium cum potentia etc.[1] » Tuum, inquit, Domine, brachium omnibus ostendatur cum potentia. Etiamsi enim homo factus sit, et similis nobis apparuerit; at perspicua fuit magnitudinis ejus præstantia. Atque id sibi vult illud : « Firmetur manus tua, exaltetur » dextera tua. »

X. « Beatus populus qui scit jubilationem[2]. » Postquam prædicavit incarnationem Unigeniti, jure beatos prædicat eos qui hoc mysterium edidicerint. Hoc autem est victoriæ carmina ipsi canere. Jubilatio enim est canticum de prostratis inimicis editum. Pro nobis enim pugnam commisit ac devicit adversarias potestates. « Domine in » lumine vultus tui ambulabunt, et in nomine tuo exul- » tabunt[3].» Sanctos Apostolos suos beatos prædicat, quia nomine et virtute ejus stupenda illa opera edebant.

XI. « Et in beneplacito tuo exaltabitur cornu nos- » trum[4]. » Cornu dicit gloriam. Dicit igitur quasi Patrem alloquens : Quoniam tibi placuit mittere Unigenitum; ideo gloria nostra excitata est. « Glorificati enim sumus » conresuscitati cum Christo, et regnantes cum illo[5]. »

XII. « Tunc locutus es in visione filiis tuis[6]. » Tunc, sive olim, ait, per visiones propheticas, filiis tuis, iis scilicet qui ad filiorum Dei adoptionem et dignitatem vocati sunt, locutus es. Quid autem locutus es nisi illud : « Posui adjutorium in potente ? » Perinde autem est ac si diceret : Dedi auxilium in potente infirmis et a Satanæ tyrannide oppressis, ut confugerent ad potentem. Potens

[1] Psal. LXXXVIII, 14.— [2] Ibid. 16.— [3] Ibid. 17.— [4] Ibid. 18. — [5] Ephes. II, 6. — [6] Psal. LXXXVIII, 20.

autem ille, quem dedit nobis Pater ad auxilium, Christus omnino est: nam est Dominus virtutum. « Exaltavi electum de plebe mea. Inveni David servum meum. » Intellige Christum ex semine David, qui electus vocatus est, « propter quod et Deus exaltavit illum[1]. » Iterumque vocat illum Davidem quatenus ex semine David erat; servum item, qui in forma servi apparuit. « Oleo » sancto meo unxi eum. » Cum Verbum esset Deus, natus est secundum carnem ex muliere, et homo prodiit, manens Deus ut erat: tunc judicium per te accipiens nuncupatus est Christus. Nam cum Verbum esset Deus et rex ante sæcula, quæ nostra erant sibi propria effecit, ut nos iis quæ ipsi propria erant divites essemus.

XIII. « Manus enim mea auxiliabitur ei[2]. » Ait Salvator: « Opera quæ dedit mihi Pater ut faciam, ipsa opera » testificantur de me, quia ipse misit me[3]. » Et iterum: « A me ipso nihil loquor. Pater autem in memanens ipse » facit opera[4]. » Et hoc ipsum est quod nunc Pater de illo dicit: « Manus enim mea auxiliabitur ei, et brachium » meum confortabit eum. »

XIV. « Nihil proficiet inimicus in eo[5]. » Etiamsi dixerint: « Venite, occidamus eum, et habeamus nobis hæreditatem ejus[6]. » Sed hujusmodi consilium tam Satanæ quam Judæis inutile erat, et frustra cessit illis facinus. Resurrexit quippe Salvator tertia die, postquam mortem conculcasset et spoliasset infernum: et ascendit ad Patrem et Deum qui est in cœlis: estque in dextera throni magnitudinis in excelsis, omnibus imperans cum genitore suo. Verum itaque est quod dicitur: « Nihil proficiet » inimicus in eo. »

XV. « Et concidam a facie ipsius inimicos ejus[7]. » Tra-

[1] Philip. II, 9. — [2] Psal. LXXXVIII, 22. — [3] Joan. V, 36. — [4] Ibid. XIV, 10. — [5] Psal. LXXXVIII, 23. — [6] Matth. XXI, 38. — [7] Psal. LXXXVIII, 24.

diti namque sunt Romanorum exercitui, et funditus perierunt.

XVI. « Et veritas mea et misericordia mea cum ipso [1]. » Veritatem dicit cultum in spiritu et veritate, quem induxit nobis Christus, juxta id quod dictum est ad Samaritanam mulierem : « Spiritus est Deus, et qui adorant » eum in spiritu et veritate oportet adorare [2]. » Misericordiam vero non per alium nobis contulit Deus quam per unigenitum filium suum. Per ipsum enim solum et adorationem in spiritu et veritate edidicimus, et misericordiam consecuti sumus, deleta morte et corruptione de medio sublata. « Et in nomine meo exaltabitur cornu » ejus. » Nominibus enim quæ maxime Patri conveniunt, ipse quoque Filius ornatur : exempli causa dico : Deus verus est Pater ; idipsum est Filius : ipse namque est veritas et vita : secundum naturam Pater est et vocatur, illud item est Filius [3] : ipse namque ait : « Ego sum resurrectio » et vita. » Hoc dicebat ille ad Patrem ; « omnia mea tua » sunt, et tua mea sunt. »

XVII. « Et ponam in mari manum ejus [4]. » Mare, uti supra diximus, occidentalem regionem vocat : flumina vero Mesopotamiam sive orientem nuncupat. Ait itaque per omnem terram ejus opus extensum iri. « Et in fluminibus » dexteram ejus. » In mari ponitur manus Christi, in fluminibus autem dextera ejus. Verum si velit, mare efficitur flumen : et contra flumen si alvei sui aquam retineat, aquæ vivæ mare efficitur.

XVIII. « Ipse invocabit me : Pater meus es tu, Deus » meus [5]. » Hoc loco qui incarnatus est per œconomiam Deum vocat Patrem suum dicens : « Vado ad Patrem meum » et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum [6]. »

[1] Psal, LXXXVIII, 25. — [2] Joan. IV, 24. — [3] Hic deficit contextus. — [4] Psal. LXXXVIII, 26. — [5] Ibid. 27. — [6] Joan. XX, 17.

Nam Propheta de illo loquitur, cum de puero nato prænuntians, Deum fortem vocavit illum, patrem futuri sæculi.

XIX. « In æternum servabo illi misericordiam meam » et testamentum meum [1]. » Ipsi scilicet populo qui per eum credidit. Misericordiam autem vocat remissionem quæ per fidem obtinetur. Testamentum vero novum ait, quod fidele dicit, scilicet firmum securum et manens. Nam primum illud testamentum ob infirmitatem et inutilitatem suam desiit. Nihil enim ad perfectum deduxit lex.

XX. « Et ponam in sæculum sæculi semen ejus [2]. » Nunquam cessabit enim Christianorum nomen, et virtus evangelici cultus; imo potius perpetua erit et interminabilis.

XXI. « Semel juravi in sancto meo si David men- » tiar [3]. » Simile est ei quod alio loco dicitur : « Juravit » Dominus David veritatem et non frustrabitur. Semen » ejus in æternum manebit [4]. » Semen Davidis Christum dicit, qui secundum carnem ex semine David natus est. Qui et in æternum manebit. Non potest quippe fieri eum qui Deus sit, et vere Dei Filius, non omni modo ac ratione æternum esse.

XXII. « Et thronus ejus sicut sol in conspectu meo [5]. » Thronum Christi intellige Ecclesiam : in illa quippe requiescit. Erit igitur, inquit, Ecclesia Christi fulgens et illuminans orbem, manensque in æternum sicut sol et luna. Nam dictum illud ita se habet : « Et thronus ejus » sicut sol in conspectu meo, et sicut luna perfecta in » æternum et testis in cœlo fidelis. »

XXIII. « Tu vero repulisti et despexisti, distulisti » Christum tuum [6]. » Quæ in veneranda cruce contigerunt, beati Prophetæ annuntiant. Dicunt itaque Patri et Deo :

[1] Psal. LXXXVIII, 29. — [2] Ibid. 30. — [3] Ibid. 36, 37. — [4] Ibid. CXXXI, 11. — [5] Ibid. LXXXVIII, 38. — [6] Ibid. 39.

promisisti in æternum permansurum semen David, et thronum ejus sicut solem et lunam futurum : Sed « repu- » listi et despexisti, distulisti Christum tuum. » Illud autem, « repulisti et despexisti, » significat, repelli et despici concessisti. Neque enim Pater repulit et despexit proprium filium; sed Judæi potius illud egerunt : at secundum permissionem Dei et Patris. Atque illud est quod dicitur : « Qui proprio filio non pepercit; sed pro » nobis tradidit illud [1]. »

XXIV. « Evertisti testamentum servi tui [2]. » Distulisti, inquit, implere promissiones quæ illum spectabant : interea enim ille passus est. Quo pacto autem distulerit, ita declarat : « Evertisti, » inquit, « testamentum servi » tui. » Promiseras enim eum in æternum mansurum. Et hoc ipsum fuit testamentum tuum de illo. Verum Judæi crucifixerunt eum, et reputatus est cum mortuis. Passus est inquit, et crucifixus est. Itaque « evertisti » testamentum servi tui. Profanasti in terra sanctuarium » ejus. » Projecisti, ait, in terram gloriam ejus : nam ubi venit ad passionem, vilis homo ab iniquis Judæis æstimatus est. Sed non remansit mortuus, qui inter mortuos liber fuit, juxta Prophetæ vocem : neque infamiam ullam conspersit ipsi passio ejus, imo vero gloriam potius accepit, quia prostravit eum qui imperium habebat mortis, id est, diabolum, et liberavit hominum genus. Cæterum ea quæ tunc acciderunt annuntiant Prophetæ.

XXV. « Destruxisti omnes sepes ejus [3]. » Sepes et præsidia sanctos Apostolos dicit, qui illo derelicto, fugerunt omnes metu perculsi; ac propterea dicit : « Po- » suisti præsidia ejus formidinem. »

XXVI. « Diripuerunt eum.... Lætificasti omnes inimicos

[1] Rom. VIII, 32. — [2] Psal. LXXXVIII, 40. — [3] Ibid. 41.

» ejus[1]. » Gaudebant enim et movebant capita sua, videntes eum in ligno pendentem.

XXVII. « Avertisti adjutorium gladii ejus[2]. » Quoniam eos qui unigenitum Dei et Patris filium crucifixerunt, extremo supplicio dignos, non statim ultus est; sed per summam clementiam tempus pœnitentiæ per baptismum dedit illis; ideo dicit avertisse adjutorium gladii ejus : illud autem, « avertisti, » accipitur pro, retinuisti.

XXVIII. « Destruxisti eum ab emundatione[3]. » Illud, « destruxisti, » pro, dejecisti positum est, id est, providisti ut crederetur purus. Nam putabant malum esse, et quasi peccator damnatus est, « et inter iniquos reputa» tus. Thronum ejus in terram collisisti[4]. » Quia carnaliter passus est, et factus est inter mortuos liber, rati qui crucifixerunt eum, oppressum fuisse per passionem, ac omnino finem existendi fecisse nec ultra nominandum fore; ideo Propheta, eorum qui crucifixerunt existimationem interpretatur dicens : « Thronum ejus in terram » collisisti. »

XXIX. « Usquequo, Domine, avertis in finem, exar» descet sicut ignis ira tua[5]? » Id est : usquequo Judæorum ausus prævalebunt, qui curant ut unigenitus et Salvator noster crucifigatur. Symmachus autem : « Usquequo, » Domine, absconderis in finem, exardescet ut ignis fu» ror tuus. » Usquequo, inquit, Domine, non vis respicere dolores nostros, neque appares et eruis nos a calamitatibus; sed quasi ignis iram tuam per peccatorum nostrorum memoriam accendis.

XXX. « Memorare quæ mea substantia[6]. » In incorruptione, inquit, hominem fecisti, et ad imaginem tuam formasti eum; sed fraude circumventus in corruptionem

[1] Psal. LXXXVIII, 42, 43. — [2] Ibid. 44. — [3] Ibid. 45. — [4] Esai. LIII, 12. — [5] Psal. LXXXVIII, 47. — [6] Ibid. 48.

decidit. Itaque dato illi incorruptionem, ut salutem consequatur, in quem finem opus illud effectum est.

XXXI. « Quis est homo qui vivet et non videbit mor» tem [1] ? » Nemo, inquit, aut morte superior erit, aut « redimet animam suam de manu inferi, » nisi tu, inquit, Domine, resurrectionem concesseris.

XXXII. « Ubi sunt misericordiæ tuæ antiquæ, Do» mine[2] ? » Antiquas Dei misericordias vocat, renovationem illam in incorruptionem, ante mundi constitutionem definitam.

XXXIII. « Memor esto, Domine, opprobrii servorum » tuorum[3]. » Quia mihi, Domine, « exprobraverunt inimi» ci tui, » dicentes falsas esse promissiones gentibus datas quæ me spectabant. Erant autem illæ hujusmodi, quod scilicet salutem consecuturæ essent, et liberandæ a morte et a peccato. Exprobraverunt autem, mortem meam respicientes : et vanas esse promissiones illas declararunt. Ideo rogo te, ut memor sis : nam, inquit, « exprobrave» runt commutationem Christi tui [4]. » Commutatio autem ejus, videtur esse mors et sanguis ipsius, qui datus est in pretium pro mundi salute. Ejusmodi pretium illi exprobraverunt, suspicati eum sub mortis imperio fuisse. Sed non remansit in ea qui est inter mortuos liber : sed potius tertia die resurrexit. Quare totum obsignat psalmus in hæc verba desinendo : « Benedictus Dominus » in æternum, fiat [5]. » Quasi videlicet ille jam resurrexerit et ascenderit in cœlos, et benedictus fuerit, id est, confessione celebratus fuerit in sæcula cum Patre suo.

[1] Psal. LXXXVIII, 49. — [2] Ibid. 50. — [3] Ibid. 51. — [4] Ibid. 52. — [5] Ibid. 53.

PSALMUS LXXXIX.

Oratio Moysis hominis Dei [1].

ARGUMENTUM.

Hanc, ait, orationem in arcanis descripsisse Moysen : ut qui consequentibus temporibus futuri erant nossent, quomodo oporteret confiteri delapsos in calamitates, quæ ipsis in extremis temporibus acciderunt, postquam Domino inobsequentes fuerunt illumque occiderunt. Ut ne autem per temporis diuturnitatem oblivioni traderetur, psalmis inserta fuit, et jure post psalmum octogesimum octavum qui passionem Domini significat.

I. « Domine refugium factus es nobis, a generatione in » generationem. » Imploraturus Dei misericordiam, jure proæmium ducit a beneficiis jam sæpe sibi collatis. Quæ autem beneficia generatione contulerit, advertere licet ex iis quæ sub Pharaone, quæ sub Jesu, et ex iis quæ in Babylone contigerunt.

II. « Priusquam montes fierent, et formaretur terra [2]. » Quia carnem Domini spectantes, merum hominem esse putabant, dicebantque : « Triginta annos nondum ha- » bes et Abraham vidisti [3]? » Et hoc maxime ruinæ causa

[1] Psal. LXXXIX, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Luc. VIII, 57.

fuit illis, quod ignorarent deitatem. Quapropter jam confitentes dicunt eum ante omnia opificia Patri coexistere.

III. « Ne avertas hominem in humilitatem [1]. » Ab hinc confessionis exordium ducitur. Rogat autem ut quando gentes omnes ad cognitionem veritatis vocavit, ipse quoque convertatur. Tu dixisti, inquit, Domine, « Con- » vertimini filii convertentes, et sanabo contritiones » vestras [2]. » Quia igitur conversi sumus, ne convertas nos in humilitatem seu abjectionem.

IV. « Quoniam mille anni ante oculos tuos, Domine etc [3]. » Tempus legalis cultus indicat, per cujus spatium absoluto maxime templo floruit. A Salomonis enim qui domum excitavit tempore, ad usque obsidionem, quæ post venerabilem crucem contigit, computantur anni mille. Sed isti, inquit, mille anni, ut una dies in conspectu tuo computari possunt, imo vero modica diei pars. Merito autem nocti comparat, tempus præcedens Salvatoris adventum; eo quod in tenebris et in confusione omnes homines essent, quia nondum ipsis exortus erat sol justitiæ.

V. « Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt » mane [4]. » Quasi apertius diceret : Anni eorum qui te abnegaverunt, in contemptum magnum venient. Fuerunt enim in conculcationem et hominibus et dæmonibus, utpote qui eum qui ipsos redimeret et salvos faceret abnegaverint.

VI. « Mane floreat et transeat [5]. » Per vocem, mane, significant tempus quo apparuit illis Dominus in monte Sina. « Herba » autem significat legalem cultum, utpote qui haud multo post arescere debeat. « Vespere decidat, » induret et arescat. » Vesperam vocat tempus in fine

[1] Psal. LXXXIX, 3. — [2] Jerem. III, 14. — [3] Psal. LXXXIX, 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6.

sæculi futurum, quo apparuit Unigenitus : in quo pertransiit flos legalis cultus, fallacia inobsequentiæ induratus.

VII. « Quia defecimus in ira tua [1]. » Aperte narrant calamitates ipsis ob propria peccata illatas. Et hæc cum Judæis, tum omnibus hominibus conveniunt. Hominum quippe natura, pœnas dans iniquitatis suæ, calamitatibus subjecta est et decumanis fluctibus demergitur. Judæi vero ob mentis malitiam a libertate lapsi sunt.

VIII. « Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo[2]. » Non prætermisisti, inquit, iniquitates nostras, quippe cum nos ipsi eas in capita nostra revocaverimus, quia diximus : « Sanguis ejus super nos et super filios nostros. » Sæculum nostrum in illuminatione vultus tui [3]. » Ac si diceret : vita nostra et ejus opera, mala videntur in conspectu tuo. Nihil quippe ignoras eorum quæ in nobis acta sunt ab initio usque ad finem.

IX. « Quoniam omnes dies nostri defecerunt, et in ira » tua defecimus[4]. » Peccatum, inquit, iram tuam adversum nos concitavit; ira vero supplicium intulit; supplicium dolores induxit. In doloribus quippe modicum vitæ nostræ tempus transegimus. « Anni nostri sicut aranea me» ditabantur. » Nihil firmum, inquit, nihil stabile naturæ nostræ inest : instar araneæ facile discerpitur.

X. « Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta an» ni, etc. [5] » Isthæc similia sunt iis quæ dixit Patriarcha Jacob : « Dies mei pauci et mali, non pervenerunt ad » dies patrum meorum. » Sunt itaque qui ultra prædictum tempus vitam extrahunt; sed id paucis contingit. Hic autem significat quod vulgo evenit, et in pluribus

[1] Psal. LXXXIX, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Matth. XXVII, 25. — [4] Psal. LXXXIX, 9. — [5] Ibid. 10.

contingere solet. Quemadmodum enim mentionem non fecit eorum qui præmatura morte tolluntur; sic eos qui ad extremam senectutem veniunt, utpote grandævos prætermisit. Attamen, inquit, perbreve illud tempus, doloris et laborum plenum est. « Quoniam supervenit » mansuetudo, et corripiemur. » Quoniam ceu mortua et admodum vilis est vita nostra, et ignoramus quid nobis post hæc ab imperio tuo futurum sit; ideo, inquit, cum mansuetudine corripe nos. Nam illud, « supervenit, » pro, superveniat, ait. Postulant autem correptionem accipere per Christum, qui est dextera Patris, quamobrem ait.

XI. « Dexteram tuam sic notam fac, etc. [1] » In communi positum est illud, « notam fac : » ita ut sensus sit : Notam fac nobis dexteram tuam, id est, Christum : notos fac nobis eos qui in corde sapientiam habent : illi autem esse videntur Apostoli et Evangelistæ, quorum opera conversionis modos edidicimus [2].

XII. « Repleti sumus mane misericordia tua [3]. » Hæc aiunt quasi jam orationis finem et scopum invenerint. Orietur namque illis sol justitiæ in consummatione sæculi hujus.

XIII. « Respice in servos tuos, et in opera tua [4]. » Illud, « respice, » rursus positum pro, respexisti, id est, inspexisti servos tuos et opera manuum tuarum. Per quam visitationem, splendorem ac lumen Dei nostri videntes, ac conversi, rectam viam incedamus, cum conversionis opera impleverimus.

XIV. « Et sit splendor Domini Dei nostri super nos [5]. » Nos splendidos ac illustres effecit lumen cognitionis Dei; et Judæi post reditum conspicui item fuerunt. « Et ope-

[1] Psal. LXXXIX, 12. — [2] Ibid. 13. — [3] Ibid. 14, 15. — [4] Ibid. 16. — [5] Ibid. 17.

» ra manuum nostrarum dirige. » Opera sunt legis; opus autem, est illud quod in nova lege perficitur. Nam in veteri lege varia erant sacrificia : in nova autem solus Filius immolatur. « Et opus manuum nostrarum dirige. » Opera manuum sunt singulæ actiones : opus manuum, est cognitio quæ ex his evenit.

PSALMUS XC.

Laus Cantici David, caret inscriptione apud Hebræos.

ARGUMENTUM.

Postquam in octogesimo nono psalmo Judaïci populi aversionem declaravit, consequenter in hoc psalmo personam inducit eorum qui per Christum consummati sunt, et per eum spirituales hostes superant, principatus videlicet et potestates, et rectores mundi tenebrarum harum, et spiritualia nequitiæ, ipsumque nefarium Satanam; qui variis modis in præsenti psalmo significantur. Timor scilicet nocturnus, sagitta volans in die, negotium perambulans in tenebris, ruina et dæmonium meridianum, mille et decem millia, aspis, basiliscus, leo et draco. Adversus hosce omnes homini Dei victoriam ascribit.

I. « Qui habitat in adjutorio Altissimi [1]. » Propheticus spiritus, hominem qui auxilium et opem tulit, id est

[1] Psal. xc, 1.

Christum, qui est etiam altissimus, beatum prædicat. Quomodo non beatus qui, ut Deum cœli protectorem haberet dignus habitus est. « In protectione Dei cœli com- » morabitur. » Qui manet in hoc adjutorio protegitur et custoditur.

II. « Dicet Domino : susceptor meus es tu [1]. » Ecquis est qui hoc Domino, dicit nisi homo qui confidit in ipso, et saluti ejus innixus est ?

III. « Quoniam ipse liberabit te de laqueo, etc [2]. » Jam docuit adversarias potestates hisce significari.

IV. « Scapulis suis obumbrabit tibi, etc [3]. » Postquam dixisset homo Dei, quod Deus ipse liberaturus sit de laqueo venantium, et a verbis turbulentis, respondet spiritus propheticus dans ipsi fiduciam, et ad fortitudinem concitans spiritualem. « Scapulis suis obumbrabit tibi [4], » quasi clarius diceret, sub umbra alarum suarum proteget te, atque etiam scuto operiet te. Quo facto nulla ex adversariis potestatibus lædet te.

V. « A sagitta volante in die, etc [5]. » Impuram quamdam potestatem nunc sagittam vocat. « A ruina et dæ- » monio meridiano...... » Nam meridianum dæmonem ait pigritiæ esse.

VI. « Cadent a latere tuo mille etc [6]. » Latus sinistrum significatur, merito quidem. Huic vero lateri millia insidiari ait : dextris autem decem millia. Dexteras quippe actiones nostras, et virtutum gesta fortia ac mirabiliora, multitudo malignarum potestatum evertere conantur.

VII. « Verumtamen oculis tuis considerabis [7]. » Nihil, inquit, lædent te insidiatores. Continget autem tibi ut lapsos videas inimicos tuos.

VIII. « Altissimum posuisti refugium tuum [8]. » Spiritus

[1] Psal. xc, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6. — [6] Ibid. 7. — [7] Ibid. 8. — [8] Ibid. 9.

propheticus vicissim alloquitur spiritum hominis Dei, docens quantum sit spei erga Deum lucrum.

IX. « Non accedent ad te mala [1]. » Nam mali natura extrinsecus advenit, cum contra virtus intrinsecam habeat causam. Nam Deus fecit hominem rectum, qui quærens cogitationes malas, extrinsecus sibi malitiam attraxit. « Et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo. » Confidere jubet eos, quod nihil ingratum accidat, utpote qui credat missum Angelum fuisse auxiliatorem eorum qui in Deum credunt.

X. « Quoniam Angelis suis mandabit de te[2]. » Idipsum in trigesimo tertio psalmo ait. « Castrametabitur Angelus » Domini in circuitu timentium eum[3]. » Audiamus autem Patriarcham Jacob dicentem : « Angelus qui eripuit me » ex omnibus malis meis[4]. » Et magnus Abraham domestico suo fiduciam addens aiebat : « Deus mittet Angelum » suum ante faciem tuam, et accipies uxorem Isaac filio » meo exinde [5]. » Ex omni parte igitur ediscimus, quod universorum Deus eos qui credunt in ipsum per Angelos custodiat. « Ut custodiant te in omnibus viis tuis. » Qui in nullo delinquit, is custoditur in omnibus viis suis.

XI. « Ne forte offendas ad lapidem pedem tuum [6]. » Pes animam significat, lapis peccatum.

XII. « Super aspidem et basiliscum ambulabis [7]. » Non solum, inquit, o homo Dei, nihil mali patieris ; sed etiam ipsam spirituum multitudinem ad pedes tuos dejectam videbis ; ita ut cum omni confidentia eorum capita calces.

XIII. « Quoniam in me speravit liberabo eum [8]. » Inducit personam Dei promittentem præmium fidei, videlicet salutem. Hæc demum ait universorum Deus, docens qui sit spei fructus. Liberabo enim eum, inquit, ex præ-

[1] Psal. xc, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Psal. xxxiii, 8. — [4] Gen. xlviii, 16. — [5] Gen. xxiv, 7. — [6] Psal. xc, 12. — [7] Ibid. 13. — [8] Ibid. 14.

dictis cum visibilibus tum invisibilibus insidiatoribus, eum spe vallabo, custodiam eum, loquentem audiam et supplicationem excipiam. « Protegam eum quoniam cog- » novit nomen meum. » Non solum ab insidiatoribus, meos liberabo, sed etiam interminabilem ipsis vitam concedam, et meo salutari dignos habebo. Est autem salutare Jesus Christus, qui nos ad novum certamen inducit, et efficit ut cum illo regnemus.

XIV. « Clamabit ad me et ego exaudiam[1]. » Cum magna mentis voce clamaverit ad me, me exaudientem et annuentem ipsi reperiet. Semper enim adsum illi, in quavis occasione versetur.

XV. « Longitudine dierum replebo eum, et ostendam » illi salutare meum[2]. » Salutare illud est ipse Dominus noster Jesus Christus, qui nos in novum sæculum induxit, et effecit ut cum illo regnaremus.

PSALMUS XCI.

Psalmus cantici David in die Sabbati[3].

ARGUMENTUM.

Sabbatismus, sive sabbatum, videtur esse futura hæreditas, quia labores hujusce vitæ, requies excipiet, nobis præmia nostra accipientibus. Laudat igitur futuram illam requiem.

[1] Psal. xc, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Psal. xci, 1.

I. « Bonum est confiteri Domino[1]. » Laudes enuntiat, et iis celebrandis die nocteque indesinenter vacaturum se promittit, pro gestis scilicet Unigeniti. Ecquid fecit aliud quam quod resurrectionem nobis paravit?

II. « Ad annuntiandum mane misericordiam tuam[2]. » Ad annuntiandum diluculo misericordiam tuam, et firmitatem tuam in nocte.

III. « In decachordo psalterio, cum cantico in cithara[3]. » Decachordum psalterium dicit corpus, quod habet quinque sensus, et quinque animæ operationes; per singulos nimirum sensus singulæ sunt animæ operationes.

IV. « Quia delectasti me, Domine, in factura tua[4]. » Cernens tua opificia et ineffabilem œconomiam tuam exulto et gaudeo; atque ex mentis voluptate, linguam ad hymnos canendos moveo.

V. « Quam magnificata sunt opera tua, Domine etc.[5] » Ego quidem, ait, opera tua celebrans, profunditatem cogitationum tuarum summopere miror, videns ea quæ in mundo fecisti. Sed insipientes non intelligunt profunditatem mysterii.

VI. « Vir insipiens non cognoscet etc.[6] » Variis modis hoc enuntiat, quoniam qui mente ægrotus est, et intelligentia vacuus, nihil horum cognoscit, neque quidpiam de his audiet.

VII. « Cum exorti fuerint peccatores sicut fœnum[7]. » Qui non intelligunt mysterium, ait, quasi fœnum erunt, non habentes profunditatem, ac cito cadent, et arescent.

VIII. « Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum[8]. » Quando, inquit, peribunt inimici et dispergentur, tunc

[1] Psal. xci, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6. — [6] Ibid. 7. — [7] Ibid. 8. — [8] Ibid. 11.

cornu meum, videlicet regnum præparatum, præclarum erit. Nos autem, qui tua sumus cogitatione instructi, cum ruinam inimicorum tuorum viderimus, gloriabimur et altum sapiemus in te; utpote a deorum multorum errore liberati, et te qui vere Deus es adorantes. Nam unicornu hic iterum proposuit, ut per unum cornu, unum significaret Deum. Quemadmodum enim illud animal, unum a natura cornu accepit; sic alumni pietatis unam adorabunt Deitatem. « Et senectus mea in oleo pingui. » Post labores quos sustinui, inquit, tunc ceu oleo utar ad regale sacerdotium : et hoc erit mihi in diuturnorum laborum præmium.

IX. « Et respexit oculus meus inimicos meos [1]. » Id mihi inter alia bona computabitur, quod cadentibus insidiatoribus animæ meæ, hujusce rei spectator ego fuerim.

X. « Plantati in domo Domini [2]. » Hi, inquit, qui cedris illis similes sunt, cultorem habent Deum; paradisum vero, divinum templum. « In atriis Dei nostri flore- » bunt. » In supernis scilicet mansionibus, quas atria esse Domini dicit.

XI. « Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi, et be- » ne patientes erunt [3]. » Bene patientes, quasi dicas, bene tolerantes. Dabuntur enim illis « quæ oculus non » vidit nec auris audivit [4].

XII. « Quoniam rectus Dominus Deus noster [5]. » Postquam in supernis mansionibus constituti parata bona nacti fuerint, hanc annuntiabunt vocem, quod justus et rectus sit Dominus, qui iniquos et impios ceu fœnum arescere fecit; justos autem et pios, quasi cedros et palmas, in supernis tabernaculis plantavit. « Et non est ini- » quitas » in Deo, quia malitiæ capax non est.

[1] Psal. XCI, 12. — [2] Ibid. 13, 14. — [3] Ibid. 15. — [4] 1 Cor. II, 9. — [5] Psal. XCI, 16.

PSALMUS XCII.

In die ante Sabbatum quando fundata est terra, laus Cantici ipsi David.

ARGUMENTUM.

In præcedenti psalmo per hæc verba : In die Sabbati, *declaratur secundus Salvatoris adventus, quando regnabit in novum sæculum cum sanctis suis. Palam autem est illud,* ante Sabbatum, *designare priorem ejus adventum, quando terra habitata est, id est, quando Ecclesia in toto orbe fundata est, sanctis Apostolis et Evangelistis, de Christo sermonem per totum orbem renuntiantibus.*

I. « Dominus regnavit decorem indutus est[1]. » Quoniam humanum genus abscedens a regno Dei, sub tyrannide satanæ fuit, ideo advenit Unigenitus, ut illud rursum proprio sceptro subjiceret. Dei autem decorem, ipsius generis salutem esse dicit. Nisi enim incarnatus fuisset, assumpta præter peccatum natura nostra, nulla sane nobis salus fuisset. Oportet enim eum regnare donec ponat omnes inimicos suos sub pedibus suis. « Indutus est » Dominus fortitudinem et præcinxit se. » Hisce reportatam de adversariis potestatibus victoriam nobis signi-

[1] Psal. xcii, 1.

ficat, quam ceu militaribus armis instructus retulit. « Etenim firmavit orbem terræ qui non commovebitur. » Postquam illos, adversarios scilicet dæmones, profligasset, Ecclesiam constituit supra petram cui ne ipsæ quidem portæ inferi prævalebunt.

II. « Paratus thronus tuus ex tunc[1]. » Hoc ait quia a constitutione mundi futuram definierat hominum generis salutem. Thronum quippe ait potestatem judicandi adversarios nostros dæmones. Resurrectionem autem significat Unigeniti. Tu igitur ipse ait, Domine, qui nunc ad eam rem quasi in juridiciali throno sedes, ut judicium scilicet feras et nos vindices, ante sæcula Deus.

III. « Elevaverunt flumina, Domine, elevaverunt flu- » mina vocem suam[2]. » Flumina hic sanctos Apostolos et Evangelistas dicit, qui Dei Ecclesiam spiritualibus fluentis lætificarunt. Dictum namque fuit illis : « Flumi- » na de ventre ejus fluent aquæ vivæ[3]. »

IV. « Mirabiles elationes maris[4]. » Multæ, inquit, mystagogiæ, sententiæ Apostolorum, et Evangelistarum fluenta, mirabiles effecerunt elationes maris. Mare autem vocat, gentium qui crediderunt multitudinem. Quorum elationes, id est sublimitates sensus, mirabiles fuere. Non enim ultra parva et humilia de Deo sentiunt, sed magna et mirabilia.

V. « Testimonia tua credibilia facta sunt nimis[5]. » Testimonia dicit promissa per sanctos Prophetas gentibus facta, quæ fidelia et firma esse in novissimis diebus ostendit, sua præsentia promissa complens. « Domum tuam » decet sanctitudo Domine. » Domus ejus Ecclesia est, cui convenit quod sit sancta, quippe quæ eum inhabitantem habeat qui solus sanctus est : cum autem id factum fuerit, nacta perpetuitatem sanctificatione fruetur.

[1] Psal. xcii, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Joan. vii, 38. — [4] Psal. xcii, 4. — [5] Ibid. 5.

PSALMUS XCIII.

Psalmus David, quarta Sabbatorum.

ARGUMENTUM.

De providentia hic sermonem habet, docens ut ne anxii simus, neque animum despondeamus, etiamsi ad quoddam temporis spatium peccantibus prosperitas, piis persecutio eveniat. Nihil eorum quippe eadem conditione manet, sed mutatur. His quidem angustia in perpetuam bonorum possessionem; illis autem pro bonis quæ videbantur habere supplicium in infinita sæcula. Quarta autem sabbatorum inscriptus est psalmus, quia quarto mense contigit, (die scilicet pro mense posito) ut civitati Dei initium calamitatum veniret, obsidentibus Babyloniis ut narrat Jeremias.

I. « Deus ultionum Dominus, Deus ultionum libere » egit[1]. » Quemadmodum est Deus miserationum, et Deus consolationum, ita et Deus ultionum. Hoc autem in præmio positum magnam iis consolationem affert qui vi calamitatum in angorem conjiciuntur. Illud autem : « Li» bere egit, » sententiam in divino tribunali contra impios postea ferendam significat, qua ait : « Discedite a » me maledicti[2]. »

II. « Redde retributionem superbis[3]. » Pro afflictis

[1] Psal. xciii, 1. — [2] Matth. xxv, 41. — [3] Psal. xciii, 2.

precatur, rogans auxilium a Deo qui solus valet opem ferre.

III. « Usquequo peccatores gloriabuntur[1] ? » Hisce ingentem Dei clementiam et injuriarum oblivionem significat.

IV. « Populum tuum, Domine, humiliaverunt[2]. » Ad iram adversus inimicos Deum concitat, dum ait populum et hæreditatem ejus esse quæ affligitur ab inimicis.

V. « Viduam et advenam interfecerunt[3]. » Horum interpretatio allata est in superiori versu, attamen etiam nunc dabitur. Viduam animam et advenam mentem interficit, qui prave divinas Scripturas interpretatur. Pupillus autem est animus cœlesti patre privatus.

VI. « Dominus scit cogitationes hominum, quoniam » vanæ sunt[4]. » Quomodo autem non sunt vanitate plenæ cogitationes illæ, quæ providentiæ utilitatem repudiare student a sermone.

VII. « Beatus homo quem tu erudieris, Domine[5]. » Illi, inquit, miseri et abjecti, qui tuam institutionem non admittunt. Beati autem sunt qui a te erudiuntur, et ex tua lege edocentur. Illi enim in ærumnis mansuetiores effecti, levabuntur molestiis, gnari tribulationes illas tandem in bonum cessuras. Dies malos dicit dies judicii[6].

VIII. « Donec fodiatur peccatori fovea. » Huc usque, inquit, qui erudiuntur cum fiducia ærumnas tolerant, « donec fodiatur peccatori fovea, » id est, donec ad deputatum ipsi supplicium peccator accedat. Peccatorem autem dicit satanam, sive omnem adversariam potestatem.

IX. « Quia non repellet Dominus plebem suam[7]. » Hoc donum erit ejus de quo in superioribus dictum est : « Populum tuum, Domine, humiliaverunt et hæredita-

[1] Psal. xciii, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 11. — [5] Ibid. 12. — [6] Ibid. 13. — [7] Ibid. 14.

» tem tuam vexaverunt. Et hæreditatem suam non de» relinquet. » Hoc ex superiore versu pendet : « Quia » non repellet Dominus plebem suam. » Quasi diceret : Custodiet populum suum omni tribulationis tempore. Et eo usque gubernabit et deducet, donec divinum constituatur tribunal. Quando autem in hoc justitia sive Christus sedebit, omnes recti corde prope ipsum accedent, juxta illud : « Quoniam ipsi Deum videbunt[1], » ita enim rem declarant quæ subsequuntur.

X. « Quoadusque justitia convertatur in judicium[2]. » Donec Christus judicet mundum. Ipse namque factus est nobis sapientia a Deo, justitia, sanctificatio, redemptio : et judicium omne dedit illi pater.

XI. « Quis consurget mihi adversus malignantes[3]. » Hæc est afflictorum vox. Ait autem : quis mihi auxiliator fuerit, adversus eos qui male in me agunt. Deinceps ubi derepente sensit quis auxiliator sit, ait, jam olim animam ejus in infernum dejiciendam fuisse, nisi Dei adjutorium nactus esset.

XII. « Si dicebam, motus est pes meus[4]. » Dum afflictus, inquit, conspicerem me labi, dicebam : Quando pes meus motus est? id est, excidam a statu illo qui secundum Deum est; statim patrocinium et misericordiam tuam sentiebam mihi auxiliantem.

XIII. « Consolationes tuæ lætificaverunt animam » meam[5]. » Non me reliquisti ait sine consolatione : sed quot habui tribulationes, totidem consolationes a te accepi. Quæ mihi dolores in gaudium commutarunt.

XIV. « Numquid adhæret tibi sedes iniquitatis qui fin» gis laborem in præcepto[6]? » Ideo, inquit, consolatus es cor meum in tribulationibus. Igitur non adhærebit ti-

[1] Matth. v, 8. — [2] Psal. xcIII, 15. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 18. — [5] Ibid. 19. — [6] Ibid. 20.

bi thronus iniquitatis, id est, quia utpote Deus justus judex es et nulla in judiciis tuis iniquitas erit, nam thronus judicium significat [1]. Secus autem ille se habet qui fingit laborem in præcepto, videlicet adversarius dæmon, qui præcepta Dei quæ levia sunt gravia efficit, laboresque hominibus præbet in iis agendis, thronum iniquitatis diabolum vocavit; quia thronus justitiæ Christus est qui est diabolo oppositus.

XV. « Et sanguinem innocentem condemnabunt [2]. » Illi, inquit, maligni et adversarii dæmones, omni ratione conabuntur justi animam quasi venatu capere. Sed ea de causa, inquit, condemnabuntur. Id enim significat: « et sanguinem innocentem condemnabunt. » Ait enim pro innocente sanguine ab ipsis effuso, in judicium et supplicium tradendos fore.

XVI. « Et factus est mihi Dominus in refugium [3]. » Ego autem Domini providentiæ fructum percepi, et ipse mihi est in vallum munitum.

PSALMUS XCIV.

Laus cantici ipsi David, caret inscriptione apud Hebræos.

ARGUMENTUM.

His sanctorum chorus eos qui increduli erant in Israële cohortatur ut ad salutem per Christum allatam accedant, declarans eum exauditurum esse si procidant

[1] Sic, augurando locum vitiosum vertimus.—[2] Psal. XCIII, 21. —[3] Ibid. 22.

ante illum, quia ipse est opifex, suumque amat opificium. Post illam autem a sanctis datam hortationem, inducitur ipsa sancti Spiritus persona : quæ non obtemperantibus præcipit, ut ne patrum suorum incredulitatem imitentur.

I. « VENITE exultemus Domino[1] » Quasi ad festum accedere cohortantur eos qui non obtemperarent, ad lætitiam vocantes eos, ut ita persuadeant. « Jubilemus Deo » salutari nostro. » Probe dicit, jubilemus, videlicet venientes canamus victoriæ cantica. Jubilatio enim, est hymnus ob devictos hostes editus. His autem significat Christum, bello adversariis potestatibus pro nobis illato, ipsas de medio sustulisse.

II. « Præoccupemus faciem ejus in confessione[2]. » Ac si diceret : Priusquam sedeat, faciem ejus qui est filius confessione præoccupemus, et propitiam nobis reddamus. Ita enim continget vobis ut in bonum desinatis : nam confessio bonum habet terminum, et hoc palam facit illud in psalmis, « jubilemus ei. »

III. « Et rex magnus super omnes Deos[3]. » Scilicet eos qui credunt, qui in mercedem hoc consecuti sunt ut dii appellentur, juxta dictum illud : « Dedi te Deum Pha» raonis[4]. » Si confessionem offeramus, inquit, non spe labemur : nam nos ut proprium ipsi populum miserabitur.

IV. « Quoniam ipsius est mare[5]. » Ostendit eum cum sit opifex totius creaturæ visibilis atque invisibilis, nunquam despecturum esse opus suum, si quis confitendo procidat ante eum.

V. « Venite adoremus et procidamus ante illum[6]. » Se

[1] Psal. XCIII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Exod. VII, 1. — [5] Psal. XCIII, 5. — [6] Ibid. 6.

ex adorantium et plorantium numero esse dicunt, ut auditores ad confessionem promptiores efficiant.

VI. « Hodie si vocem ejus audieritis[1]. » His ab ipso Domino monentur ut obtemperantes sint, neque tales quales patres eorum in deserto fuerant.

VII. « Secundum diem tentationis in deserto, ubi ten- » taverunt me patres vestri[2]. » Tentaverunt enim Deum alias in aliam incedentes viam, sed non illam rectam viam Domini.

VIII. « Sicut juravi in ira mea, introibunt in requiem » meam[3]. » Tres nobis requiei species significantur : carnalis una quæ est Sabbati, altera est ingressus in terram promissionis, qua illos quiescere fecit Jesus Nave ; tertia cœlestis, quæ hîc jam denotatur, non alterius enim hic mentio est, si tamen illa vera requies sit. Ostenditur itaque vere requiem esse recessum ex hoc mundo et habitationem in supernis mansionibus.

PSALMUS XCV.

Canticum ipsi David. Quando domus ædificabatur post captivitatem[4].

ARGUMENTUM.

In præcedenti psalmo Judæorum abjectionem vaticinatus si in infidelitate perseverarent, in hoc gentium vocationem inducit, quæ post solutionem spiritualis illorum captivitatis facta est, quando per totum orbem Ecclesia fundata fuit.

[1] Psal. xciv, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 11. — [4] Psal. xcv, 1.

I. « Cantate Domino canticum novum. » Apostolis jubet Spiritus sanctus, ut canticum novum, id est novum Testamentum gentibus per totum orbem enarrent. « Can- » tate Domino omnis terra... Annuntiate de die in diem « salutare ejus[1]. » Nunquam enim finem facient ad usque consummationem mundi novi Testamenti mysteria nobis enuntiandi.

II. « Quoniam magnus Dominus et laudabilis nimis[2]. » Docete, inquit, gentes, nam si audiant, agnoscent ejus qui prædicatur deitatem et magnitudinem; si agnoscant, laudabunt eum. « Terribilis est super omnes deos. » Illud est maximum gentibus ad Domini timorem incitamentum, quod viderint eorum deos, ut vocabant, incendio traditos. Noverunt enim illos omnes non esse deos, sed dæmonia. Solus autem Dominus cœlestium opifex est.

III. « Quoniam omnes dii gentium dæmonia[3]. » Qui enim dii vocabantur, maligni dæmones fuisse comperti sunt : at « Dominus noster cœlos fecit. »

IV. « Sanctimonia et magnificentia in sanctificatio- » ne ejus[4]. » Sanctificatio ejus est Ecclesia, quæ et sancta et magnifica est. Excelsus namque est Ecclesiæ ornatus.

V. « Afferte Domino patriæ gentium etc.[5] » Patrias vocat Ecclesiarum præfectos, id est, Sacerdotes et præsides. Et sane convenit operibus bonis Deum glorificare, et justis laboribus honorare illum, atque insuper spiritualia illi sacrificia offerre. Offerre nimirum in atriis sanctis ejus, scilicet in ecclesiis. « Commoveatur a facie ejus » universa terra. » Futurum enim erat ut per omnem

[1] Psal. xcv, 2, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7, 8 et 9.

terram audiretur prædicatio, et ut terra quasi a priore suo statu commoveretur.

VI. « Etenim correxit orbem terræ qui non commo- » vebitur[1]. » Fundavit enim Ecclesiam supra petram, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. « Judicabit » populos in æquitate. » Venit enim et judicavit causam nostram, et improbos tyrannos exegit, impuros scilicet dæmones.

VII. « Lætentur cœli et exultet terra[2]. » Cum totius orbis bonum ageretur cœlestes virtutes cum gaudio dicebant : « Gloria in excelsis Deo, et in terra pax. Commo- » veatur mare et plenitudo ejus[3]. » Mare hic significat gentium plenitudinem, quæ commota est ; id est ad recipiendam prædicationem deducta. « Gaudebunt campi » et omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia » ligna sylvarum. » Per campos et ligna, sanctas animas significat, quæ de salute mundi exultaverunt.

PSALMUS XCVI.

Psalmus David quando terra ejus constituta est[4].

ARGUMENTUM.

Hic rursum salutem mundi significat, et fidem omnium gentium in ipsum.

I. « Dominus regnavit exultet terra, lætentur insulæ » multæ. » Insulas vocat Ecclesias, utpote omni vento

[1] Psal. xcv, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Luc. ii, 14. — [4] Psal. xcvi, 1.

agitatas, et salsis asperisque ærumnarum fluctibus circumfusas.

II. « Nubes et caligo in circuitu ejus [1]. » Latentem ejus ad homines descensum significat, quando in servi forma apparuit. « Justitia et judicium correctio throni » ejus. » Hæc, inquit, remissionis causa fuit, quod juste judicaverit causam nostram quam habemus videlicet adversus malignas et adversarias potestates.

III. « Ignis ante ipsum præcedet [2]. » Divina sua virtute malam omnem atque adversariam operationem combussit.

IV. « Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ [3]. » Fulgura sua dicit esse sanctos Apostolos et Evangelistas, qui luminis instar illuminaverunt orbem.

V. « Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini [4]. » Montes vocat adversarias potestates, quæ sicut cera fluxerunt prædicti ignis opera. Quod aquilo coagulat, id auster liquefacit, quamobrem pulchre sponsa in canticis canticorum ait : Exurge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum et fluant aromata mea.

VI. « Confundantur omnes qui adorant sculptilia [5]. » Videntes scilicet quos olim deos putabant instar ceræ liquefactos Domini opera. « Adorate eum omnes Angeli » ejus. » Gratias agite, ait, de iis quæ in terra præclare gessit.

VII. « Audivit et lætata est Sion [6]. » Sion est Ecclesia. Ecquid audivit, nisi evangelicam prædicationem, quæ lætitiæ ipsi causa fuit. « Et exultaverunt filiæ Judææ. » Filias Judææ sanctas animas dicit, quæ Deo per confessionem conjunctæ sunt, quæque exultabant propter judicia Domini, videntes scilicet ejectos tyrannos, eos au-

[1] Psal. xcvi, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 7. — [6] Ibid. 8.

tem qui in servitute detinebantur in libertatem vindicatos.

VIII. « Qui diligitis Dominum odite mala [1]. » Adhortatio inducitur iis qui in libertatem vindicati sunt, docens ut ab omni specie mala avertantur. « Custodit » Dominus animas sanctorum suorum. » Qui a maligno aversi estis sancti effecti estis. Tunc enim continget vobis ut Dominus vos custodiat a maligno, qui proprie peccator est.

IX. « Lux orta est justo [2]. » Evangelica videlicet. « Justo » autem, huic populo scilicet qui per fidem justus est. « Et rectis corde lætitia » in hæc verba « rectis » interpungendum, ita ut iis qui recti fuerint in corde oriatur lætitia. In communi autem illud, « orta est » accipiendum.

PSALMUS XCVII.

Psalmus ipsi David [3].

ARGUMENTUM.

Hic quoque psalmus priorem Domini adventum significat, et fidem omnium gentium erga illum, quam dedit eis ut patribus suis pollicitus fuerat. Ea de causa hic concitantur gentes, ut cum jubilatione victoriæ carmen canant, quod eorum causa editum fuit.

[1] Psal. XCVI, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Psal. XCVII, 1.

I. « Cantate Domino canticum novum, quia mira-» bilia fecit. » Mirabile prorsus est quod mors destructa sit, et quod humanum genus revixerit. « Salvavit sibi » dextera ejus. » Mundum enim Patri obtulit Christus, qui est dextera Patris. Non enim humano egebat auxilio.

II. « Notum fecit Dominus salutare suum [1]. » Carnalem ejus adventum salutarem scilicet significat. Juxta illud dictum a Simeone : « Quia viderunt oculi mei salu-» tare tuum. In conspectu gentium revelavit justitiam » suam [2]. » Ejecto scilicet hujus sæculi principe, nobis autem qui olim sub tyrannide eramus justificatis.

III. « Recordatus est misericordiæ suæ [3]. » Erga Jacob, promisit enim ei futurum esse ut omnes gentes in semine ejus benedicerentur. « Viderunt omnes termini » terræ salutare Dei nostri. » Nullum enim regnum non particeps est regni Christi.

IV. « Psallite Deo nostro in cithara [4]. » Citharam dicit harmoniam et consensum animæ cum corpore. « In » tubis ductilibus et voce tubæ corneæ [5]. » Ardens atque vehemens studium evangelicæ prædicationis per tubas ductiles significat : per corneam autem regiam dignitatem, quia ex cornu ungebant reges. Neque id tantum sed quia cornea regni proclamationem faciebant.

V. « Moveatur mare et plenitudo ejus [6]. » Mare vocat præsentem vitam, ob salsedinem et molestiam sollicitudinum ejus. Mota itaque est a priori statu, id est ab idololatria.

VI. « Flumina plaudent manu simul [7]. » Flumina dicit sanctos mysteriorum initiatores, quorum prædicandi studium indicat eo quod plaudant simul. « Montes exul-» tabunt a conspectu Domini, quoniam venit judicare

[1] Psal. xcvii, 2. — [2] Luc. ii, 30. — [3] Psal. xcvii, 3. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6. — [6] Ibid. 7. — [7] Ibid. 8.

» terram. » Angelicæ nimirum virtutes. Nam gaudium est super uno peccatore pœnitentiam agente.

PSALMUS XCVIII.

Psalmus ipsi David [1].

ARGUMENTUM.

Et hic quoque psalmus Christi regnum significat, atque principum sacerdotum arrogantiam.

I. « DOMINUS regnavit irascantur populi. » Christus est cujus regnum Judæi irati non accipiunt. « Qui sedet su- » per Cherubim moveatur terra. » Is enim ipse est qui in novissimis temporibus regnabit in terra, qui super Cherubim vehitur, et sub quo mota est terra. Ait igitur : Tu es super Cherubim, qui et malum terræ statum commutasti, cum ad nostram similitudinem factus es. De statu idololatriæ loquitur.

II. « Dominus in Sion magnus [2]. » Sion est Ecclesia, in qua glorificatur et exaltatur Christus, juxta dictum illud : « Exaltabo te Deus meus, rex meus [3]. »

III. « Confiteantur nomini tuo magno etc. [4] » Magnum est nomen ejus illud, Jesus, quia salus populi significat. Magnum rursus nomen illud quod est super omne nomen, cui curvabitur omne genu, et omnis lingua confi-

[1] Psal. XCVIII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Psal. CXLIV, 1. — [4] Psal. XCVIII, 3.

tebitur, quia Dominus Jesus Christus etc. « Quoniam » terribile et sanctum est. » Terribile adversus gentes iratas quæ non receperunt ejus regnum; sanctum autem credentibus in eum. « Et honor regis judicium diligit[1]. » Quoniam honor seu gloria regis justitiam diligit, quæ per judicium intelligitur; ideo inobsequentibus mandatum ejus terribile est, sanctum autem credentibus in eum. « Tu parasti directiones. » In justitia enim judicaturus est orbem.

IV. « Exaltate Dominum Deum nostrum[2]. » Qui excelsus est utpote Deus, et sub pedes habet omnem creaturam, sine mutatione factus est homo. Hunc itaque, ait, qui sine mutatione factus est homo, exaltate, adorantes eum una adoratione cum sua carne.

V. « Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus[3]. » Hic, inquit, qui nunc quatenus homo factus est regnavit in terrena, is ipse erat quem olim Moyses et Aaron invocabant. Postquam dixit itaque : « adorate scabellum pedum » ejus[4], » atque incarnationem œconomiamque prædicavit; rursum nos confirmans, divinitatem per montem illum significat : remansit quippe Deus, etiamsi propter nostram salutem carnem assumpserit.

VI. « Domine Deus noster tu exaudiebas eos[5]. » Etiamsi in aliquo peccare visi sunt utpote homines, tu tamen non contempsisti eos. Peccati itaque arguebatur Aaron ob vitulum, et Moyses propter aquam contradictionis.

VII. « Et adorate in monte sancto ejus[6]. » Aut terrenam aut cœlestem Jerusalem dicit : aut rursum montem intelligere possumus Unigenitum, juxta illud : « Excisus » est lapis de monte sine manibus[7]. »

[1] Psal. XCVIII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Hæc pertinent ad versum 9. — [5] Psal. XCVIII, 8. — [6] Ibid. 9. — [7] Dan. II, 34.

PSALMUS XCIX.

Psalmus in confessionem [1].

ARGUMENTUM.

In hoc psalmo eos qui jam accesserant ad fidem adhortatio alloquitur, ut gratiarum actiones de iis quæ gesta sunt offerant. Confessio enim hoc in loco, gratiarum actionem cum laude conjunctam significat.

I. « Jubilate Deo omnis terra [2]. » Redemptos jubet victoriæ carmen canere. Redempti quippe erant omnes homines. Terram autem vocat habitantes in ea. « Servite Domino in lætitia. » Hominum servitus noxium timorem efficit, Domini autem servitus timorem castum, ex quo animæ oboritur lætitia. « Introite in conspectu » ejus in exultatione. » Qui jam jubilationis lætitiam mente percepit, hic quasi stans in conspectu Christi gaudio gaudet et hoc est exultatio.

II. « Scitote quoniam Dominus ipse est Deus noster [3]. » Hic Dominus, inquit, qui proprio sanguine totam redemit terram, ipse est nostræ facturæ opifex. Non enim ex nobis ipsis extitimus, sed opus manuum ejus sumus. Quapropter et populus ejus et oves ejus sumus : ita ut ille quidem populus sit, qui rationabilior est; oves autem,

[1] Psal. xcix, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

qui in ordine irrationabiliorum consistunt, neque experimentum quodpiam divini eloquii habent, juxta dictum illud : « Erravi sicut ovis quæ periit [1]. »

III. « Nos autem populus ejus et oves pascuæ ejus [2]. » Alii sunt ut populus ejus, qui scilicet præstantiores sunt; alii ut oves pascuæ ejus, qui in inferiore gradu incedunt. Cæterum cum omnium Deus et factor sit, omnes vocat et proprios sibi efficit. Nam homines et jumenta salvat Dominus; illos quidem ut populum suum, hos vero ut oves pascuæ suæ. « Introite portas ejus in confessione [3]. » Portas Domini Ecclesiam quæ in terra est vocat, in qua confiteri oportet, ac denuntiatis antea peccatis, beneficia nobis collata enarrare.

PSALMUS C.

Ipsi David.

ARGUMENTUM.

In hoc psalmo perfectum nobis hominem describit, qui secundum Deum vitam instituit, docetque nos quod vitæ genus amplecti debeant ii, qui regnum cœlorum adipisci exoptant.

I. « Misericordiam et judicium cantabo tibi, Do» mine. [4] » Cum ea quæ scio te nobis contulisse beneficia

[1] Psal. cxviii, 176. — [2] Psal. xcix, 4. — [3] Psal. xxxv, 7. — [4] Psal. c, 1.

semper in ore feram, dabitur judicium, et sane judicium justum. Justificavit enim causam nostram adversus inimicos nostros.

II. « Psallam et intelligam in via immaculata[1]. » Psallam, inquit, hymnum, ac si diceret apertius : Non finem faciam hymnos canendi, et viam meam semper immaculatam conservabo, tuum, o Domine, adventum expectans. Oportet enim paratos nos esse ad Domini accessum. Tantam autem hic vir mirabilis puritatem obtinebat, ut cum fiducia clamaret ad Deum : « Quando » venies ad me? » ac si diceret : regiam tibi exornatam ac decentem paravi, tuam exopto præsentiam, o Domine, tuum adventum expeto, optatum concede. « Perambulabam in innocentia cordis mei in medio » domus meæ etc.[2] » Nullam, inquit, injustam cogitationem mecum habitare concedebam, sed cum puritate ambulabam. « Facientes prævaricationes odivi. » Oportet enim non solum abstinere a malis, sed etiam aversari eos qui illa agunt.

III. « Non adhæsit mihi cor pravum[3]. » Diaboli consilia, utpote quæ recti nihil habeant prava sunt et perversa, quæ nunquam in corde admisi. « Declinantem » a me malignum non cognoscebam. » Ita, inquit, nihili faciebam malignos, ut eorum sive præsentiam sive absentiam ignorarem. Quare abscedentibus illis non cognoscebam, ac similiter etiamsi præsentes essent id ignorabam. Mentis autem in Deo consistentis argumentum est, terrenas res nihil curare, ob studium cœlestium.

IV. « Detrahentem secreto proximo suo, hunc perse» quebar[4]. » Accusationes occulte factas non admittebam, imo vero eos qui huic rei dabant operam expel-

[1] Psal. c, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5.

lebam. « Superbo oculo et insatiabili corde, cum hoc » non edebam. » Nequaquam eos qui arrogantia et superbia tumebant convivas admittebam.

V. « Oculi mei ad fideles terræ ut sedeant mecum [1]. » Consessus atque consilii mecum participes erant qui fide erant ornati, et divina magni faciebant [2]. Eos autem qui non ita affecti erant, sed contraria sentientes superbiæ, injustitiæ et humiliationi dabant operam, longe a me exigebam, ita ut ne respicerem quidem illos.

VI. « In matutino interficiebam omnes peccatores » terræ [3]. » Peccatores vocat malas cogitationes, quas cum matutinis orationibus, tum in Dei præsentia consistendo castigabat. « Ut disperderem de civitate » Domini omnes operantes iniquitatem. » Civitatem Domini sanctam dicit animam, juxta dictum illud : « Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei [4]. »

PSALMUS CI.

Oratio pauperis cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam [5].

ARGUMENTUM.

Qui pauper secundum Deum est, id est prophetarum chorus, repletus dolore ob prioris populi excidium, ad Dominum accedit, pro ipso populo preces effundens

[1] Psal. c, 6. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Psal. LXXXVI, 3. — [5] Psal. CI, 1.

cum jejunio et lacrymis, ut ipse populus misericorditer excipiatur. Prædicat item hîc psalmus vocationem gentium, in adventu Salvatoris nostri Jesu Christi futuram.

I. « Domine exaudi orationem meam[1]. » Quæ populo contigerunt sibi quasi propria ascribit propheticus chorus.

II. « Quia defecerunt sicut fumus dies mei, et ossa » mea sicut cremium aruerunt[2]. » Horum jam multo ante interpretatio data est, at rursum dicetur. Tota virtus eorum per quam consistebat cultus legalis, fracta est et periit. Erant autem illa, sacerdotium, templum, sacrificia armentorum, libertas populi suis legibus vivendi.

III. « Factus sum sicut nycticorax in domicilio[3]. » Hoc dicit ob tenebras quæ populum interceperunt, ignorabat enim Deum. Quid autem proprium nycticoraci, nisi ut clamet nocte, quamobrem hujusmodi vocabulum sortitus est. Quoniam igitur totam noctem precando transigebat, sese jure nycticoraci confert.

IV. « Vigilavi et factus sum sicut passer solitarius in » tecto[4]. » Ego, inquit, qui tempore peccati captus non fui, usque adeo derelictus sum, ut passeri uni similis sim. Tantæ sunt enim myriades peccatorum, ut etiamsi plurimi salutem consequantur, unus tamen, tot myriadibus comparati, videantur.

V. « Tota die exprobrabant mihi inimici mei[5]. » Ridiculus fui inimicis meis : et qui olim mihi invidebant, adversus meas calamitates jurant, rogantes ne sibi paria contingant. Illud autem : « cum cinere, » consimile est septuagesimo nono psalmo : « Cibabis nos pane lacry-

[1] Psal. ci, 2. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 7. — [4] Ibid. 8. — [5] Ibid. 9.

» marum. Quod si cibi sumendi tempus dolore plenum fuit, vix aliud quodpiam tempus malis vacuum erit. « Et qui laudabant me adversum me jurabant. » Et amici, inquit, qui olim laudabant me, meas calamitates in jusjurandum adhibebant dicentes : Absit ut talia patiar qualia Israël.

VI. « Quia cinerem tanquam panem manduca-» bam [1]. » Aut calamitates captivitatis significat, aut afflictionem qua se macerabant, ut populus misericordiam consequeretur.

VII. « Quia elevans allisisti me [2]. » Solus Israël enim ex omnibus gentibus excelsus erat, quippe qui solus notitiam veri Dei haberet.

VIII. « Dies mei sicut umbra declinaverunt [3]. » Dies suos ait transactos in legali cultu, qui vocatur umbra futurorum bonorum. « Et ego sicut fœnum arui. » Illud, « ego, » positum est pro, « populus : » nam, ut dixi, omnia quæ ad populum pertinent quasi propria sibi attribuit.

IX. « Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, et » terræ ejus miserebuntur [4]. » Lapides vocat eos qui post resurrectionem crediderunt in Christum, et facti sunt lapides sancti, secundum Zachariæ vocem : servos autem vocat sanctos Apostolos, quorum opera qui crediderunt in Christum salvi facti sunt. Terram autem, populos, qui adhuc terreno more vivunt, et adhuc non credunt, quos commiseratione dignos ait. Servantur autem reliquiæ ad novissimum usque diem, ipsi enim per Heliam prophetam salutem consequentur.

X. « Et timebunt gentes nomen Domini [5]. » Merito dum placent lapides prioris populi, subjungit gentium

[1] Psal. CI, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12. — [4] Ibid. 15. — [5] Ibid. 16.

vocationem. « Et omnes reges terræ gloriam tuam. » Reges positum pro regna. Non est quippe regnum neque gens quæ non adoret gloriam Domini.

XI. « Quia ædificabit Dominus Sion [1]. » Id est, Ecclesiam.

XII. « Respexit in orationem humilium [2]. » Dicebant quippe Prophetæ dum orando sese humiliarent. « Et » tu, Domine Deus Israël, intende ad visitandas omnes » gentes [3]. »

XIII. « Scribatur hæc in generatione altera [4]. » Oratio scilicet quæ in psalmo effunditur, et promissio gentibus prophetice facta, quasi in cippo insculpta tradita est Judæis, ut servaretur novo Israëli et christianæ generationi. « Et populus qui creabitur laudabit Domi» num. [7] »

XIV. « Quia prospexit de excelso sancto suo [5]. » Causam nobis apponit vocationis gentium. Hæc est autem adventus Salvatoris nostri Christi, quando inclinavit cœlos.

XV. « Ut audiret gemitum compeditorum [6]. » Ecquinam compediti, nisi quos catenis peccati constringit bonorum osor dæmon? « Ut solveret filios interempto» rum. » Filii interemptorum fuerint gentiles, quorum patres in propriis peccatis idololatræ obierunt.

XVI. « Ut annuntient in Sion nomen ejus [7]. » Et illud quoque ait est descensus causa, ut Ecclesia edisceret hymnis celebrare nomen ejus. Ipsa quippe est Sion.

XVII. « In conveniendo populos in unum [8]. » Cum Prophetæ per spiritum viderent congregationem gentium ad Christum, rogarunt ut et ipsi hoc felici spectaculo fruerentur, et rerum exitu.

[1] Psal. CI, 17. — [2] Ibid. 18. — [3] Psal. LVI, 8. — [4] Psal, CI, 19. — [5] Ibid. 20. — [6] Ibid. 21. — [7] Ibid. 22. — [8] Ibid. 23.

XVIII. « Respondit ei in via virtutis suæ [1]. » Propheticus chorus est qui respondet, idem ipse qui interrogat Deum. Viam virtutis suæ, suum in terra adventum vocat. Venit quippe ut ligaret fortem. « Paucitatem » dierum meorum nuntia mihi. » Qualis sit, inquit, vita nostra annuntia mihi. Precabatur autem ut indicaretur sibi, num ad eas dies perventura vita ejus esset, quibus futurum erat ut Unigenitus homo factus appareret in terra.

XIX. « Ne revoces me in dimidio dierum meorum [2]. » Dimidium dierum ejus sive vitæ ejus, vocat illud quod intercedebat tempus donec adventum viderent. Rogat igitur ut impleatur totum tempus suum : et si fieri possit producatur vita sua, ut ipsum rerum exitum videre dignus habeatur. Ita enim futurum erat ut impleretur tota vita ejus. « In generationem et generationem anni » tui. » Gnarus propheticus chorus per spiritum, non perventurum se ad harumce rerum finem, ait. Ego vero obdormiam utpote mortalis ; tu autem solus, o Domine, usque ad illas generationes permanes, utpote Deus qui cœlos ab initio fecisti [3].

XX. « Ipsi peribunt, tu autem permanes [4]. » Tu solus, inquit, o Domine, æternitatem utpote Deus habes : cœli vero etsi magnum et eximium sint opificium, attamen et ipsi corruptioni subjicientur. Corruptio autem hæc erit illis in renovationem : volventur enim in meliorem formam commutati [5].

XXI. « Filii servorum tuorum habitabunt [6]. » Nam cum cœli mutati fuerint, et renovata fuerit creatura, tunc in æternis tabernaculis constituti erunt filii servorum tuorum, ii autem sunt qui per sanctos Apostolos

[1] Psal. CI, 24. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 26. — [4] Ibid. 27. — [5] Ibid 28. — [6] Ibid. 29.

crediderunt, « et semen eorum in sæculum dirigetur. » Semen sanctorum Apostolorum est evangelica et salutaris prædicatio, quæ manet in sæculum.

PSALMUS CII.

Psalmus ipsi David.

ARGUMENTUM.

Novus populus ex gentibus coactus, docetur in hoc psalmo Deum hymnis celebrare, qui magna ipsi beneficia contulit. Sunt autem ea, peccati destructio et resurrectionis gloria.

I. « Benedic anima mea Domino[1]. » Ipse sese ad hymnum excitat, optimum sibi ad salutem remedium esse proponens, benedicere Deum. Ex eo autem quod Deus miseraturus populum esset, de justitia sua in judicando laudatur; utpote qui a corruptione liberet et regnum cœlorum det; ita ut præsens hymnus omnibus conveniat. « Et omnia quæ intra me sunt nomini sancto ejus. » Per ea quæ intra sunt, significat Deum ex toto corde, ex tota virtute, et ex tota mente invocandum esse.

II. « Benedic anima mea Dominum[2] » Perseverat sese exhortando ad canendum hymnos, probe sciens id esse officii sui pro magnis acceptis beneficiis. Nam qui divi-

[1] Psal. CII, 1. — [2] Ibid. 2.

norum beneficiorum recordatur, nunquam finem faciet hujus hymni concinendi. « Et noli oblivisci omnes re- » tributiones ejus. » Pro magnis enim peccatis nostris, retribuit nobis mansuetudinem, misericordiam, miserationes. Quæ oblivisci non oportet.

III. « Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, etc.[1] » Hæ sunt retributiones Dei nobis collatæ ; primo quod propitiatus sit peccatis nostris ; secundo, quod infirmitates nostras sanaverit ; tertio, quod de interitu redemerit vitam nostram, cum peccatum de medio sustulit ; quarto, quod propria usus clementia, misericordia et miserationibus, nos coronaverit adoptionis gratia ; quinto, quod spiritualibus nos bonis repleverit, sese nobis donans panem vitæ.

IV. « Renovabitur ut aquilæ juventus tua[2]. » Deo per regenerationem juventutem nostram quasi aquilæ renovante. Resurrectionis gratiam nobis significat. Aquilæ autem eos qui renovati sunt comparat, avi omnium maxime altivolanti, regiæ, et quæ sola potest radios solis firmiter conspicere.

V. « Faciens misericordias Dominus, et judicium om- » nibus injuriam patientibus[3] » Hic Dominus, inquit, qui sua misericordia quæ dicta sunt dedit nobis, ipse est qui olim justum judicium tulit, et redemit ex Ægypto filios Israël, ac Moysi omnique populo dedit notitiam mandatorum suorum[4].

VI. « Miserator et misericors Dominus, etc.[5] » Hæc hujusmodi beneficii et olim et nunc causa fuere, dicente Moyse : « Dominus longanimis, multæ misericordiæ et » verax : faciens misericordiam in millia[6]. » Has igitur misericordias suas notas fecit Moysi, quæ vocantur viæ,

[1] Psal. CII, 3, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Ibid. 8. — [6] Exod. XXXIV, 6.

et virtutes quibus omnia administrabat. « Non in per» petuum irascetur. » Etiamsi, inquit, iratus est ob Adami prævaricationem, et genus nostrum morte damnavit; sed non usque in finem extendet iram suam : illuxit enim in novissimis temporibus ad destructionem corruptionis.

VII. « Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum [1]. » Ut figmentum suum et opera manuum suarum nos miseratus est.

VIII. « Misericordia autem Domini ab æterno [2]. » Simile est illud : « Et faciens misericordiam in millia ti» mentibus me. »

IX. « Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant » testamentum ejus [3]. » Sanctus enim cum sit, in sanctis requiescit, in angelicis videlicet virtutibus.

X. « Dominus in cœlo paravit sedem suam [4]. » Requiescit, inquit, in cœlestibus spiritibus : neque tamen terrena ab ejus regno sunt avulsa. Ipse enim est qui utpote Deus omnium dominatur. « Et regnum ipsius om» nibus dominabitur. » Dominari omnibus, at non regnare, dictum est, quandoquidem non omnes regno ejus digni sunt. Quapropter iis qui evangelicam agunt vitam, regnum cœlorum Salvator pollicitus est. Imperat autem Dominus iis qui digni sunt.

XI. « Benedicite Domino omnes angeli ejus [5]. » Docet populum qui accedit ad fidem, eum qui hymnis vacat, eamdem quam Angeli dignitatem habiturum. Nam si hoc eorum ministerium est, laudare et celebrare Deum : et hoc ipsum anima facere jubetur; cum illa glorificare semper Deum dicatur, manifestum est eamdem consequi dignitatem. Nam quorum idem officium, eadem et dignitas.

XII. « Benedicite Domino omnes virtutes ejus [6]. » Non

[1] Psal. CII, 14. — [2] Ibid. 17. — [3] Ibid. 18. — [4] Ibid. 19. — [5] Ibid. 20. — [6] Ibid. 21.

solum Angeli ad laudem vocantur; verum si quis alius est cœlestis ordo, sive throni, sive principatus, sive potestates, sive dominationes. Hos nimirum ordines omnes per virtutes nobis significavit.

PSALMUS CIII.

Davidis de mundi ortu. Caret inscriptione apud Hebræos [1].

ARGUMENTUM.

Postquam in præcedenti psalmo populum qui accedit ad fidem docuit hymnos offerre Deo; his docet et declarat quanta sit res ejus erga omnes providentia. Quia non modo cœlestium et aëriorum providentiam gerit, sed etiam terrenorum vel tenuissimorum; ita ut ne vilissima quidem animalia negligat, sed etiam eorum curam gerat.

I. « Benedic anima mea Domino. » Docet animam Deo ob magnam providentiam ejus benedicere, sicut in præcedenti de liberatione a peccatis. « Domine Deus » meus magnificatus es vehementer. » Ad tuam providentiam respicientes, o Domine, ejusdem providentiæ tuæ præstantiam magnificamus stupore perculsi. Ita enim nostram confessionem et decorem, id est, laudem cum glorificatione induit ceu quoddam vestimentum.

[1] Psal. CIII, 1.

II. « Amictus lumine sicut vestimento[1]. » A spirituali lumine hymnum orditur ipsi. Ut autem alio loco dicitur lucem habitare inaccessibilem, hic eodem lumine amictus dicitur.

III. « Extendens cœlum sicut pellem[2]. » Secundum hoc providentiæ opus proponitur, quod manu artificis cœlum quasi quoddam expansum extendatur. Una quoque formam declarat atque facilitatem opificis. Quemadmodum enim homini facile est pellem extendere; ita et Deo cœlum nondum existens condere. Simul aliud adumbravit sublime cogitatum, quod ad aliam vitam iter instituamus, et præsentia sint umbra futurorum, ac nondum ad adyta penetraverimus, sed adhuc in præsenti vita ceu in scena simus. Nam scena eorum est quæ solvuntur. *Et post pauca*[3]. Ita in cœlo commutato aliud erit vitæ et sortis genus præsenti melius. Erit enim cœlum novum et terra nova. Sed audiamus quænam de cœlo Prophetæ dicant, ut ora obturemus eorum qui magnam in barba confidentiam habent, qui quæ sese ultro offerunt menti loquentes, dicunt etiam sub terra cœlum esse, contra quos stans Propheta dicebat : « extendens cœlum sicut pellem. » Pellis non est sphæra quædam, ut nugantur ipsi; sed solum hemisphærio cuidam similis est. Quod alius Propheta dicebat : « Qui statuit ut fornicem cœlum, et extendit ut tabernaculum » ad habitandum in terra[4]. » Et rursum : « Non nutat » sed stat fixus. » Ita dicit Propheta : « qui fixit cœlum. » Tenuitatemque ejus ad summum usque declarans ait : « Cœlum sicut fumus firmatum est. Qui tegit aquis superiora ejus[5]. » Ostendit non temere aquarum frequentiam in aëre circumferri, sed ipsum rem agere providen-

[1] Psal. CIII, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Hæc non videntur Athanasii esse. — [4] Esai. XL, 22. — [5] Ibid. LI, 6.

tia quadam, ita ut nubium concinnitate et positione videantur tegi cœlorum partes.

IV. « Qui ponit nubem ascensum suum[1]. » Quasi apertius diceret : qui ad ipsas usque nubes providentiam extendit, ascensum enim pro providentia posuit. « Qui » ambulat super pennas ventorum. » Declarat non temere ferri ventorum impetum ; sed ipsum esse quasi aurigam quemdam, quod ascendat super pennas ejus.

V. « Qui facit Angelos suos spiritus[2]. » Qui Angelos, inquit, leves et sublimes facit. « Et ministros suos ignem » urentem. » Ita vidit Moïses in flamma ignis, angelum sibi loquentem.

VI. « Qui fundavit terram super stabilitatem suam[3]. » Postquam ostendit conditoris in cœlo providentiam, progreditur ad providentiam ejus erga terrena. Quod firma illa et gravis cum sit, in humida substantia fundata fuerit.

VII. « Abyssus sicut vestimentum amictus ejus[4], » elementi scilicet terreni. Ait igitur, abysso ceu vestimento circumdedisse terram, totam exterius aquis ambiens. « Super montes stabunt aquæ, etc[5]. » Abyssi aquæ, ait, instar montium sublimes insurgunt, et quasi minitantur submergere terram, sed nutu et potestate tua, quæ per tonitru significatur, recedunt : aut fortasse ideo tonitrua fieri ait, ut ex gestis rebus timore quodam afficiantur aquæ abyssi. Quod si id illis eveniat, multo magis simile nobis contingere necesse est.

VIII. « Ascendunt montes et descendunt campi[6]. » Exaltatæ, ait, aquæ jure montibus comparentur, sed sedatæ, inquit, per timorem tuum, quasi campus et terræ planities efficiuntur. Fundasti quippe ipsis locum,

[1] Psal. CIII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 7. — [6] Ibid. 8.

quem prætergredi non possunt. Atque illud est quod dicitur : « Terminum posuisti quem non transgredientur[1]. » Quare inundare terram non possunt. Simile autem illud est quod mari dicit Propheta : « Hactenus stabis neque » transilies. Sed in te ipso conterentur fluctus tui[2]. »

IX. « Inter medium montium pertransibunt aquæ[3]. » Providentiam celebrat minutatim gesta ejus persequens, scilicet bonitatem ejus cum sapientia conjunctam miratur, necnon perseverantiam Dei in curandis brutis animantibus : nam postquam ipsa condidit, eadem nutrit et potat. Quare montes scindens, aquis transitum fabricatus est.

X. « Potabunt omnes bestiæ agri[4]. » Ita brutis animantibus tam reptilibus quam feris providet, ut ipsis necessaria ad vitam suppeditet. « Expectabunt onagri in » siti sua. » Et illud quoque providentiæ tuæ opus est, ut non solum ad decorem circum torrentes atque in vallibus ac virentibus locis aquæ darentur ; verum etiam inter medium montium, quo agrestium animantium mansuetiora confugiant et in specioso loco quiescant.

XI. « Rigans montes de superioribus suis[5]. » Rigat enim montes et campos, non ex fontibus qui in convallibus sunt, aut ex fluminibus in terra manantibus, sed desuper abundantes suppeditans pluvias. « De fructu » operum tuorum satiabitur terra. » Sicut aquarum copiam dedit, ita et alimentum ex terra paravit.

XII. « Producens fœnum jumentis, et herbam servituti » hominum[6]. » Servitutem hominum vocat mansueta animalia, ut sunt bos, asinus et similia. « Ut educas pa» nem de terra[7]. » Ideo, inquit, jumentorum curam habuisti, ut arantibus illis necessaria ad victum in-

[1] Psal. CIII, 9. — [2] Job. XXXVIII, 11. — [3] Psal. CIII, 10. — [4] Ibid. 11. — [5] Ibid. 13. — [6] Ibid. 14. — [7] Ibid. 15.

veniamus. Nostri enim gratia omnia illa beneficia confert.

XIII. « Saturabuntur ligna campi [1]. » Declarat ea quæ in sylvis vegetant ligna, verbi gratia, cedros, et cætera, ejus nutu augenda fore. Facta sunt autem illa et propter alia quædam, quorum experimentum habemus, et ad nidos passerum. « Erodii domus dux est eorum [2]. » Ipsorum passerum ait ducem esse seu præstare ipsis erodii nidum. Quia electis arborum celsissimis, in abietibus omnium editissimis ut plurimum nidificant.

XIV. « Montes excelsi cervis [3]. » Cervis quoque, ait, in refugium montes dedit, ut eo confugerent a ferocioribus animantibus. « Petra refugium herinaciis. » Quemadmodum cervis montes dedit ad salutem; ita et recessus petrarum herinaciis sive cuniculis dedit. Quare incolumitatem nacti illi, ut superius dictum est : « De » medio petrarum dabunt voces. » Laudem videlicet dantes servanti ipsos.

XV. « Fecit lunam in tempora [4]. » Recurrit iterum ad providentiam quæ in cœlis apparet. Et ob nullam aliam causam factam esse lunam dicit, nisi ad numerum et distinctionem mensium atque dierum. « Sol cognovit » occasum suum. » Divino et ipse mandato obtemperans.

XVI. « Posuisti tenebras et facta est nox [5]. » Hoc ait, ut ne alium diei, alium noctis opificem esse arbitremur.

XVII. « Exibit homo ad opus suum [6]. » Homines nocte impediebantur quominus per vias ad colendam terram pergerent. Sed jam eunt, quæsitum escam : quoniam non illis terra producit fœnum aut herbam.

[1] Psal. CIII, 16. — [2] Ibid. 17. [3] Ibid. 18 — [4] Ibid. 19. — [5] Ibid. 20. — [6] Ibid. 23.

XVIII. « Quam magnificata sunt opera tua, Domi- » ne[1]. » Postquam sermonem de providentia complevit, ad celebrandum eum qui ista condidit jam convertitur : hinc auribus requiem parans[2]. Deinde ad aliam providentiæ partem progreditur, humidæ naturæ transitum enarrans : quæ nunquam hujusmodi fuisset, nisi Dei providentia gubernata fuisset. « Omnia in sapientia fe- » cisti. » Mirabile hoc est, ut et sapientia qua hoc effecit, est enim Christus Dei virtus et Dei sapientia.

XIX. « Draco iste quem formasti ad illudendum ei[3]. » Postquam de mari verba fecit draconis injecit memoriam. Eum nulla alia de causa productum aiens quam ut illuderetur. Et jure quidem de mari loquens hujus meminit : quia tota vita nostra ceu quædam salsugo est, undique agitata, et immanibus commota fluctibus.

XX. « Omnia a te expectant[4]. » Nam sive homines sive agrestium animalium, sive jumentorum sive reptilium greges, ali nequaquam possunt nisi ad victûm necessaria ipse suppeditet[5].

XXI. « Auferes spiritum eorum et deficient[6]. » His ostendit, ipsum esse mortis ac vitæ dominum.

XXII. « Lætabitur Dominus in operibus suis[7]. » Ecquod ejus opus? Quod fecit renovans naturam nostram. His enim significat notitiam Dei hominibus futuram, quando Deus lætabitur, non tantum quod ipse adoretur, sed quod salutem nactos videat.

XXIII. « Qui respicit terram et facit eam tremere[8]. » Universale judicium subjungit, quod terrenis omnibus terrorem incutiet. Nemo enim est quin timeat horrendum illud ac divinum tribunal. « Qui tangit montes et » fumigant. » Montes adversarias dicit potestates, quas

[1] Psal. CIII, 24. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 26. — [4] Ibid. 27. — [5] Ibid. 28. — [6] Ibid. 29. — [7] Ibid. 31. — [8] Ibid. 32.

tempore judicii comburet, cujus symbolum est fumus.

XXIV. « Jucundum sit ei eloquium meum[1]. » Eloquium, id est, electio mea. Ait autem quid illud sit quod elegerit, videlicet solum Deum hymnis celebrare, quod ipsi qui celebratur acceptum erit.

XXV. « Deficiant peccatores a terra[2]. » In illo scilicet tempore. Audient enim illud : « Discedite a me maledicti in ignem æternum, paratum diabolo et angelis ejus. Et iniqui ita ut non sint[3]. » In partibus scilicet eorum qui Deo benedicunt non erunt. « Benedic anima mea Domino. » Ipse enim et a malignorum sorte amovebit illos, et sanctorum partibus ascribere dignabitur.

PSALMUS CIV.

Alleluia.

ARGUMENTUM.

Alleluia significat, laus invisibili. Dicuntur autem Angeli hac voce laudare Deum, veluti Cherubim illud : Sanctus, Sanctus, Sanctus. Quod a sanctis patribus qui hæc ipsi audierant traditum est, ut Esaïas Seraphim audivit. Alleluia autem sic dividitur, al, *Deus,* el, *fortis*, uia, *robustus.*

I. « Confitemini Domino et invocate nomen ejus, annuntiate inter gentes opera ejus[4]. » In hoc psalmo jubet, Apostolis Spiritus sanctus ut gentium populo ma-

[1] Psal. CIII, 34. — [2] Ibid. 35. — [3] Matth. XXV, 41. — [4] Psal. CIV, 1, 2.

nifestent mirabilia opera omnia quæ edidit Dominus in adventu suo.

II. « Laudamini in nomine sancto ejus[1]. » Laus enim et gloria iis qui virtutem Dei enarrant. « Lætetur cor » quærentium Dominum[2]. » Docet quanta ex confessione utilitas accedat. Nam si, inquit, quæratis eum, continget vobis lætitia in mente, et ut roboretur ac glorificetur caput nostrum.

III. « Memento mirabilium ejus quæ fecit[3]. » Signorum nempe quæ in adventu suo edidit, sive in novo Testamento, sive in veteri apud Moysen et priscis illis sanctis. Multa quippe et illi per Filium Dei mirabilia fecerunt. Hæc gentibus tradi jubet ab eorum præconibus, una cum iis quæ in novo Testamento a Salvatore facta sunt : et simul quæcumque os illius judicavit, cum per veterem tum per novam Scripturam. Jubete, inquit, hæc ceu regias leges custodiri. « Prodigia ejus et judicia » oris ejus. » Prodigia, miracula scilicet ab ipso edita, ut ambulare supra mare, mortuum suscitare et cætera. Judicia autem oris ejus, verba quæ diceret, cum impuros dæmones pelleret ab hominibus; aut novi Testamenti mandata.

IV. « Semen Abraham servi ejus, filii Jacob electi » ejus[4]. » Quasi ad Apostolos adhuc sermo dirigitur, ut hæc sit sententia : Quasi semen Abrahæ et servi ejus, et filii Jacob et electi ejus : (ipse namque elegit illos), annuntiate in gentibus, quod ipse sit Dominus Deus noster.

V. « Et pertransierunt de gente in gentem[5]. » A gente Babyloniorum ad Palæstinos.

VI. « Et corripuit pro eis reges[6]. » Abimelechum ob ejus erga Saram intemperantiam.

[1] Psal. CIV, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6. — [5] Ibid. 13. — [6] Ibid. 14.

VII. « Nolite tangere Christos meos [1]. » Christi vocantur Abraham cum suis, quia in visionibus, filii Dei conspectu digni habiti sunt.

VIII. « Et vocavit famem super terram [2]. » Per œconomiam famem induxit, ut ejus causa descendentes in Ægyptum atque aucti terram promissionis acciperent. « Omne firmamentum panis contrivit. » Id ex ira Dei tempore famis contingere solet, ut comedentes homines non firmentur cibo.

IX. « Donec veniret verbum ejus [3]. » Id est, prædictiones somniorum. Ait igitur hactenus mala perpessum esse, atque capitis periculum deflevisse, donec tempus accessit, ut visa per somnum implerentur.

X. « Ut erudiret principes ejus sicut semetipsum [4]. » Simile est illud : « Nonne per Deum venit explicatio eo- » rum? » Non enim somnia Pharaonis explicasset, nisi Deus dedisset ipsi eorum intelligentiam.

XI. « Et intravit Israël in Ægyptum et Jacob accola » fuit in terra Cham [5]. » Filii Noë, Sem, Cham et Japhet. Chami autem filius erat Chanaan. Cujus filius Mesraïm interpretatur Ægyptus, a quo nomen regio accepit. Quando igitur intravit Jacob in Ægyptum verisimile est Cham avum Mesraïmi habitasse in Ægypto, Chanaano in Palæstina habitante. Per Israëlem autem et Jacobum, qui intravit in Ægyptum, ejus etiam filii indicantur. Nam cum septuaginta animabus descendit Israël in Ægyptum, ait Scriptura. « Et Jacob accola fuit in terra » Cham. » Cham genuit Chanaan, Chanaan autem Mesraïm, qui interpretatur Ægyptus. Quare Ægyptum Cham vocat, utpote quæ pertineret ad virum ex Chamo prognatum.

[1] Psal. CIV, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Ibid. 18. — [4] Ibid. 22 — [5] Ibid. 23.

XII. « Et auxit populum suum vehementer [1]. » Ita ut Pharao diceret : ille scilicet qui non cognoscebat Josephum. « Ecce nunc magna est multitudo et fortior nobis » est [2]. » Nunquam enim aucti et prævalidi facti essent, nisi Josephi patrocinium et Pharaonis gratiam nacti essent.

XIII. « Convertit cor ejus ut odiret populum ejus[3]. « Quoniam in honore habiti apud Ægyptios, in similem atque illi idololatriam delapsi fuerant; ideo curavit ut odirent eos et gravia ipsis opera imponerent, ut afflicti ad Deum confugerent, et locus esset implendæ promissionis ad Abrahamum factæ.

XIV. « Misit Moysen servum suum etc. [4] » Solis quippe Moysi et Aaron verbo revelavit signum mutationis aquarum in sanguinem, atque alia signa.

XV. « Misit tenebras et obscuravit [5]. » Quia Ægyptii relicto creatore creaturæ serviebant; ideo per ipsam creaturam puniebat eos, per aërem scilicet, ignem, terram et aquam.

XVI. « Convertit aquas eorum in sanguinem [6]. » Non enim solum aquarum colorem, sed ipsam saporis qualitatem mutavit; ita ut omnia piscium genera in aqua extinguerentur.

[1] Psal. civ, 24. — [2] Exod. I, 9. — [3] Psal. civ, 25. — [4] Ibid. 26, 27. — [5] Ibid. 28. — [6] Ibid. 29.

PSALMUS CV.

Alleluia.

ARGUMENTUM.

In hoc psalmo recenset peccata prioris populi, docens quo pacto repudiatus ille fuerit. Sunt autem illa, primo quod exacerbaverint eum in mari Rubro, dicentes: An quia non erant sepulcra in Ægypto eduxit nos huc ut nos perderet : *secundo, quod tentaverint Deum in deserto : tertio, quod irritaverint Moysen in castris: quarto, quod fecerint vitulum in Choreb : quinto, quod pro nihilo habuerint terram desiderabilem : sexto, quod initiati sint Beelphegor : septimo, quod irritaverint eum ad aquas contradictionis : octavo, quod non disperdiderint gentes quas dixit Dominus illis, sed adoraverint idola, ita ut filios suos in sacrificium ipsis offerrent.*

I. « Confitemini Domino quoniam bonus [1]..... Beati » qui custodiunt judicium etc. [2] » Ii enim soli digni sunt qui enarrent potentias Domini, qui ea quæ in Scripturis a Deo decreta sunt faciunt, atque omnia cum judicio et ratione exequuntur, et semper ob oculos habent judicium Dei. Hi namque sunt qui « faciunt justitiam, » qui quod justum est opere exequuntur.

II. « Memento nostri, Domine, in beneplacito po-

[1] Psal. cv, 1. — [2] Ibid. 2, 3.

» puli tui [1]. » Ab hinc inducitur persona Judæorum, precantium ut consortes sint salutis gentibus datæ.

III. « Operuit aqua tribulantes eos [2]. » Tribulantes scilicet, nam promiscua turba quæ cum ipsis egrediebatur, non tribulantium sed credentium erat.

IV. « Et crediderunt verbo ejus, et laudaverunt lau- » dem ejus [3]. » Nam cum propter bonitatem Domini additi fuissent fluctus in mari Rubro statim credentes, canticum cecinerunt in Exodo positum. Deinceps vero omnia oblivioni tradiderunt. « Et laudaverunt laudem » ejus [4]. » Quando exibant choreutriæ cum Maria dicentes : « Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus » est [5]. »

V. « Et tentaverunt Deum in inaquoso [6]. » Illud, « tentaverunt Deum in inaquoso, » significat : irritaverunt eum statim post transitum maris Rubri.

VI. « Et mutaverunt gloriam suam in similitudinem » vituli comedentis fœnum [7]. » Gloria ipsis erat Deus, quo dimisso, adoraverunt vitulum.

VII. « Si non Moyses electus ejus stetisset in confrac- » tione [8]. » Quando dixit : « Si dimittis peccatum, di- » mitte : si non dimittis, dele me de libro tuo hoc quem » scripsisti [9]. »

VIII. « Et pro nihilo habuerunt terram desiderabi- » lem [10]. » Quinta accusatio hæc est, post alias, de mari Rubro scilicet, de deserto, de Moyse ad iram concitato, de vitulo in Choreb. Reversi namque exploratores, male loquentes de terra, alios secum abduxerunt excepto Jesu filio Nave, et Chaleb filio Ephone.

IX. « Et murmuraverunt in tabernaculis suis [11]. » Quando reversi exploratores mentem populi averterunt.

[1] Psal. cv, 4. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12. — [4] Ibid. 13. — [5] Exod. xxxii, 32. — [6] Psal. cv, 14. — [7] Ibid. 20. — [8] Ibid. 23. — [9] Exod. xv, 1. — [10] Psal. cv, 24. — [11] Ibid. 25.

X. « Et initiati sunt Beelphegor [1]. » Hoc idolum est Ammanitarum, quod vocatur a Græcis Saturnus.

XI. « Et stetit Phinees et placavit [2]. » Quando Madianitidem cum mœcho occidit. Docemur autem his quanti sit apud Deum vel unius viri pietas.

XII. « Et fornicati sunt in adinventionibus suis [3]. » Hæc docent Judicum et Regum libri, quod traditi sint alias aliis populis, Ammanitis, Amalecitis, Madianitis, alienigenis, eo modo scilicet castigati.

XIII. « Et dominati sunt eorum qui oderunt eos [4]. » Babylonii et Assyrii dominati sunt Israëlitis ob ipsorum impietates.

XIV. « Sæpe liberavit eos. Ipsi autem exacerbaverunt » eum in consilio suo [5]. » Ille pro innata sua erga homines clementia mansuetus illis erat, illi vero compellebant eum ut acerbus esset ipsis. Et rursum, salvavit eum utpote Salvator. Illi autem perierunt, sese operibus perniciosis complicantes : donec cum ea sæpius repetiis ent penitus interirent. Illud autem « sæpe. » Simile est illi : « Quoties volui congregare filios tuos [6]? » Illud autem : « et humiliati sunt in iniquitatibus suis, » illi : « et noluistis. » Cum enim castigationem immisisset, rursum misericorditer cum illis agebat, ipsi vero adversa retribuebant.

XV. « Et dedit eos in misericordias in conspectu om» nium qui ceperant eos [7]. » Hoc ait propter Cyrum, qui dimisit eos ex captivitate, et Darium et Artaxerxem qui pecunias erogarunt ad constructionem Templi.

[1] Psal. cv, 28. — [2] Ibid. 30. — [3] Ibid. 39. — [4] Ibid. 41. — [5] Ibid. 42. — [6] Luc. xiii, 34. — [7] Psal. cv, 46.

PSALMUS CVI.

Alleluia.

I. « Confitemini Domino quoniam bonus [1]. » Post abjectionem Judaïci populi, opportune vocationem gentium per Apostolos factam declarat. Quare jubet laudare Deum et confiteri illi ob magnam ipsius misericordiam.

II. « A solis ortu et occasu, ab aquilone et mari [2]. » Ecquinam ex quatuor terræ lateribus congregati sunt, nisi omnes gentes, quæ olim pietate et religione vacuæ erant, et ne stillam quidem divinam accipientes, sed ingenti siti afflictæ?

III. « Viam civitatis habitaculi non invenerunt [3]. » Non erat eis honestum institutum vitæ, sed magno in errore versabantur.

IV. « Esurientes et sitientes, anima eorum in ipsis de- » fecit [4]. » Neque enim habebant panem confirmantem cor hominis : neque aquam vivam de qua dictum est : « Qui bibit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æter- » num [5]. »

V. « Et deduxit eos in viam rectam [6]. » Fidem scilicet in ipsum. Ipse namque dixit : « Ego sum via. Ut irent » in civitatem habitationis [7]. » Ecclesiam dicit, aut cœlestem Jerusalem.

VI. « Confiteantur Domino misericordiæ ejus.... Quia » satiavit animam inanem [8]. » Quænam illa anima,

[1] Psal. cvi, 1, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Joan. iv, 13. — [6] Psal. cvi, 7. — [7] Joan. xiv, 6. — [8] Psal. cvi, 8.

nisi eorum de quibus dictum est : « Esurientes et sitientes » anima eorum in ipsis defecit [1]? Et animam esurientem » satiavit bonis. » Spirituali videlicet pane.

VII. « Sedentes in tenebris et umbra mortis [2]. » Umbram mortis si dicas esse idololatriam et impietatis opera, nequaquam a vero aberraveris. Ipsæ namque sunt quæ nos separant a vera vita. In hisce versabamur prius, quia exacerbabamus Deum, et consilium Altissimi irritabamus. Oportet enim ex magnitudine et pulchritudine creaturarum, universorum opificem contemplari, et sempiternam ejus virtutem ac divinitatem a creatura mundi intelligere. Nos utpote cæci, in tenebris et umbra mortis degentes, et facultatibus animæ rationalibus præpediti et obdurati, immutavimus gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis hominis corruptibilis et volatilium, et quadrupedum. « Vinctos in mendicitate » et ferro. » Catenis propriorum peccatorum unusquisque constringitur, inops omnis boni et honesti.

VIII. « Quia exacerbaverunt eloquia Dei [3]. » Divinam legem nullatenus admittentes, sed sapientibus hujus sæculi sese instituendos tradentes. « Et consilium Altissimi, » irritaverunt. » Quodnam erat consilium Altissimi, nisi quod velit ipse « omnes homines salvos fieri, et ad agni- » tionem veritatis venire? »

IX. « Infirmati sunt nec fuit qui adjuvaret [4]. » Nemo enim poterat peccatum destruere.

X. « Et de necessitatibus eorum liberavit eos [5]. » Ecquænam major necessitas, quam ut quis malignorum spirituum servus sit, in ignorantia mentis, animi mendicitate, et paupertate per malitiam inducta.

XI. « Et vincula eorum disrupit [6]. » Illud, « disrupit, » repentinam peccati destructionem indicat.

[1] Psal. cvi, 9.—[2] Ibid. 10.—[3] Ibid. 11.—[4] Ibid. 12.—[5] Ibid. 13.—[6] Ibid. 14.

XII. « Confiteantur Domino misericordiæ ejus [1]. » Eadem ipsa de beneficiis ejus repetit. « Quia contrivit por- » tas æreas [2]. » Descensum Salvatoris ad infernum significat, quo cum pervenisset portas inferni aperuit, olim vinculis insolubilibus, omnibus clausas. Non enim facultas erat volentibus retrogredi; sed ipse dixit « iis qui » vincti sunt : Exite, et iis qui in tenebris : Revela- » mini [3]. »

XIII. « Omnem escam abominata est anima eorum [4]. » Non enim aderat verbum quod posset eos enutrire. Portæ autem mortis sunt peccata quæ ad mortem ducunt.

XIV. « Et sacrificent ei sacrificium laudis [5]. » Ad sanctos Apostolos sermonem convertit : ipsi namque sunt qui mysteria novi Testamenti nobis tradiderunt.

XV. « Posuit flumina in desertum [6]. » Judæorum volubile ac improbum genus dicit. Nam eos qui olim fame tabescebant, et spirituali cibo egentes erant, propter ea flumina collocavit.

XVI. « Terram fructiferam in salsuginem [7]. » Judæorum synagogam inquit. Erant dæmones habitatores terrenæ civitatis, quem fructum impietas ferebat. Eam autem exsiccarunt ipsi Apostoli sale doctrinæ, de quibus ait : « Vos estis sal terræ [8]. »

XVII. « Posuit desertum in stagna aquarum [9]. » Populum gentilem significat, nam commixta est prophetia, duorum populorum ferens personam. Illius scilicet abjectionem, hujus introductionem.

XVIII. « Et constituerunt civitates habitationis [10]. » Bonam videlicet et cœlestem vitæ rationem.

XIX. « Et seminavit agros et plantavit vineas [11]. »

[1] Psal. cvi, 15. — [2] Ibid. 16. — [3] Esai. xlix, 9. — [4] Psal. cvi, 18. — [5] Ibid. 22. — [6] Ibid. 33. — [7] Ibid. 34. — [8] Matth. v, 13. — [9] Psal. cvi, 36. — [10] Ibid. 36. — [11] Ibid. 37.

Agros intelliges ab hujusmodi dicto : « Exiit qui seminat » seminare semen suum [1]: » vineas autem Ecclesias, ut dictum est : « Vineæ floruerunt, odorem dederunt [2]. »

XX. « Et jumenta eorum non minoravit [3]. » Jumenta vocat eos qui irrationabiliores sunt in Ecclesia, juxta dictum illud : « Ut jumentum factus sum apud te [4]; et, » homines et jumenta salvabis, Domine [5]. »

XXI. « Et pauci facti sunt [6], » Qui in priori scilicet populo erant.

XXII. « Effusa est contemptio super principes eorum [7]. » Scribas et Pharisæos dicit. « Et errare fecit eos in invio » et non in via. » Errant enim, inquit, quia ignorant eum qui dixit : « Ego sum via [8]. »

XXIII. « Et adjuvit pauperem in inopia [9]. » Ecquis pauper, nisi de quo dictum est : « Beati pauperes spiritu? « et posuit sicut oves familias [10]. » Proprios, inquit, sibi esse existimavit greges ex omnibus familiis coactos.

XXIV. « Videbunt recti et lætabuntur [11]. » Ecquinam recti nisi de quibus dictum est : « Vestri autem oculi » beati quia vident [12]. Et omnis iniquitas oppilabit os » suum. Deus qui justificat, quis est qui condemnet [13]? »

[1] Matth. XIII, 3. — [2] Cant. II, 13. — [3] Psal. CVI, 38. — [4] Psal. LXXII, 23. — [5] Psal. XXXV, 7. — [6] Psal. CVI, 39. — [7] Ibid. 40. — [8] Joan. XIV, 6. — [9] Psal. CVI, 41. — [10] Matth. V, 3. — [11] Psal. CVI, 42. — [12] Matth. XIII, 16. — [13] Rom. VIII, 33.

PSALMUS CVII.

Canticum Psalmi ipsi David [1].

ARGUMENTUM.

In hoc quoque psalmo adventus Domini ad gentes prædicatur. Cum autem versus omnes hujus psalmi in præcedentibus explicati fuerint, supervacaneum esset iisdem ipsis uti ad horum interpretationem.

I. « Paratum cor meum Deus [2]. » In hoc quoque psalmo adventus Domini ad gentes prædicatur, horum vero explicationem in quinquagesimo nono psalmo attulimus.

II. « Exurge gloria mea [3]. » Gloria autem ejus est habitus contemplandi et agendi, secundum quem ad moralem et administratoriam virtutem est propensus.

III. « Quia magna est super cœlos misericordia tua [4]. » Tanta est misericordia tua, ut cœlorum altitudinem exsuperet, et ubique transiliunt veritatis tuæ radii, Prophetis, Apostolis et magistris terram per ejus stillas irrigantibus.

IV. « Exaltare super cœlos Deus [5]. » Ab initio ad hunc versum usque idem est hic psalmus atque quinquagesimus sextus; ab hoc autem versu ad finem, idem atque quinquagesimus nonus. Et jam quæ competebant dicta sunt.

[1] Psal. cvii, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6.

V. « Exaltabor et dividam Sichima [1]. » Promittit se Judæorum præstantissima et pretiosissima gentibus divisurum et in hæreditatem distributurum. Nam utpote bonus pater, filios multos cum gaudio suscipit et possidet. Hæc porro figurate, et per ænigma atque obscure loquitur. In valle namque gentium, locus hic, Sichem aut Sichima situs erat : in quo Jacob cum ex Mesopotamia ascendisset cum filiis suis habitavit. Ubi Dinam Jacobi filiam Emor filius Sichem, puellæ pulchritudine captus, rapuit et vitiavit. Tum filii Jacob eum cum omni populo suo obtruncarunt. Ita Sichima, convallis tabernaculorum, ad possessionem Patriarchæ devoluta est. Hunc itaque locum Jacob cum terram filiis suis divideret, quasi præcipuam sortem Josepho dedit : quia juvenis cum esset, ejusmodi facinoris consors cum fratribus non fuisset. Ideoque se divisurum et distributurum; ut præstantiorem illam novi Joseph Christi hæreditatem figurate intelligas gentibus dividendam esse.

PSALMUS CVIII.

In finem, Psalmus David [2].

ARGUMENTUM.

Præsens psalmus passiones Christi significat, necnon supplicia de Juda et de populo Judaïco sumenda. Quæcumque porro in hoc psalmo optando dicuntur, prophetice omnia dicta fuisse sciendum est. Ut cum

[1] Psal. CVII, 8. — [2] Psal. CVIII, 1.

dicit : Diabolus stet a dextris ejus; *perinde est ac si diceret :* Stabit. *Non enim optat ut id eveniat; sed quæ ejus improbitatis causa eventura sint ipse prænuntiat: quod etiam de aliis similiter dicendum. Habeant illi, inquit, calumniatores, qui non abscedant ab eis. Si porro judicentur, ab illis damnentur. Imo etiam si te in tempore angustiæ invocaverint, id illis in peccatum computetur, revocata peccatorum ipsorum memoria. Dies eorum abbrevia : ut ipsis adhuc viventibus ac videntibus, dignitatem illam qua nunquam vere potiti sunt alter rapiat. Deinde ipsos tolle de medio, ita ut ipsorum calamitas ad eorum posteros devolvatur : et filii eorum sint orphani, et uxor eorum viduitate affligatur : ac filii vi pertracti atque raptati, de patrum sceleribus pœnas luant.*

I. « Deus laudem meam ne tacueris [1]. » In Ecclesiis Christi quantumcumque per orbem multiplicentur et exoriantur, laudat Deus Filium suum. Ait igitur Patri suo Christus. Etiamsi Judas cum me tradidit visus sibi fuerit impedire laudem meam; at tu me laudato, deitatique meæ præbe testimonium, quam quia non credidit Judas, me tradidit. « Quia os peccatoris et os dolosi su- » per me apertum est. » Peccatoris, scilicet diaboli; ipse namque peccator adversus veritatem : dolosi autem, Judæ nempe : ambo enim contra Christum locuti sunt.

II. « Pro eo ut me diligerent detrahebant mihi [2].... et » posuerunt adversum me mala pro bonis etc.[3] » Verba alia amoris sunt, alia odii; alia ad neutrum pertinent. Adulabatur namque ille ceu magistrum, atque dolis id contendebat ut magistrum proderet.

III. « Constitue super eum peccatorem [4]. » Peccator

[1] Psal. cviii, 2. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6.

est ipse peccati inventor Satanas. Illud autem, « constitue, » positum est pro, futurum est ut constituatur. « Super eum, » super quem nisi proditorem Judam? « Et diabolus stet a dextris ejus. » In Zacharia quoque scriptum est : « Et ostendit mihi Dominus Jesum sacer» dotem magnum, stantem ante faciem Angeli Domini; » et diabolus stabat a dextris ejus, ut adversaretur ipsi[1]. » Non adversatur autem Judæ.

IV. « Cum judicatur exeat condemnatus[2]. » In futuro, inquit, tribunali nullam habebit defensionis rationem. « Et oratio ejus fiat in peccatum. » Quidam sunt quorum vel ipsa oratio in peccatum evadit, ut exempli causa, gentilium, qui idolis vel creaturæ preces fundunt : et Judæorum qui Deum quidem orant, sed non per Jesum Christum; necnon hæreticorum qui Deum non vere existentem orant : item eorum qui cum ira et cogitationibus alienis, vel animo duplici precantur, oratio fit in peccatum.

V. « Fiant dies ejus pauci[3]. » Nam statim a proditione, laqueo se præfocans interiit, nec ultra visus est. « Et episcopatum ejus accipiat alter. » De Matthia loquitur, qui ad Apostolorum clerum justitiæ causa allectus est.

VI. « Fiant filii ejus orphani etc.[4] » Filii sunt ejus cogitationes : orphani namque gratia Christi fuere. Uxor autem, ejus est anima, nam et ipsa vidua fuit lapsa a Christo per iniquitatem suam. « Nutantes transferantur » filii ejus et mendicent[5]. » Cogitationes enim ejus, quas esse filios ejus diximus, a Christo remotæ, præ avaritia ad pecuniam manum extenderunt, ut egeni et mendici.

VII. « In memoriam redeat iniquitas patrum ejus in

[1] Zach. III, 1. — [2] Psal. CVIII, 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9. — [5] Ibid. 10.

» conspectu Domini [1]. » Populi ipsius videlicet : proditori namque prævaricatorem populum adjungit. Iniquitatem autem patrum dicit, quod occiderint Prophetas, juxta illud Domini dictum [2]: quod scilicet omnis sanguinis justi effusi ab Abele usque ad Zachariam Prophetam pœna sumenda sit ab hac generatione. « Et peccatum » matris ejus non deleatur. » Matrem impii populi, improbam illam Synagogam intelligas, quæ plerumque Deum exasperavit.

VIII. « Fiat contra Dominum semper et dispereat de » terra memoria eorum [3]. » Cum, inquit, Deus omnia ejus facinora semper viderit, nullatenus miserabitur eum, perinde atque omnes qui non crediderunt. Neque enim de solo Juda loquitur, cum pluraliter, « memoria » eorum, » dicatur. Alio modo dici potest, Patres Judæ indicari, qui ad proditionem genuerunt illum. Hi autem fuerint, qui per argenteos perpulerunt illum. Et primus eorum Satanas est, qui immisit in cor ejus, necnon principes sapientia præditi hujusce mundi, de quibus ait Paulus. « Nam si cognovissent, nunquam Dominum » gloriæ crucifixissent. Et dispereat de terra memoria » eorum [4]. » Memoria Judæ scilicet; aut alio modo, principum eorum qui adversus Christum una steterunt. Neque enim semen eorum remansit ad memoriam eorum.

IX. « Pro eo quod non est recordatus facere miseri- » cordiam [5]. » Noluit, inquit, misericordiam accipere, quam dedit Pater hominibus, et ipsis ovibus quæ perierant ex Israël. Nam, facere, hic positum est pro, accipere.

X. « Et persecutus est hominem inopem et mendi- » cum [6]. » Ipsum ait Dominum, « qui factus est pauper » cum dives esset, ut nos ejus inopia ditesceremus [7]. »

[1] Psal. cviii, 14. — [2] Matth. xxiii, 35. — [3] Psal. cviii, 15. — [4] 1 Cor. ii, 8. — [5] Psal. cviii, 16. — [6] Ibid. 17. — [7] 2 Cor. viii, 9.

« Et compunctum corde mortificare. » Id est, dolentem : dolebat enim videns eorum perniciem. Hunc igitur qui propter eos dolebat ad mortem quærebant.

XI. « Et dilexit maledictionem.... et inquit maledic-» tionem sicut vestimentum [1]. » Quando, inquit, finem facientes me benedicendi, maledicunt mihi quotidie : id namque ad hunc usque diem Judæi agunt ; ideo omnia superius memorata evenient ipsis. « Et intravit sicut » aqua in interiora ejus. » Non modo enim exterius sed etiam interius circumsistunt nos mala inundantia. « Et » sicut oleum in ossibus ejus. » Oleum enim habet stabilem humiditatem. Malorum porro colluviem dicit. Siquidem aqua vehementiam denotat; oleum autem stabilitatem. Quibus inquit malis quasi vestimento operiatur, et quasi zona præcingatur [2].

XII. « Hoc opus eorum qui detrahunt mihi apud Do-» minum, et qui loquuntur mala adversus animam » meam [3]. » Hos percipient fructus qui odium adversum me susceperunt, et proditor qui eorum administer fuit. Cum enim eum Deo adversarium ac prævaricatorem vocarent, jure ait : « Qui detrahunt mihi apud Dominum.»

XIII. « Et tu Domine, Domine, fac mecum propter » nomen tuum [4]. » Hæc item Dominus Christus secundum humanitatem loquitur. Humana enim omnia præter peccatum implevit. Natus enim est secundum naturæ legem. Nasci enim ex muliere, id humanæ naturæ est; supra humanam autem naturam est nasci ex Virgine. Admisit pannos et circumcisionem, necnon lactis alimentum : hostias obtulit, jejunavit, esurivit, sitivit, lassus fuit : ita diu orasse illum in sacris Evangeliis scriptum est. Pariterque nunc humano more divinum implorat auxilium.

[1] Psal. CVIII, 18. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 20. — [4] Ibid. 21.

XIV. « Libera me quia egenus et pauper ego sum [1]. » Hoc ab ipso in sacris Evangeliis dictum invenimus. Accessurus enim ad passionem ait : « Nunc anima mea turbata est [2]. Et quid dicam : Pater salva me ex hac hora. » Abba, propterea veni in hanc horam. »

XV. « Sicut umbra cum declinat ablatus sum [3]. » Perinde atque umbra declinans, finem vitæ inveni : sed et instar locustarum a vento circumquaque raptarum, vitam egi, non urbem, non vicum, non domum habens, alias ad alia loca et ad montes commigrans, interdum ad desertum accurrens.

XVI. « Viderunt me et moverunt capita sua [4]. » Hoc ait quia dum in cruce esset, movebant capita sua, et dicebant : qui templum solvis, salvum fac temetipsum [5].

XVII. « Et sciant quia manus tua hæc [6]. » Manus vocat opus illud quo sese ex mortuis excitavit.

XVIII. « Maledicent illi, et tu benedices : qui insurgunt in me confundantur [7]. » Nam pudore affecti sunt omnes, quod non esset ipsis sacerdos, nec sacrificium, nec altare, nec sacerdotium, neque Rationale, juxta Prophetæ vocem. « Servus autem tuus lætabitur. » Neque hoc dictum ad aliud argumentum transferre necesse nobis est; cum Paulus dicat : « Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens [8] : » et Esaïas : « Sic dicit » Dominus qui formavit me ex utero servum sibi [9] : » et ipse in Evangeliis ait : Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare [10]. »

XIX. « Induantur qui detrahunt mihi pudore [11]. » Ecquod non est Judæis pudoris genus. Sancta sua vident a fundamentis diruta : sepulchrum autem ejus qui ab ip-

[1] Psal. CVIII, 22. — [2] Joan. XII, 27. — [3] Psal. CVIII, 23. — [4] Ibid. 25 — [5] Matth. XXVII, 40. — [6] Psal. CVIII, 27. — [7] Ibid. 28. — [8] Philipp. II, 7, — [9] Isai. XLIX, 5. — [10] Matth. XX, 28. — [11] Psal. CVIII, 29.

sis despectui habitus ac crucifixus est adorari : ecclesiasque ejus ubique terrarum tantum numero et gloria augeri.

XX. « Confitebor Domino nimis in ore meo. [1] » Confessio gratiarum actionem significat, quam per gentes Filius reddit. « Et in medio multorum laudabo eum. » Per Ecclesiam namque Patrem laudat.

PSALMUS CIX.

I. « Dixit Dominus Domino meo : sede a dextris » meis [2]. » Hisce verbis generationem Domini secundum carnem significat, et evangelicum ejus verbum, quod omnibus gentibus dominatur : et ejus ascensum in cœlos, quem enarrat psalmus dicendo : « Dixit Dominus Do- » mino meo : sede a dextris meis. »

II. « Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum » tuorum. » Quinam hostes sint declarat Apostolus cum clamat : « Cum evacuaverit principatus et potestates et » rectores mundi, novissima omnium inimica mors » destruetur [3]. »

III. « Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion etc. [4] » Evangelicum dicit verbum, quod emissum inimicis omnibus dominatum est.

IV. « Tecum principium in die virtutis tuæ [5]. » His significat aut judicii tempus, quo virtute divina omnes judicabit veniens cum sanctis angelis suis; aut tempus generationis illius, quæ etiam dies virtutis appellatur.

[1] Psal. cviii, 30. — [2] Psal. cix, 1. — [3] 1 Cor. xv, 26. — [4] Psal. cix, 2. — [5] Ibid. 3.

Tecum enim erit principium. Nam dominatur universis etiamsi factus sit homo. « In splendoribus sanctorum tuo- » rum. » Illud : « In splendoribus sanctorum tuorum, » nihil aliud significat quam choreas illas sanctorum angelorum, clamantes qua nocte natus Christus est : « Gloria » in excelsis Deo, et in terra pax. Ex utero ante luci- » ferum genui te[1]. » Vide quo pacto Pater Unigeniti generationem secundum carnem sibi propriam efficit. Ait enim Pater ad Filium. Ante mundum hunc visibilem, et splendidum lumen ego te genui. Non quod ventrem Deus habeat; sed quia germana, et non spuria, ex ventre primogenituræ oriri solent.

V. « Juravit Dominus et non pœnitebit eum[2]. » Juramentum Dei, est verbum ejus, quod auditores certiores facit, et fidem cuique dat, quæ ipse promittit ac loquitur omnino futura esse. Non enim perinde atque homo Deus jurat; sed verbum ejus nobis instar juramenti est ad veritatem : nimirum omne verbum ejus tale est ut nunquam pœniteat ipsum, quippe cum promissi juramento firmati fidem habeat. « Tu es sacerdos in æter- » num secundum ordinem Melchisedec. » Quia non oleo Melchisedec ad sacerdotium unctus est, quemadmodum Aaron : quia non cruentas obtulit hostias : quia gentium pontifex erat, et quia per panem et vinum benedixit Abrahamo.

VI. « Dominus a dextris tuis confregit in die iræ suæ » reges[3]. » Diem iræ, judicii tempus esse dicit, quo homines qui olim ex fallacia dæmonum regnabant, confringet, intra abyssum concludens ipsos.

VII. « Judicabit in nationibus implebit ruinas[4]. » Nationes, inquit, impurorum dæmonum puniens in tempore judicii, ruinis plenas ostendet, id est, pœnis

[1] Luc. II, 14. — [2] Psal. CIX, 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 6. —

in inferioribus partibus terræ infligendis. « Conquassa- » bit capita in terra multorum. » Simile illud est dicto Domini per Esaiam : « Et dejeci sanguinem ipsorum in » terram [1]. »

VIII. « De torrente in via bibet [2]. » Torrentem vocat Scriptura tentationem. Viam autem dicit, descensum ejus in terram, in qua passus est qui torrentem descendit. « Propterea exaltabit caput. » Propterea, quare? nisi quia passus est in carne. Simile autem est dictum illud : « Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad » mortem [3]. »

PSALMUS CX.

Alleluia.

I. « Confitebor tibi, Domine, in toto cordo meo [4]. » Ex persona Apostolorum præsens psalmus inducitur, enarrantium quanta et qualia fuere in œconomia, Salvatoris opera. Hæc autem docent novum populum, simul gratias agentem de salute sua, quamobrem Alleluia inscriptus est. « In consilio rectorum et congregatione. » Consilium rectorum dicit novæ synagogæ populum, ad differentiam populi veteris synagogæ. Illa quippe recta non est, utpote quæ semper corde erraverit.

II. « Magna opera Domini : exquisita in omnes vo- » luntates ejus [5]. » In synagoga rectorum omnes voluntates Domini exquisitæ sunt. Nullum enim ejus præcep-

[1] Isaï. xxxvii, 2. — [2] Psal. cix, 7. — [3] Philipp. ii, 8. — [4] Psal. cx, 1. — [5] Ibid. 2.

torum est quod non requirat et impleat synagoga rectorum : semper scilicet studens ejus voluntatem implere.

III. « Confessio et magnificentia opus ejus [1]. » Opera dicit ea quæ in œconomia sua perfecit. Laudentur illa utpote quæ magnifica sint. « Et justitia ejus manet in » sæculum. » Justitiam dicit evangelicum verbum : quia omnibus æqualiter hominibus salutem proposuit.

IV. « Misericors et miserator Dominus [2]. » Olim promisit per Prophetas suos, se in tempore œconomiæ mirabilia facturum, eademque ipsa implere voluit. Quænam vero promisit, nisi ea ; « Tunc aperientur oculi » cæcorum [3], » et reliqua signa? imo vero ipsam gentium omnium vocationem quam verbo et opere implevit. « Escam dedit timentibus se. » Spiritualem panem dicit, qui de cœlis descendit.

V. « Memor erit in sæculum testamenti sui [4]. » Testamenti scilicet cum Abrahamo pacti : « In te benedi- » centur omnes gentes. Virtutem operum suorum [5]. » Apostolicus chorus, inquit, populo ad fidem vocato, virtutem operum Christi annuntiavit, scilicet, ea ipsa opera quæ propria virtute semper operatur.

PSALMUS CXI.

Alleluia. Reversionis Aggæi et Zachariæ.

I. « Beatus vir qui timet Dominum, in mandatis ejus » volet nimis [6]. » In hoc docetur apostolicus chorus, mandatorum observationem, beatos eos efficere qui illa

[1] Psal. cxi, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Isaï. xxxv, 5. — [4] Psal. cx, 5. — [5] Gen. xxii, 3. — [6] Psal. cxi, 1.

opere complent, et bonam spem ad futurum sæculum præbere.

II. « Potens in terra erit semen ejus [1]. » Semen dicit bona opera, quæ virtutem habebunt spiritualem in illa mansuetorum terra, ita ut mercedem istic operum accipiant.

III. « Gloria et divitiæ in domo ejus [2]. » Gloria et divitiæ illæ ne existimentur fluxæ et transitoriæ esse : nihil quippe simile in sanctis reperitur.

IV. « Exortum est in tenebris lumen rectis [3]. » Per cognitionem et per doctrinam. Quod autem lumen, nisi apostolicus chorus, qui per evangelicam prædicationem ignorantiam a gentibus eliminavit?

V. « Disponet sermones suos in judicio [4]. » Non par est enim temere et inconsiderate omnibus mysteriorum verba proponere. Et hoc erat quod dicebat illis Dominus: « Nolite projicere sancta canibus [5]. »

VI. « Ab auditione mala non timebit [6]. » Sanctis nullus inest timor supplicia videntibus.

VII. « Dispersit dedit pauperibus [7]. » Pauperes etiam hic intelligas egenos divini verbi, scilicet gentes : quæ agricolarum more spirituale verbum seminarunt. Nihil enim vetat, quominus hæc historice intelligantur. « Justitia ejus manet in sæculum sæculi etc. » Ejus scilicet qui evangelicum sermonem dispensat.

VIII. « Peccator videbit et irascetur [8]. » Peccatorem hic diabolum vocat, qui gentibus salutem consequentibus irascetur, utpote qui omnium perniciem sitiat.

[1] Psal. cxi, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid 5. — [5] Matth. vii, 6. — [6] Psal. cxi, 7. — [7] Ibid. 9. — [8] Ibid. 10.

PSALMUS CXII.

Alleluia.

ARGUMENTUM.

In hoc docetur novus populus, hymnum incessanter liberatori proferre : atque una significatur omnium gentium vocatio.

I. « Laudate pueri Dominum, laudate nomen Do- » mini [1]. » Docetur novus populus, etiamsi Dominus noster assumptus sit in dextera Patris, attamen etiam nunc plenam esse omnem terram et frui visitatione ejus.

II. « Suscitans a terra inopem [2]. » Videlicet gentium populum.

III. « Qui habitare facit sterilem in domo [3]. » Sterilis fuit gentium multitudo, quæ domus fuit spiritualis, utpote quæ Dominum inhabitantem habuerit. Fuit etiam multorum filiorum mater cum lætitia. Nam filii ejus per fidem in Christum salutem nacti sunt. Hoc autem discrimen est inter eam et synagogam, quod synagoga de filiis lætata non fuerit, utpote perniciei traditis.

[1] Psal. cxii, 1. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 9.

PSALMUS CXIII.

Alleluia.

ARGUMENTUM.

In hoc item psalmo gentium vocatio significatur. Ad hæc, doctrina ad eos qui salutem consequuntur; quod vetus testamentum, Dei esse cognoscant, et pristinam illam salutem populi ex circumcisione, per Dominum factam esse.

I. « In exitu Israël de Ægypto... Facta est Judæa » sanctificatio ejus[1]. » Cum, inquit, liberatus est populus a servitute Ægyptiorum; tunc Judæa facta est sanctificatio ejus. Non in solum autem Israëlem imperavit, sed jam, ait, omnibus gentibus gratia datur.

II. « Montes exultaverunt ut arietes[2]. » Cum Deus in ipsis montibus appareret, quasi exultabant de Israëlis salute.

III. « Quid est tibi mare quod fugisti, et tu Jordanis » quia conversus es retrorsum?[3] » Quoniam illa irrationabilia et inanimata erant, ipse eorum vice respondet. « A facie Domini mota est terra etc.[4] » Hæc singula, ait, ob advenientem Dominum facta sunt. Hac de causa fuit terræ commotio et divisio maris. Ipse namque sterilem petram, ac humiditate omni vacuam, quæ ne incisionem quidem ob duritiem admittebat, aquarum copia

[1] Psal. cxiii, 1, 2. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5. — [4] Ibid. 7.

inundavit, jussitque ut hinc copiosæ aquarum scaturigines emanarent. Nihil igitur, ait, mirum evenit : jussit enim opifex et divisum est mare, ac prærupta petra scaturivit aquam : cœlum manna suppeditavit, venti ortygometram congregaverunt, et reliquia omnia ipso annuente facta sunt.

IV. « Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo » da gloriam [1]. » Videtur adumbrare lapsum populi ex circumcisione : orationemque ipsis tradere ad confessionem, utpote qui divinam virtutem inspectricem ac providentem ultra non habeant. Docet autem eos dicere : Nos quidem indigni gratia sumus qua gentes omnes dignæ habitæ sunt. Verum propter nomen tuum, quod ab initio invocatum est super nos, illud agas. Sed ne nobis justitiæ tuæ retributionem dederis, tu qui vere Deus es, et non sicut idola, quapropter subjungit.

V. « Simulacra gentium argentum et aurum, opera » manuum hominum [2]. » In quibusdam exemplaribus, hæc sunt initium alterius psalmi, ita ut hic sit centesimus decimus quartus. Non autem Hebraïcum sequentes, hæc partem esse statuimus psalmi centesimi decimi tertii. Docentur enim pueri quibus dixit : « Laudate pueri Do» minum [3]; » id est, novus populus. Ecquem Dominum; laudare convenit? Ipsum sane qui in Ægyptios tanta prodigia edidit, postquam didicerunt quales fuerint olim illorum dii. Idola enim nedum quidquam simile Deo prodigia operanti haberent, ne infimis quidem animalibus quibus sensus est quidpiam, paria erant. Nam illa quidem sunt Dei opera, hæc autem idola, artis humanæ : Docentur autem dicere : « Similes illis fiant. » Non quod hominibus mala precentur. Ediscimus autem qui finis idololatriæ deputatus sit. Qui enim quasi sensu carerent idolis

[1] Psal. cxiii, 1. — [2] Ibid. 4 et seqq. — [3] Psal. cxii, 1.

animum adhibent, nihil ab eis secundum mentem differunt. Tantum scilicet ipsis nocumenti afferunt dæmonum illæ latitantes insidiæ.

VI. « Similes illis fiant qui faciunt ea [1]. » Perinde in perniciem ibunt, atque divitiæ et ii qui recondunt illas.

VII. « Domus Israël speravit in Domino etc [2]. » Hæc dicunt gentes : quod scilicet quemadmodum olim credentem Israël salvum fecit ; ita et nunc gentibus salutem tribuet. Nam « qui timent Dominum, » ii gentes fuerint. Sublata quippe domo Israël, id est omni multitudine, et domo Aaron atque Levi; qui alii esse possint qui timent Dominum, nisi gentilis populus?

VIII. « Adjiciat Dominus super nos, super nos et » super filios nostros [3]. » Ipse namque est cujus leges observamus. Ne cogitet enim quispiam alius esse legem Moysis; ante leges, mundi creationem tradidit : per quam docet unum esse Deum, reliqua vero facta.

IX. « Non mortui laubabunt te, Domine [4]. » Mortuos vocat dæmonum cultores, qui non habent in se vitam, id est, solius Dei cognitionem.

PSALMUS CXIV.

Alleluia.

ARGUMENTUM.

In hoc significat certamen eorum qui evangelicum vitæ institutum ingressi sunt, eorumque victoriam Dei nutu reportatam, et futuram pro laboribus coronam.

[1] Psal. CXIII, 8. — [2] Ibid. 9. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. 17.

I. « Dilexi quoniam exaudiet Dominus vocem ora- » tionis meæ [1]. » Ecquem dilexit? Dominum Deum ex toto corde et ex tota mente, et ex tota virtute; et in dilectionis præmium exaudivit illum Deus.

II. « Et in diebus meis invocabo [2]. » Et in quibus diebus, nisi in diebus certaminis cum ejus anima in periculo versabatur?

III. « Circumdederunt me dolores mortis [3]. » Vehementiam significat afflictionum, quæ ipsi pietatis causa acciderunt, quam calamitatem et dolores mortis, et pericula inferni, et afflictionem et dolorem vocat. Sed eo quod invocaverit Deum iis omnibus superior evasit. Quare in procœmiis dicebat; « Dilexi quoniam exaudiet » Dominus vocem orationis meæ. »

IV. « O Domine libera animam meam [4].» Singulariter superius : « Et in diebus meis invocavi. » Jam vero docet quæ sit invocatio, Ecquænam illa est, nisi illa : « o » Domine libera animam meam? » Hæc autem dixit gnarus eum, utpote misericordem, exauditurum esse. « Et Deus noster miseretur [5]. » Misericordia est passio eorum qui commiseratione permoti sunt erga eos qui amissa pristina dignitate humiliati sunt. Quia igitur nos ex nobilibus ignobiles evasimus, amissa paradisi commoratione; videns Deus quales ex qualibus evasimus, miseratur nos. Nam vox misericordiæ Adamum compellavit dicens; « ubi es? » videlicet : unde et quo delapsus es?

V. « Custodiens parvulos Dominus [6]. » Parvulos dicit eos qui per Spiritum sanctum in Christo regenerati sunt: qui secundum Jesu Christi præceptum, parvuli sunt, quia scilicet conversi sunt et effecti sunt sicut parvuli.

[1] Psal. CXIV, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4. — [5] In Reg. 2. hæc dicuntur Didymi. — [6] Psal. CXIV, 6.

Eos Dominus custodit, neque permittit ab inimicis oppugnari, quia nondum tempus certaminis. [*Alius codex.*] Parvulos enim vocat eos qui per Spiritum sanctum in Christo Jesu regenerati sunt. Et juxta simplicem sermonis usum, in utero ipse infantes custodit : ac in eo loco tam angusto, tantaque humiditate pleno, ubi nec movendi nec respirandi facultas, impedit ne præfocentur, atque motum et escam tribuit, prohibetque ne ex frigore extinguantur, quando ex calore vulvæ in locum aëre et vento circumfusum transeunt. Aut sic : quoniam humiliatus sum sicut parvulus, et quasi infans suscepi regnum cœlorum, qui custodit parvulos Dominus salvavit me. Alio item modo : eos qui justa præceptum Jesu Christi conversi efficiuntur ut parvuli, ipse Dominus custodit : et quia nondum tempus belli est, tentari non sinit. Sed me, utpote qui pueris longe fortior essem, magnis certaminibus humilians, inexpugnabilem tamen conservavit.

VI. « Convertere anima mea in requiem tuam [1].» Requiem ejus dicit supernas mansiones, quas in certaminum præmium nanciscetur. Requies item animæ est temperantia a peccatis.

VII. « Quia eripuit animam meam de morte etc [2].» De morte peccati, inquit, in quam metuens ne decideret, collacrymandi finem non faciebat, rogans ut ipsam effugere liceret. Quamobrem ejus pedes, id est, gressus animæ, apud Deum firmi steterunt, omni lapsu liberi et superiores. Regionem autem vivorum vocat cœlestem Jerusalem [3] in qua qui secundum Deum pugnaverunt, utpote fortissimi victores, audient illud : « Euge serve » bone et fidelis [4]. »

[1] Psal. cxiv, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Matth. xxv, 21.

PSALMUS CXV.

Alleluia.

I. « Credidi propter quod locutus sum [1]. » Postquam dixit : Credidi propter quod locutus sum, cum Domino placuisset, in supernis mansionibus constitutus, ait : se nunquam isthæc prolaturum fuisse, nisi Dei promissionibus confidisset : erant autem illæ misericordia plenæ, scilicet : « Beati qui nunc flent quoniam ipsi gaude» bunt [2]. » Quod si oculi lacrymis fuere pleni, gaudium sane in illis mansionibus percepturi sunt. Hoc porro dictum Corinthiis profert Paulus : « Habentes, ait, eum» dem spiritum fidei : secundum illud : Credidi, propter » quod locutus sum [3]. Corde enim creditur ad justi» tiam : ore autem confessio fit ad salutem ; et nos cre» dimus, propter quod et loquimur [4]. » Cum autem spiritum fidei dicit, aut ejusdem fidei habitum intelligit aut spiritum ex Deo ei qui fidem habet, datum. Concinit autem huic dicto : « Credidi propter quod locutus » sum, » illud quoque dictum : « Nisi credideritis, non intelligetis. « Primum quis credit, postea intelligit, ac deinde loquitur. Cum autem, inquit, postquam credidi, magna locutus sum, tunc videns me nihil esse « humi» liatus sum nimis. » Simile est illud Joannis de Jesu loquentis : « Illum oportet crescere, me autem minui [5]. » Minuebatur enim non quod vel tantillum magnitudinis

[1] Psal. cxv, 10. — [2] Matth. v, 5. — [3] 2 Cor. iv, 13. — [4] Rom. x, 10. — [5] Joan. v, 30.

suæ amitteret : sed in comparatione excellentissimæ Christi doctrinæ ac conversationis. Ita quoque nunc illud : « humiliatus sum, » non secundum quamdam celsitudinis suæ detractionem intelligit, sed ex majori quam pro facultate ejus speculatione.

II. « Ego dixi in excessu meo : Omnis homo men-» dax[1].» Supra hominem effectus, inquit, omnia humana vilia et abjecta esse duxi. Nam excessus, immutationem significat. Postquam dixeram, inquit : « Placebo Do-» mino, » deinde videns omnem hominem mendacem esse : nam cogitationes hominum dolosæ sunt; ideo memetipsum humiliabam, et me macerationibus affligebam, ne ab illo statu dilaberer.

III. « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum » ejus[2]. » Alia, inquit, retributio, nobis non erit pro bonis quæ accepimus a Deo, nisi quod pro illo mortem sustineamus, atque ita Dominum nostrum imitemur. Hæc autem mors valde pretiosa erit apud Deum.

IV. « O Domine, ego servus tuus et filius ancillæ tuæ[3].» Cum fiducia sese servum dicit, secundum Apostolum : ancillæ autem filium, loquens de priore initiatione per legem facta.

V. « Dirupisti vincula mea[4]. » Et quæ vincula, nisi peccati, juxta dictum illud : « Vinculis enim peccato-» rum suorum unusquisque constringitur? Tibi sacrifi-» cabo hostiam laudis[5]. » Quasi in profectu et majore perfectione, sacrificia per sanguinem recusat, sacrificia vero laudis oblaturum se promittit.

VI. « Vota mea Domino reddam[6]. » Vota id est promissiones. Quid autem promisit, nisi quod accepto calice Domini, invocaturus esset nomen ejus? Quod fa-

[1] Psal. cxv, 11. — [2] Ibid. 15. — [3] Ibid. 16. — [4] Ibid. 17. — [5] Prov. v, 22. — [6] Psal. cxv, 18.

ciam, inquit, cum in divinis aulis ero; id est, in ecclesia Christi, vel in superna Jerusalem.

PSALMUS CXVI.

Alleluia.

I. « Laudate Dominum omnes gentes.... quoniam » confirmata est super nos misericordia ejus [1]. » Nunquam gentes talem mutationem experti fuissent, inquit, nisi peccatis nostris validior fuisset misericordia Dei. « Et veritas Domini manet in æternum. » Salutem enim dedit quam per sanctos Prophetas promiserat. Id et beatus Paulus, ordiens litteras ad Romanos, ait : « Paulus servus Jesu Christi, vocatus Apostolus, segregatus » in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis sanctis [2]. » Et iterum : « Dico » Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei, ad confirmandas promissiones patrum : Gentes autem super misericordia honorare » Deum [3]. » Quando igitur universorum Deus implevit promissiones, et salutem quam pollicitus est dedit, ac misericordiæ fontes aperuit omnibus; et vos qui ex Judæis processistis, et vos qui ex gentibus credidistis, concordes hymnos commiscentes, benefico vicem reddite.

[1] Psal. cxvi, 1, 2. — [2] Rom. i, 1. — [3] Rom. xiii, 8.

PSALMUS CXVII.

Alleluia.

ARGUMENTUM.

Docetur novus populus compositus ex Judæis et gentibus, unum solum oportere auxiliatorem invocare, ipsum scilicet quod humanam assumpsit naturam Dei Verbum, atque ex ipso in tempore persecutionis auxilium omne quærere, scilicet opem ex cœlo missam : ipsique referre gratiarum actiones pro victoria, atque ab ipso vias virtutis petere : et ad hæc omnia, confiteri Domino qui nominatur lapis : reprobatus quidem ab ædificantibus, sed factus in caput anguli.

I. « CONFITEMINI Domino quoniam bonus, quoniam » in sæculum misericordia ejus. Dicat nunc domus Israël [1]. » Ipsos priores confessionem inire jubet, utpote qui primi vocati fuerint per evangelicam prædicationem.

II. « De tribulatione invocavi Dominum, et exaudi» vit me in latitudine [2] : » Duo docet hic versus, quod tribulationes habere debeant qui accedunt ad fidem : juxta illud : « Accedis ad serviendum Domino, præpara » animam tuam ad tentationem [3]. » Et quod is qui in ærumnis versatur, non alium debeat adjutorem invocare quam ipsum Dominum, qui tribulationem nos-

[1] Psal. CXVII, 1 et seqq. — [2] Ibid. 5 et seqq. — [3] Eccli. II, 1.

tram in latitudinem magnam deducit. Pro parvis namque laboribus magnas accipiemus mercedes.

III. « Omnes gentes circuierunt me.... Circumdederunt me sicut apes favum, et in nomine Domini » ultus sum eos [1]. » Dei namque populus solum vocabat Deum, et nomen ejus memorans, hostes visibiles et invisibiles ulciscebatur : homines autem his insidiantes, solis confidunt principatibus et potestatibus hominum. Illud autem ; « omnes gentes, » hyperbolice dictum : nam Judæam omnem circumdabant omnes gentes. Ac simile est dicto illi : « In matutino interficiebam omnes peccatores terræ ; » id est cogitationes et affectus per dæmones immissos, et subdola verba ab iis inducta. Hæc enim gentes profligabunt. Contingit autem aliquando ut eas per invocationem Dei de medio tollat; passionum impetum exscindens, et dolosa verba profligans. Vespæ autem quæ apibus ita similes sunt, ut qui eas probe non norint facile decipi possint, spiculum non habent, neque mel operantur; sed cum crassiore sint quam apes mole, opus comedunt : quos [2] unum post alium interimunt apes una coactæ. Apis est Ecclesia ; mel autem operatur, quæ Dei sapientiam plurimi facit. Cujus labores tam reges quam privati ad sanitatem afferunt, etiamsi infirma sit : secundum illud : « non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis,[3] » prædicatio efficitur. Attamen spiculum habet in ostensionem spiritus et virtutis Dei, cum fidei sermonem habeat; ita ut hæreses, ceu vespas de medio tollat, dissecans illas argumento veritatis. Sola apis est quæ sapientiam Dei honorat. Multæ autem a Dei sapientia defecerunt, non apes quidem, sed vespæ ad similitudinem apum. Quæ vespæ ubi volunt unius apis mel absumere, quasi « ignis

[1] Psal. CXVII, 10 et seqq. — [2] Locus vitiatus. — [3] 1 Cor. II, 4.

« in spinis » comburuntur. Nam hæretici turpem cupiditatum ignem accendunt : quemadmodum Paulus ait : « quæ enim in occulto fiunt ab ipsis, turpe est et di- » cere [1]. » Spinas autem voluptates esse sanctum Evangelium interpretatum est, quorum verba evertit qui Deum vocat. Arma autem ejus non carnalia, « sed po- » tentia Deo ad destruendam omnem altitudinem ex- » tollentem se adversus scientiam Dei [2]. »

IV. « Vox exultationis et salutis in tabernaculis jus- » torum [3]. » Utpote jam de medio sublatis spiritualibus inimicis, qui variis temporibus Dei populum persecuti fuerant, jure deinceps audiuntur voces exultationis, non alio in loco quam in tabernaculis justorum.

V. « Dextera Domini fecit virtutem etc. [4] » Hæc est vox exultationis edita in Ecclesia, qua confitetur ipsam solam Domini virtutem concertantes salvos fecisse, ac inimicis excelsiores exhibuisse.

VI. « Aperite mihi portas justitiæ etc. [5] » Portas justitiæ intelligas profectum in virtutibus, quem obtinent qui afflictionum tempora sustinent. « Hæc porta Do- » mini justi intrabunt in eam [6]. » Qui per virtutes incedunt, ad illam pervenient portam, quæ ducit ad ipsam Domini contemplationem. Ecquænam illa est, nisi cordis puritas? « Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum » videbunt [7]. »

VII. « Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic » factus est in caput anguli [8]. » Te ipsum qui propter nos factus es lapis abjectus, reprobaverunt quidem ædificantes, sed post gentium mutationem, alterius anguli caput effectus es : et quodnam illud? « Copulavit duos » populos in unum novum hominem [9]. »

[1] Ephes. v, 12. — [2] 2 Cor. x, 5. — [3] Psal. cxvii, 15. — [4] Ibid. 16. — [5] Ibid. 19. — [6] Ibid. 20. — [7] Matth. v, 8. — [8] Psal. cxvii, 22. — [9] Ephes. ii, 15.

VIII. « Hæc dies quam fecit Dominus etc [1]. » Ecquænam dies fuerit nisi resurrectionis Domini? Quænam hæc dies, nisi ea quæ gentibus omnibus salutaris est, qua lapis ille rejectus factus est in caput anguli? Significatur autem dies resurrectionis Salvatoris nostri, quæ ipsi cognominis est, scilicet dominica.

IX. « O Domine salvum me fac, o Domine bene pros-» perare [2] : benedictus qui venit in nomine Domini [3]. » Doxologia (id est cantus in honorem Trinitatis) Jerosolymitana docet de quonam id dictum sit. Illud autem: « Benediximus vobis de domo Domini [4], » Prophetæ dicunt iis qui credunt in Christum : Beatos, inquiunt, vos prædicabimus, quia fuistis domus spiritualis : inhabitat quippe Dominus in vobis. « Constituite diem so-» lemnem in condensis usque ad cornu altaris. Consti-» tuite diem solemnem. » Intelligendum dat, eos qui ad fidem accedent, ita impleturos divinum tabernaculum, ut præ multitudine usque ad cornua altaris pertingant. Condensa autem vocat Cherubim, quæ propitiatorium adumbrabant : id enim significat illud : « Condensis. » Nam condensum esse idem est quod tegere. Cherubim alis suis propitiatorium tegebant.

X. « Deus meus es tu et confitebor tibi [5]. » Hanc vocem salvatori Christo referre edocentur.

[1] Psal. CXVII, 24. — [2] Ibid. 25. — [3] Ibid. 26. — [4] Ibid. 27. — [5] Ibid. 28.

PSALMUS CXVIII.

Alleluia.

ARGUMENTUM.

In hoc psalmo describit sanctorum institutum vitæ, certamina, ærumnas: fraudes, et irruptiones dæmonum, sexcentas cogitationes immissas, laqueos, venabula, necnon ea quibus isthæc superant, legem, eloquia divina, patientiam, supernum et cæleste commilitium: deinde post labores, bravia, coronas, præmia.

I. « Beati immaculati in via etc. [1] » Qui nullatenus peccat, is immaculatus et beatus est.

II. « Beati qui scrutantur testimonia ejus, in toto » corde exquirent eum [2]. » Non oportet enim modo legem implere, modo prævaricari. Quid enim lucri erit, si simpliciter exquirant testimonia ejus, et ex toto corde Deum non quærant.

III. « Non enim qui operantur iniquitatem in viis » ejus ambulaverunt [3]. » Igitur divinam legem ignorat qui peccat : nam cognoscere idem est ac observare illam.

IV. « Tu mandasti mandata tua custodiri nimis [4]. » Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justifi» cationes tuas [5]. » Gnarus, sine cœlesti auxilio non posse quempiam legis esse observatorem, id oratione sibi comparat. Illud, « utinam, » positum est pro, fiat.

[1] Psal. cxviii, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3. — [4] Ibid. 4. — [5] Ibid. 5.

V. « Confitebor tibi in directione cordis [1]. » Post orationem explicat qua sit inclinatione voluntatis. Principium autem salutis, est confessio.

VI. « Non me derelinquas usquequaque [2]. » Rursum superius memoratum postulat auxilium.

VII. « In quo corrigit adolescentior viam suam [3]. » Multis, inquit, offendiculis plena est juventus. Quo pacto igitur illa quis superaverit, nisi conservando semper memoriam verborum Dei? Nam cogitatio divinæ legis, una mundat atque custodit.

VIII. « In toto corde meo exquisivi te [4]. » Si Dei memoria, inquit, ad satanicos laqueos vitandos juvat; ego vero totam cogitationem meam tibi Deo obtuli; dignus sum qui non maneam extra mandata tua. Quæ ait, ne in desperationem incidamus nos qui erga legem desiderio tenemur [5]. Sunt enim quos Deus permittat in imprudentiam labi; sive etiam multis studium in contrarium convertit; ita ut in quibus se recte agere putant hallucinentur, juxta illud a Salomone dictum : « Est via » quæ videtur apud homines recta esse, cujus extrema » veniunt ad profundum inferni [6]. » Igitur quisquis ex media cordis parte Deum quærit, et modo ipsi mox mundo vacare cupit; hunc ille a suis mandatis abjicit ut militem ignavum.

IX. « In corde meo abscondi eloquia tua [7]. » Nis enim quilibet Dei mandata in corde ceu thesauros recondat, venit malignus ille et rapit ea. [*Alius codex.*] In Deum peccat qui dignus habetur secretiora accipere verba, quæ par erat abscondere multis, neque tamen abscondit iis quos ea ignorare oportebat. Periculosum

[1] Psal. CXVIII, 7. — [2] Ibid. 8. — [3] Ibid. 9. — [4] Ibid. 10. — [5] Locum vitiosum augurando vertimus. — [6] Prov. XVI, 25. — In Reg. 2. hæc dicuntur Hesychii. — [7] Psal. CXVIII, 11.

namque est, non modo falsa loqui, sed etiam vera, quando quispiam ea quæ non oportet renuntiat : « Non » oportet enim margaritas projicere ante porcos, ne» que dare sancta canibus [1]. »

X. « Benedictus es, Domine, doce me justificationes » tuas [2]. » Cum senserit profectum suum, quem fecerat exquirendo Deum in toto corde suo, ipsum benedicit, gratias agens de collatis bonis : et rogat ab ipso doceri, quam mentem habeant justificationes ejus.

XI. « In labiis meis pronuntiavi omnia judicia oris » tui [3]. » Quæ abscondi oportebat, inquit, abscondebam; quæ renuntiare, renuntiabam; quia ante tribunal tuum omnes affuturi sumus; ut accipiamus secundum opera nostra.

XII. « In via testimoniorum tuorum delectatus sum si» cut in omnibus divitiis [4]. » Edocetur quænam sunt secundum Deum divitiæ; quamobrem ait : Nihil me cepit in præsenti vita, non aurum, non dignitas, non potentia : sed vice omnium mihi sunt testimonia tua : hæc gaudia, hæ divitiæ meæ.

XIII. « In justificationibus tuis meditabor, non obli» viscar sermones tuos [5]. » Non verborum tantum tenus meditatio illa : sed ita ut qui intelligit ea exequatur. Non enim auditores justificationum, justi sunt apud Deum, sed factores earum. Ita enim nemo unquam earum obliviscetur.

XIV. « Retribue servo tuo vivifica me [6]. » Ecquid vult dari sibi pro iis quæ attulit, nisi ut ejus mens illustretur, nisi ut cognoscat mirabilia opera Dei? « Re» vela oculos meos, et considerabo mirabilia de lege tua [7]. » Vanitatem, inquit, hujusce vitæ non mihi propriam

[1] Matth. VII, 6. — [2] Psal. CXVIII, 12. — [3] Ibid. 13. — [4] Ibid. 14. — [5] Ibid. 16. — [6] Ibid. 17. — [7] Ibid. 18.

effeci, quare divinorum cognitionem mandatorum expeto, quorum alia nota, alia ignota sunt. Nota quidem sunt : « Non occides » et quæ sequuntur [1] ; ignota sunt alia, verbi gratia, quare pueri octavo die circumciduntur : et qua de causa pro recens natis offeruntur sacrificia.

XV. « Increpasti superbos [2]. » Qui superbis resistit, hic increpat superbos : atqui Dominus resistit superbis, Dominus igitur increpat superbos.

XVI. « Aufer a me opprobrium et contemptum [3]. » Impii in tempore persecutionis exprobrantes, me nihili facient. Rogo itaque ut vana sint opprobria eorum mihi illata. Si quando, inquit, contra carnem sensi; sed conversus rogo divinis verbis vivificari. Si quidem ita ad extremum angustiæ redactus sum, inquit, rogo liberari me ab iniquis juxta promissionem tuam.

XVII. « Etenim sederunt principes et adversum me » loquebantur etc. [4]. » Ideo, inquit, rogavi, ut auferretur opprobrium, quia adversum me loquebantur assidue. Cæterum id agentibus principibus iniquitatis, servus Dei non abscedit a justificationibus ejus : Dei verbis, quæ justificationes vocat, consiliariorum loco ad eam rem usus. Hujusmodi autem homo nullum malum admittit consiliarium. Sed principes hujus sæculi, velut contra Christum « convenerunt in unum adversus Dominum et » adversus Christum ejus [5]. » Ad quos pertinet sapientia hujus sæculi.

XVIII. « Adhæsit pavimento anima mea [6]. » Ad ultimum angustiæ deductus sum, inquit, compulsus a sceleratis, et rogo salutem mihi tribui secundum promis-

[1] Exod. xx, 13. — [2] Psal. cxviii, 21. — [3] Ibid. 22. — [4] Ibid. 23, 24. — [5] Psal. ii, 2. — [6] Psal. cxviii, 25.

sionem tuam qua dixisti : « Et torrentes non conclu-
» dent te. »

XIX. « Vias meas enuntiavi et exaudisti me [1]....
» Viam justificationum tuarum intelligere me fac [2]. »
Accepta enim intelligentia mysteriorum ejus, potero circa mirabilia ejus versari et de iis sermonem habere.

XX. « Dormitavit anima mea præ tædio [3]. » Docet non posse alio modo segnitiei spiritum expelli, quam per meditationem divinorum eloquiorum. Sobrie itaque agere et vigilare convenit propter eum qui dicit : « Vi-
» gilate et orate [4]. »

XXI. « Viam iniquitatis amove a me et de lege tua
» miserere mei [5]. Viam veritatis elegi [6]. » Illud quidem a Deo postulat, hoc se sibi ascribere confitetur.

XXII. « Averte oculos meos ne videant vanitatem [7]. »
Vanitas est spectaculorum insanus amor, illicita rerum speculatio, absurda phantasia in mente recepta, quam significat Paulus his verbis : « In vanitate mentis suæ,
» tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati a
» vita Dei [8]. » Animadverte vanitatem mentis dici, cum quis mente pollens, ea non utitur ad veritatis contemplationem; sed præbet eam Satanæ colliganti. Hoc igitur precando ait : « Averte oculos meos ne videant vani-
» tates. » Nam et illud gratia Dei est. « Ejusdem. » Corporea quæ speciosa sunt, et oculis carnis pulchra videntur, vanitatem appellat.

XXIII. « Statue servo tuo eloquium tuum in timore
» tuo [9]. » Quoniam in omnibus præceptis timor Dei pædagogi instar necessarius est; ideo rogat Deum ut statuat sibi illum. Illud autem : « Amputa opprobrium

[1] Psal. cxviii, 26. — [2] Ibid. 27. — [3] Ibid. 28. — [4] Matth. xxvi, 41. — [5] Psal. cxviii, 29. — [6] Ibid. 30. — [7] Ibid. 37. — [8] Ephes. iv, 17. — [9] Psal. cxviii, 38.

» meum, » dicit postquam quemdam ceu custodem divinarum legum constituit. Et jam iterum confitetur opprobria de quibus prius se sibi conscium esse dixerat.

XXIV. « Statue servo tuo eloquium tuum [1]. » Quia servus tuus cum sim timeo te, voloque rationabiliter et secundum verbum timorem habere, statue eloquium tuum in timorem tuum : qui revera tuus est, non quod tu timeas, sed quia ego timeo te. Ut autem nec sine verbo timorem, nec sine timore verbum habeamus; statuit sane Deus eloquium suum in timorem suum, per certa argumenta firmans illud apud pios homines. Quemadmodum enim quidam sunt zelum habentes; sed non secundum scientiam; ita sunt quidam habentes timorem Dei, sed non secundum scientiam. « Amputa opprobrium meum quod suspicatus sum. » Cum Propheta peccasset ut homo, orat et deprecatur opprobrium quod futurum videt post resurrectionem in divino tribunali, et recitat hunc versum. Neque dixeris hoc modo : Amputa opprobrium tuum. Nam cum opprobriis afficior propter Christum, illud opprobrium non est meum, sed Christi est : cum autem opprobriis afficior propter peccata mea, neque pœnitentiam ago, non oportet me dicere : « Amputa opprobrium meum a » me, quod suspicatus sum, quia judicia tua jucunda. »

XXV. « Ecce concupivi mandata tua, in æquitate tua » vivifica me [2]. » Probam et in virtute actam vitam in præmium postulat : non solum quia præcepta servavit, sed quia amoris affectu illa complectitur, nec alterius rei causa, sed illa solum quærens et propter illa agens. Et quia Filius est justitia Patris, illud ait qui in Filio vitam agere vult.

XXVI. « Et veniat super me misericordia tua, Do-

[1] Psal. CXVIII, 40. — [2] Ibid. 41.

» mine. » Si misericordiam tuam, ait, consequar, quæ misericordia per salutare tuum ad me accedet, fiduciam habebo adversus eos qui mihi opprobria dicunt, et adversum me insurgunt.

XXVII. « Et respondebo exprobrantibus mihi ver» bum, quia speravi in sermonibus tuis [1]. » Respondebo enim non æquum esse convitiis onerari eum qui ea tenet dogmata : quæ irrident impuri illi homines a fide alieni. Ego vero ostendam illa prudentiæ atque sapientiæ plena esse. Respondebo autem verbum, « quia in verbis tuis » supersperavi. »

XXVIII. « Et ne auferas de ore meo verbum veritatis » usquequaque, quia in judiciis tuis supersperavi [2]. » Usque ad extremum, inquit, halitum; si indigne vivamus iis quæ recte loquimur, Deus auferet verbum veritatis de ore nostro.

XXIX. « Et custodiam legem tuam semper [3]. » Custos, inquit, ero legis tuæ [4] : neque modo recte me geram, modo secus; sed et in præsenti et in futuro vitæ meæ tempore legem implebo.

XXX. « Et loquebar in testimoniis tuis in conspectu « regum [5]. » Talis fuit Paulus, talis Petrus, talis Apostolorum et Martyrum chorus. Hæc Martyri conveniunt qui propter Christum ad reges et præsides adducitur : convenit item iis qui os aperiunt in conspectu sanctorum animo regio præditorum. Dedecore namque dignus qui verbum accipiens a Deo, non eo utitur ad Evangelium annuntiandum virtute multa. Proba namque vita fiduciam parit.

XXXI. « Et meditabar in mandatis tuis quæ dilexi » valde. Et levavi manus meas ad mandata tua [6]. » Ma-

[1] Psal. cxviii, 42. — [2] Ibid. 43. — [3] Ibid. 44. — [4] Alius codex hæc Eusebio tribuit. — [5] Psal. cxviii, 46. — [6] Ibid. 47.

nus hîc vocat operandi virtutes. Operatio enim, est finis meditationis mandatorum. Nam post assumptionem Verbi mandatorum, operæ pretium est manus extendere ad mandatorum operationem; non ex tristitia aut ex necessitate, sed ex affectu. Ac postea frequenter super iis meditari, ac de iis loqui oportet.

XXXII. « Memor esto verbi tui servo tuo [1]. » Et cujusnam verbi memorem esse rogat, nisi, ut sit cum illis juxta promissionem suam, quæ consolatio ipsis fuit in persecutionibus?

XXXIII. « Hæc me consolata est in humilitate mea [2]. » Septuaginta : « Reviviscere facies me. » Hæc spes per verbum tuum oblata mihi, consolata est me et solatio mihi fuit. Nam si quando, casus, aut periculum, aut mortis expectatio, gravis morbus, aut opum jactura, aut persecutio quælibet, aut aliorum quidpiam, quæ vulgo gravia existimantur, evenit mihi, spes erga te mea consolationi mihi erat. « Quia eloquium tuum vivi- » ficavit me. » Nihil æque animam rationalem vivere facit, vita scilicet ipsi propria, atque eloquium Dei. Nam dum augetur eloquium Dei sive conceptum sive comprehensum in hominis anima; tantumdem augentur quæ vitam spectant. Illa autem sunt, cum virtute in hac vita agere : post hæc autem et vitam largitur æternam.

XXXIV. « Superbi inique agebant usquequaque, a » lege autem tua non declinavi [3]. » In illa enim vitam agebam observans vim animæ principalem, ne fieret in corde meo verbum absconditum illegitimum. Illis enim iniquissime agentibus, ne tantillum quidem ego legem tuam transgressus sum.

XXXV. « Memor fui judiciorum tuorum a sæculo,

[1] Psal. CXVIII, 49. — [2] Ibid. 50. — [3] Ibid. 51.

» Domine, et consolatus sum [1]. » Memor enim eorum quæ a sæculo usque in sæculum singulis danda sunt, consolationem justus accipit, nec in tristitia agit dicens : « Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad » futuram gloriam quæ revelabitur in nobis [*Alius co-* » *dex*] [2]. » Memor judiciorum quæ olim tulisti adversus eos qui injuriam facerent Israëli, consolatus sum : gnarus, neque me in persecutionibus comprehendendum fore, atque omnia secundum Dei judicium omnibus contingere.

XXXVI. « Defectio tenuit me pro peccatoribus dere» linquentibus legem tuam [3]. » Peccatores, alii absque lege peccant qui nunquam leges vel tantillum experti sunt; alii in lege peccant, cum transgrediuntur illam. « Et post pauca. » Si quid enim patitur membrum unum, una patiuntur omnia membra. Et si laudetur unum membrum, congaudent omnia membra. Par est ergo de fratribus etiam nostris qui peccant dolere, quia scilicet tales sunt : et pari modo affectos nos esse, quo sanctus ille.

XXXVII. « Cantabiles mihi erant justificationes tuæ » in loco peregrinationis meæ [4].» Locum peregrinationis præsentem vitam dicit : juxta illud : « Scientes quia » peregrini et hospites erant super terram [5]. » In quo modulate lætabar narrans justificationes tuas. Sive contemplans, sive operans illas.

XXXVIII. « Cogitavi vias tuas, et converti pedes » meos in testimonia tua [6]. » Quoniam, inquit, totam mentem meam, tuis præceptis addixi; ideo in via testimoniorum tuorum incessi.

XXXIX. « Paratus sum et non sum turbatus [7]. » Cum

[1] Psal. cxviii, 52. — [2] Rom. viii, 18. — [3] Psal. cviii, 53. — [4] Ibid. 54. — [5] Hebr. xi, 13. — [6] Psal. cxviii, 59. — [7] Ibid. 60.

sciam illud : « Fili, si accedis ad serviendum Domino, » præpara animam tuam ad tentationem [1] : » hæc semper meditans in incursibus inimicorum, non sum turbatus, utpote meditatione paratus ad ea fortiter ferenda.

XL. « Funes peccatorum circumplexi sunt me [2]. » Et quinam funes, nisi malæ cogitationes, quibus me a Dei gratia deturbare conabantur?

XLI. « Media nocte surgebam ad confitendum tibi [3].» Non enim die tantum, sed etiam noctu, et sub ipsum noctis dimidium, quo majore voluptate somnus homines occupat, hymnis ad tui laudem canendis vacabam, et justa judicia tua decantabam. Hoc divinus etiam Apostolus cum Sila fecit, et alligatus pede, vulneribus et flagris oneratus, orationem hymnorum cantu temperavit, et optimarum vigiliarum fructum percepit. Divinæ namque munificentiæ donis auctus est.

XLII. « Particeps ego sum omnium timentium te [4]. » Perfectus homo, particeps Christi fuerit, juxta dictum illud : « Nam Christi participes facti sumus. » Hic autem quasi initiatus, se timentium Dominum participem esse dicit : neque tantum timentium, sed etiam eorum qui propter timorem Dei ejus præcepta servant. Argumentum autem timoris Dei est observatio præceptorum.

XLIII. « Misericordia tua Domine plena est terra. » Justificationes tuas doce me [5]. » Prophetice quæ futura sunt enuntiat, plenam scilicet fore universam terram timentium Dominum. Et hoc, inquit, non ex alio usu quam ex tua misericordia : nam tu ipse id misericorditer facis, teipsum dans hominibus doctorem.

XLIV. « Bonitatem fecisti cum servo tuo, Domine [6]. »

[1] Eccli. II, 1. — [2] Psal. CXVIII, 61. — [3] Ibid. 62. — [4] Ibid. 63. — [5] Ibid. 64. — [6] Ibid. 65.

Docetur qui divinis eloquiis eruditus est, ne ingratus sit in Deum beneficia conferentem. Nunquam enim a peccatis liberatus fuisset, et annumeratus servis Dei, nisi divina quædam gratia eorum ipsis in causa fuisset.

XLV. « Priusquam humiliarer ego deliqui [1]. » Traditus, inquit, ob pristina peccata mea, humiliatus sum, hoc ex justo Dei judicio passus. Ideoque castigationi traditus, rogo mihi doctrinam immitti, ut cognoscam, humiliationem illam, mihi per bonitatem et ad castigationem evenisse.

XLVI. « Bonus es tu, Domine [2]. » Qui justus est in omnibus, quantumvis molesta sint quæ accidunt, dicit Deo : « Bonus es tu. » Simile est illud : « Benedicam » Dominum in omni tempore. Et in bonitate tua doce » me justificationes tuas [3]. » Et rogat a bonitate Dei edoceri, quia bonæ sunt justificationes Dei, ad cujusque meritum accommodatæ : de quibus apte dicatur : Et justificata sunt judicia tua Deus.

XLVII. « Multiplicata est super me iniquitas superborum [4]. » Eo usque, ait, superbiæ processerunt, ut cordi eorum id quod sequitur acciderit. « Coagulatum » est sicut lac cor eorum [5]. » Tentationibus malis gravibusque traderis, quibus in vita humiliaberis. Et docebunt te corpus tuum castigare et in servitutem redigere, nec incedere in lata et spatiosa via superborum, sed in angusta et arcta. Nam tenue est cor sanctorum, cor autem superborum pingue.

XLVIII. « Bonum mihi quia humiliasti me [6]. » Ac si diceret : Mihi placeo in infirmitatibus, in contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis; ut

[1] Psal. CXVIII, 67. — [2] Ibid. 68. — [3] Psal. XXXIII, 2. — [4] Psal. CXVIII, 69. — [5] Ibid. 70. — [6] Ibid. 71.

dignus videar justificationibus tuis, quærens ea quæ alias edisci non possunt.

XLIX. « Bonum mihi lex oris tui, [1] super millia auri » et argenti [2]. » Ediscit initiatus homo quanto sit honore donatus.

L. « Manus tuæ fecerunt me [3]. » Altera dignitas, quod sit capax talis intelligentiæ. « Da mihi intellectum » ut discam mandata tua. » Post gratiarum actiones de creatione sua, valde consequenter annectuntur gratiarum actiones, pro data cogitandi facultate, quæ mandata intelligere facit.

LI. « Qui timent te videbunt te et lætabuntur [4]. » Docet non se solum eam gratiam consecuturum, sed eam omnibus timentibus Deum obventuram. Nam piis solum hominibus dulcis est; ita ut etiam sensibiliter videatur, et secundum verbum, et secundum cogitationes sapientiæ quam habet; aliis autem gravis et durus est, etiamsi videatur. Quia aliis dissimilis est vita ejus et diversæ viæ ejus, ideo dicit : « Lætabuntur, quia » in verbis tuis supersperavi. »

LII. « Cognovi, Domine, quia æquitas judicia tua [5].» Docemur Deum nobis omnia juste conferre; ita ut consultum sit, nos non animo concidere in castigationibus, sed eas potius amplecti, atque ex legis custodia misericordiam postulare.

LIII. « Fiat misericordia tua ut consoletur me [6]. » Misericordia Patris Filius, qui consolatus est corda nostra Satanæ tyrannide oppressa. Vel etiam sic : Obsecro te, per Verbum tuum, ut mihi servo tuo ad consolationem misericordia tua accedat. Multi namque qui consolationes accipiunt decipiuntur, quasi ex sua pru-

[1] Psal. CXVIII, 72. — [2] Ex Colb. 3. — [3] Psal. CXVIII, 73. — [4] Ibid. 74. — [5] Ibid. 75. — [6] Ibid. 76.

dentia id nacti fuerint. Ne itaque pari ego modo aberrem, mihi servo tuo fiat misericordia tua, secundum eloquium tuum.

LIV. « Veniant mihi miserationes tuæ et vivam [1]. » Quemadmodum, inquit, consolationem promisisti, ita promissum imple, ac miserare domesticos tuos.

LV. « Confundantur superbi quia injuste iniquitatem » fecerunt in me [2]. » Si tuum, inquit, auxilium consequar, tunc maligni dæmones et homines veritatis inimici confundentur. Ego autem iis pudore affectis, non extollar. Sed « in mandatis tuis exercebor. »

LVI. « Convertantur mihi timentes te [3]. » Domesticorum tuorum doctrina imbuar, quæ talis erit, ut sciat animas convertere, quia timore tuo dives est.

LVII. « Fiat cor meum immaculatum [4]. » [5] Etiamsi cor purum habeat, ait. « Fiat cor meum immaculatum. » Huic simile est : « Cor mundum crea in me » Deus [6]. » [*Alius codex.*] Tunc, inquit, non confundar, quando immaculate Dei præcepta servabo.

LVIII. « Deficit in salutare tuum anima mea, et in » verbum tuum supersperavi [7]. » Docet nos Propheta desiderare verbum, et vehementi amore salutare Dei prosequi. Ecquid aliud fuerit salutare Dei, nisi adventus Domini? « In verbum tuum supersperavi, » intellige, in promissionem. Eloquium autem vocatur etiam Scriptura divinitus inspirata. Deficit ergo non solum qui divinam promissionem expectat, nec non instantium malorum solutionem; sed etiam qui divina legit eloquia, et qui eorum mentem accurate ediscere exoptat, et consolationem oblectationemque animi habet cum invenerit.

LIX. « Defecerunt oculi mei in eloquium tuum [8]. » In

[1] Psal. CXVIII, 77. — [2] Ibid. 78. — [3] Ibid. 79. — [4] Ibid. 80. — [5] Locus vitiatus. — [6] Psal. L, 12. — [7] Psal. CXVIII, 81 — [8] Ibid. 82.

Dominum videlicet nostrum Jesum Christum. Ipsum namque habemus advocatum apud Patrem, « et ipse est » propitiatio pro peccatis nostris,[1] » juxta Apostoli vocem. « Dicentes quando consolaberis me? » Cum verbum adveniet mihi, tunc consolationem accipiam.

LX. « Quia factus sum sicut uter in pruina [2]. » Justi etsi viventes sint, quasi mortui ex ærumnis efficiuntur; ita ut utribus magis quam hominibus similes sint, refrigescentes quasi pruina congelata, qui ardorem practicæ vitæ delegerunt. « Ejusdem. » Uter in pruina efficitur, qui carnem suam exsiccat, et nihil in ea ardoris et concupiscentiæ relinquit, sed eam quasi refrigerat.

LXI. « Quot sunt dies servi tui [3]. » Pauci enim sunt dies hominum super terram, in quibus rogat statim conteri Satanam sub pedibus ejus, ut anima subjiciatur, divino Verbo in eam immisso.

LXII. « Narraverunt mihi iniqui fabulationes [4]. » Aut aniles fabulas vocat Judæorum doctrinam; aut præcepta hominum, et nugas sapientium hujus sæculi.

LXIII. « Omnia mandata tua veritas, inique perse» cuti sunt me, adjuva me [5]. » Gnarus se in divino tribunali mercedem accepturum, pro iis quæ injuste passus est gestit illud tempus videre.

LXIV. « Paulo minus consummaverunt me in terra [6].» Parum abfuit quin ex sua persecutione me consummarent.

LXV. « Secundum misericordiam tuam vivifica me, » et custodiam testimonia oris tui [7]. » Os Dei sunt Prophetæ, qui administrant testimonia, præcepta, justificationes ejus.

LXVI. « In æternum, Domine, verbum tuum perma-

[1] 1 Joan. II, 2. — [2] Psal. CXVIII, 83. — [3] Ibid. 84. — [4] Ibid. 85. — [5] Ibid. 86. — [6] Ibid. 87. — [7] Ibid. 88.

» net in cœlo. » In profectu versatur, et sublimiora dogmata attingit atque æternum Patris Verbum meminit, et tantum non illud : « In principio erat Verbum » dicit [1], » deque universi ornatu loquitur, et clare naturam rerum omnem servam ejus vocat.

LXVII. « In generationem et generationem veritas » tua [2]. » Duæ sunt generationes quæ Dei veritatem capiunt; Judæorum populus qui habet legem et Prophetas; et Ecclesia. Non in generationes itaque veritas Dei, sed in generationem primam et in generationem secundam. Aliæ autem gentes in errore versantur. Cum autem prior illa generatio rejecit veritatem, et dixit : « Tolle, tolle » de terra hujusmodi, » transivit veritas ab illa in hanc generationem. « Fundasti terram et permanet. » Hac veritate terra fundata est. In hoc enim angulari lapide in fundamentum posito, ædificantur omnes terrigenæ qui salutem nacti sunt. Quamobrem remanet terra, infractam et inconcussam basin ac fundamentum habens. Imo etiam ipsa veritas terram illustrans diem effecit, Deo illam emittente.

LXVIII. « Ordinatione tua perseverat dies, quoniam » omnia serviunt tibi [3]. » Non mutata neque finem accipiens, sicut illuminatio illa quæ in veteri scriptura memoratur. Quandoquidem usque ad correctionis tempus posita est. Hæc autem omnia Deo subjecta sunt. Nam cum creator provisorque sit, omnia ipsi famulantur.

LXIX. « Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc » forte periissem in humilitate mea [4]. » Irrumpentibus, inquit, malis cogitationibus, et adversariis potestatibus me oppugnantibus, futurum erat ut in perniciem irem, nisi lex tua in fulcrum mihi fuisset.

[1] Joan. I, 1. — [2] Psal. CXVIII, 89. — [3] Ibid. 91. — [4] Ibid. 92.

LXX. « In æternum non obliviscar justificationes tuas, » quia in ipsis vivificasti me [1]. » Tuas, inquit, leges respiciam : in ipsis enim vita fruar, quemadmodum tu ipse dixisti mihi, « quia qui fecerit ea homo vivet in » illis [2]. » Solus itaque justus vivit, etiamsi mortuus esse videatur : injusti autem mortui sunt etiamsi vivere videantur. Illi namque vitæ constitutionem in se habent, justitiam scilicet : hi contra cum illam non habeant, rebus inanimatis, non a se, sed extrinsecus vitam habentibus, similes sunt.

LXXI. « Tuus sum ego salvum me fac [3]. » Subauditur, servus tuus sum, filius tuus per gratiam, famulus tuus.

LXXII. « Me expectaverunt peccatores ut perderent » me : testimonia tua intellexi [4]. » Id est, meditatus sum, et per meditationem hujusmodi, insidias eorum vanas effeci.

LXXIII. « Omnis consummationis vidi finem, latum » mandatum tuum nimis [5]. » Consummationem dicit insidias dæmonum. Harum finem vidi ad nihilum evadere, cum latum mihi factum est mandatum tuum. Hoc autem ad eum pertinet, qui omni profectu ad finem virtutis pervenit, et ad perfectum bonum accessit, qui multa initia et multos fines posuit. Nam prioris profectus circumscriptio, initium est subsequentis, juxta illud : « Cum consummatur homo, tunc incipit [6]. »

LXXIV. « Quomodo dilexi legem tuam, Domine? » tota die meditatio mea est [7]. » Qui omnia secundum legem dicit et perficit, is meditatur legem Dei. In primo autem psalmo, ad meditationem diei noctem adjicit, iis qui beati futuri sunt. Dicebamus enim hic permixtam

[1] Psal. cxviii, 93. — [2] Levit. xviii, 5. — [3] Psal. cxviii, 94. — [4] Ibid. 95. — [5] Ibid. 96. — [6] Eccli. xviii, 6. — [7] Psal. cxviii, 97.

esse hominum vitam. Quamobrem nunc habemus diem ac noctem : postquam autem sancti evasimus nulla subsequitur nox. Qui igitur proficit diem agit dum secundum legem vivit : noctem autem, cum non meditatur eam ex toto corde...... « *Hic deficit textus.* »

LXXV. « Ab omni via mala prohibui pedes meos [1]. » Hoc est enim custodire divinam legem, operibus eam implere.

LXXVI. « A judiciis tuis non declinavi [2]. » Semper memini divini tribunalis.

LXXVII. « Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, » super mel ori meo [3]. » Dulcia ob rationabilem in illis positam voluptatem : imo « super mel, » per quod omnia dulcia apud homines significantur.

LXXVIII. « Lucerna pedibus meis verbum tuum [4]. » Nam qui in lumine divinæ legis ambulat, rectum et inoffensum vitæ cursum conficit.

LXXIX. « Humiliatus sum usquequaque [5]. » Aut spiritualium inimicorum irruptionibus, aut macerationibus ex propria voluntate susceptis.

LXXX. « Iniquos odio habui, et legem tuam di» lexi [6]. » Sapientes hujus sæculi ait et hæreticorum principes.

LXXXI. « Declinate a me maligni [7]. » Aut malas cogitationes ait, aut prædictos magistros.

LXXXII. « Adjuva me et salvus ero [8]. » Etiamsi, inquit, adjutor meus et susceptor meus es tu, at indesinenti auxilio est opus. Quanto enim tempore hic sumus, nondum perfectum est illud; « salvus ero. » Sed ubi cum Angelis Dei vivemus, tunc meditatio justificationum erit facie ad faciem, non in umbra, sed in veritate.

[1] Psal. CXVIII, 101. — [2] Ibid. 102. — [3] Ibid. 103. — [4] Ibid. 105. — [5] Ibid. 107. — [6] Ibid. 113. — [7] Ibid. 115. — [8] Ibid. 117.

LXXXIII. « Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis [1]. » Hic finis expectat eos qui Dei legem contemnunt.

LXXXIV. « Prævaricantes reputavi omnes peccatores » terræ, ideo dilexi testimonia tua [2]. » [Prævaricantes scilicet] quia divinam legem conculcare vellent.

LXXXV. « Confige timore tuo carnes meas [3]. » Illud, confige, positum pro, obdura. Obdura igitur ad castitatem carnes meas. Hoc enim solum modo dicere Christo potero : « confixus sum cruci. A judiciis enim tuis ti- » mui [4]. » Divinam scilicet legem timui. Non enim peccatum quis admittit, nisi sese ante extra Dei timorem collocaverit.

LXXXVI. « Oculi mei defecerunt in salutare tuum [5]. » In divinum adventum, inquit, quo sperabat et se et totum humanum genus salutem consecuturum. « Et » in eloquium justitiæ tuæ. » Etiamsi quidam inique agentes, neque timorem tuum ante oculos habentes, legem tuam de medio sustulerint; at ego omni tempore hanc unam legem exequebar, quod in meditatione perpetuo versarer.

LXXXVII. « Servus tuus sum ego, da mihi intelle- » ctum et sciam testimonia tua [6]. » Qui nullatenus servus est peccati, dicat : « Servus tuus sum ego. » Mercedem autem servitutis, intelligentiam nempe postulat, quæ datur a Deo; et apud eum quasi in thesauri theca reconditur. Nam Spiritus sapientiæ et intellectus et reliqua sunt bonorum munera. Inter enim hanc et aliam sapientiam differentiam constituens, ait in Proverbio : « Intelligentia autem bona dat gratiam [7]. » Nam si omnis intelligentia esset, nequaquam posuisset bona.

[1] Psal. CXVIII, 118. — [2] Ibid. 119. — [3] Ibid. 120. — [4] Galat. II, 19. — [5] Psal. CXVIII, 123. — [6] Ibid. 125. — [7] Prov. XIII, 15.

LXXXVIII. « Tempus faciendi Domino, dissipaverunt » legem tuam [1]. » Ego quidem feci judicium et justitiam : erit autem tibi quoque Deo tempus faciendi judicium et justitiam, contra eos qui dissipaverunt legem tuam.

LXXXIX. « Ideo dilexi mandata tua super aurum » et topazion [2]. » Hæc concinunt illi dicto : « Bonum » mihi lex oris tui super millia auri et argenti : » et huic : « Accipite eruditionem et non argentum, et co» gnitionem super aurum probatum. Nam melior est » sapientia variis lapidibus : et omne pretiosum non est » illa dignum [3].

XC. « Propterea ad omnia mandata tua dirigebar [4]. » Propterea, quare; nisi quia semper meditabar legem?

XCI. « Et intellectum dat parvulis [5]. » Parvulos intelliges eos qui in ignorantia detinentur, et infantibus similes sunt. Hos enim, inquit, verbum tuum, tuo illustratos lumine intelligentia replet.

XCII. « Os meum aperui et attraxi spiritum [6]. » Apertione indigent eloquia. Quare Salvator aperuit discipulorum mentem ut intelligerent Scripturas. Et fraudem quæ aut per voluptatem aut per gloriam paratur, intelligentia quæ per verba datur impedit.

XCIII. « Respice in me, et miserere mei, etc. [7] » Quemadmodum, ait, decrevisti me respicere, et magna providentia tua dignari eos qui diligunt nomen tuum; ita me eadem providentia eadem misericordia digneris.

XCIV. « Gressus meos dirige secundum eloquium » tuum [8]. » Secundum eloquium suum Deus gressus dirigit ejus qui a malitia et ignorantia, ad veritatem et ad scientiam transiit. Rectus enim sermo ejusmodi rebus

[1] Psal. CXVIII, 126. — [2] Ibid. 127. — [3] Prover. VIII, 10. — [4] Psal. CXVIII, 128. — [5] Ibid. 130. — [6] Ibid. 131. — [7] Ibid. 132. — [8] Ibid. 133.

anteit. Qui non faciunt peccatum non sunt servi peccati.

XCV. « Redime me a calumnia hominum [1]. » Calumniam hominum vocat hæreticorum, necnon sapientium hujus sæculi, doctrinam. Hoc bonum sensibili modo nactus est Joseph et Susanna. Tropice autem homines vocat, malignas potestates, a quarum calumnia liberare solius Dei est.

XCVI. « Faciem tuam illumina super servum tuum [2].» Domini adventum videre exoptat. Ipse namque est character Patris. « Et doce me justificationes tuas. » Novum testamentum dicit, quo Deus et pater eos qui super terram erant justificavit.

XCVII. « Exitus aquarum deduxerunt oculi mei [3]. » Lacrymarum vim emittebam, deplorans eos qui transgrederentur legem tuam.

XCVIII. « Justus es, Domine, et rectum judicium » tuum [4]. » Causam reddit, cur deploraret eos qui transgrederentur legem Dei; quia scilicet eam transgredientibus pœnas se in divino illo tribunali inflicturum comminatus, et jam ipsas affuturas esse testificatus sit. « Mandasti justitiam testimonia tua, etc. » Quænam alia, testibus cœlo et terra, mandasti testimonia, quæ sint justitia et veritas apertissima? Sed non occultasti ea : scilicet rectissimæ sunt judiciorum tuorum regulæ, quæ tuam justitiam significant. Itaque testimonia tua sunt sacræ Scripturæ, quæ sunt justitia quidem secundum moralia præcepta; veritas autem secundum speculationem verborum.

XCIX. « Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti » sunt verba tua inimici mei [5]. » Qualem suscepi zelum, si quem viderem aliquando verborum tuorum imme-

[1] Psal cxviii, 134. — [2] Ibid. 135. — [3] Ibid. 136. — [4] Ibid. 137, 138. — [5] Ibid. 13.

morem. Neque simpliciter zelum, sed talem ut tabescerem ab hujusmodi zelo pro te suscepto, si quos viderem sermonum tuorum immemores. Hujus zeli recordati sunt discipuli, de quo ex persona Domini in psalmo dicitur. « Quoniam zelus domus tuæ comedit me [1]. »

C. « Ignitum eloquium tuum vehementer [2]. » Eloquium Domini ignitum est vehementer, sublime, omni probatione superius. Et si quis hoc ignitum eloquium habeat, is omnia judicat et a nemine judicatur.

CI. « Adolescentulus sum ego et contemptus [3]. » Adolescentulus quidem est qui divinis eloquiis ceu elementis initiatur; contemptus autem quia sese humiliat.

CII. « Justitia tua justitia in æternum [4]. » Nam justitia hominum qui juste judicant, ad breve tempus judicium fert; justitia autem Dei judicium reddit æternum.

CIII. « Tribulationes et angustiæ invenerunt me [5]. » In quibuslibet occasionibus, ait, legis tuæ meditationem non neglexerunt.

CIV. « Æquitas testimonia tua in æternum [6]. » Quæ dedisti mihi testimonia, inquit, non ad breve tempus utilia, justitia sunt in æternum, nam justificant eum qui affectu ad ipsa accedit. « Intellectum da mihi et vivam. » Nam justitia quam in præsenti tempore exercemus, retribuitur nobis, non ad paucos dies, sed in æternum. Sed vivam, inquit, si intellectum dederis mihi. In illam enim beatam vitam insipiens non ingreditur. Postulanda igitur intelligentia est ab eo qui dat omnibus toto animo postulantibus.

CV. « Clamavi in toto corde meo [7]. » Primo : « Clamavi in toto corde meo, exaudi me Domine : justificationes tuas requiram [8]. » Secundo : « Clamavi ad te

[1] Psal. LXVIII, 10. — [2] Psal. CXVIII, 140. — [3] Ibid. 141. — [4] Ibid. 142. — [5] Ibid. 143. — [6] Ibid. 144. — [7] Ibid. 145. — [8] Ibid. 146.

» salvum me fac. » Nam quod loquebar secundum præcipuam animi partem, nihil aliud erat quam Deus. Magna igitur voce te invocans, magna voce promitto me tua præcepta observaturum.

CVI. « Præveni in maturitate et clamavi [1]. » Maturitatem hic vocat tenebras, sive rerum confusionem. Hæc autem ait : Etiamsi improbi cum confusione omnia agerent, multa in tua lege incedens peragebam.

CVII. « Appropinquaverunt persequentes me iniqui» tati [2]. » Qui mihi bellum inferebant, inquit, iniquitati addicti erant. Nemo enim justum persequitur, nisi iniquitati hærere velit.

CVIII. « Prope es tu, Domine [3]. » Deus alibi ait : « Deus appropinquans ego sum, et non Deus a longe, » dicit Dominus [4]. » Nam Dei virtus ubique est, juxta creationis et providentiæ rationem [5].

CIX. « Judica judicium tuum et redime me, propter » verbum tuum vivifica me [6]. » Verbum dicit promissionem. Nam promisit se venturum, et salutem allaturum nobis.

CX. « Longe a peccatoribus salus [7]. » Contra quam salutem superbe egerunt principes sæculi hujus. « Quia » justificationes tuas non exquisierunt. » Hæc causa est cur justum persecuti sunt, quod longe abscesserint a divina lege.

CXI. « Misericordiæ tuæ multæ, Domine [8]. » Novi, inquit, te testificatum esse, præcepta tua firma et immota esse. Hoc enim significat in superiore versu : « Ini» tio cognovi de testimoniis tuis. »

CXII. « Vidi prævaricantes et tabescebam [9]. » Si quem

[1] Psal. CXVIII, 147. — [2] Ibid. 150. — [3] Ibid. 151. — [4] In R. 2. hæc dicuntur Origenis esse. — [5] Jerem. XXV, 23. — [6] Psal. CXVIII, 154. — [7] Ibid. 155. — [8] Ibid. 156. — [9] Ibid. 158.

videbam non intelligentem, ejus causa ex zelo pietatis ego tabescebam.

CXIII. « Vide quoniam mandata tua dilexi, Do» mine[1]. » Videbis in me bonorum operum vestigia. Non tantum enim observavi, sed etiam dilexi, nulla vi ad ea impulsus. Verum nihilominus rogo te miseratorem ut vivifices me.

CXIV. « Principium verborum tuorum, veritas[2]. » Hoc primum est præceptorum tuorum, ut veraces simus in omnibus, opere, verbo, mente.

CXV. « Principes persecuti sunt me gratis[3]. » Me, inquit, affligebant, qui variis temporibus principes fuere, utpote veritatis inimici. At eorum persecutiones non reformido, sed solum verbum tuum. Quodnam illud est, nisi : « Nolite timere ab iis qui occidunt corpus; animam » autem non possunt occidere : sed potius timete eum qui » potest et animam et corpus perdere in gehennam[4]? »

CXVI. « Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui » invenit spolia multa[5]. » Non timore tantum se ad obsequendum divinis verbis adduci ait, sed etiam gaudio, quod de acceptis divitiis permagnum est. Firmior autem est observatio ex gaudio parta. Cum autem persequentes inimicos memoraverit, jure spoliorum mentionem fecit. Nam si omnes, inquit, de medio sustulissem ac spoliassem, non tanti id facerem, quanti verba tua. [*Corderius*] Quæ verba, nisi de quibus Paulus : « Primi enim credi» dimus eloquia Dei[6], » de Judæis loquens.

CXVII. « Iniquitatem odio habui etc.[7] » Non enim perinde atque illi, mortuum ultus sum, et raptis spoliis, ipsum abominatus sum. Nam iniquitatem solam abominari utile est. Quare tuam legem intelligens, uti par erat

[1] Psal. cxviii, 159. — [2] Ibid. 160. — [3] Ibid. 161. — [4] Matth. x, 28. — [5] Psal. cxviii, 162. — [6] Rom. iii, 2. — [7] Psal. cxviii, 163.

dilexi, nullatenus eam trahens ad terrena. Nos enim utpote una cum Christo resuscitati, superna quærimus, non terrena.

CXVIII. « Septies in die laudem dixi tibi [1]. » Per totam vitam suam illuminatus qui justus est, in perfecta die versabitur, non interrupta per noctem, et supra mundum elevatus Deum septies laudat, eo quod supra mundum sex diebus conditum insurrexerit; nimirum in paradiso Dei constitutus, creationis et providentiæ Dei ra ionem contemplatus, ipsum laudat super judicia justitiæ Dei. Secundum ea vero judicia, singulorum multiplicem providentiam gessit. [*Alius codex.*] His significat laudem nunquam desinentem. Semper, ait, memor fui judiciorum tuorum, quæ juste tulisti; principibus qui superbe agebant ejectis, iis vero qui injuria afficiebantur liberatis.

CXIX. « Appropinquet deprecatio mea [2].... Intret di» gnitas mea in conspectu tuo, Domine. » Vide rectum » divinorum verborum ordinem. Primum enim ponitur « appropinquet; » deinde, quod majus est, « intret » postulatio mea : » ante ingressum enim appropinquandum. Nam ubi appropinquavit quispiam domum, si sit amicus patrisfamilias, ingreditur. Quam autem deprecationem vocavit, nunc dicit dignitatem, a dignando. Num forte quia sunt mundanæ dignitates, ita animæ etiam dignitates sunt? Dignitas quippe est apostolum esse : dignitates item sunt ordines ecclesiastici. Dignitas autem animæ, virtutes habere, aut earum aliquam. Qui hujusmodi dignitatem obtinet hæc loquitur.

CXX. « Eructent labia mea hymnum [3]. » Eructatio, ut plurimum, saturatis accidit. Novit igitur divinum verbum spiritualem escam. Ipsum igitur Verbum se pa-

[1] Psal. CXVIII, 164. — [2] Ibid. 170. — [3] Ibid. 171.

nem esse ait. « Ego enim sum panis vitæ qui de cœlo » descendit[1]. » Ait item : « Qui manducat meam car- » nem, habet vitam in semetipso[2]. » Hunc cum comedimus, hymnum eructamus. Hanc opto mihi eructationem accidere. Quod fieri nequit nisi me docueris justificationes tuas.

CXXI. « Pronuntiet lingua mea eloquia tua[3]. » Rogat ut ea quæ ipse loquitur sint verbum Dei, juxta illud: « Aperi os tuum verbo Dei[4]. » Hujusmodi autem homo otiosa verba non loquitur. Quare Paulus ait : « Illud enim, » non occides, non mœchaberis, non furtum facies, et » si quod aliud præceptum, in hoc verbo instauratur[5] : » Diliges proximum tuum sicut teipsum. » Nam illud justitia est : « Diliges proximum tuum. »

CXXII. « Fiat manus tua ut salvet me[6]. » Significat non factam esse manum ejus, sed ejus statum erga eos qui salutem consequuntur. Quale est illud : « Esto mihi » in Deum protectorem. »

CXXIII. « Concupivi salutare tuum, Domine[7]. » Si velis retrogredi et superiora respicere, salutare tuum Christus est. Jesus enim significat Dei salus. Hic ad nos missus est. [*Alius codex.*] Opus est concupiscere salutare Dei. Multi enim quæ secundum carnem sunt concupiscunt. Quod autem secundum Deum, est, in ipso salutem consequi, in ipso requiescere, sancta in hæreditatem accipere. Illud namque est salutare Dei, æterna vita. Imo etiam Jesus explicatur Dei salutare, quia missus est nobis ad salutem. Ad cujus desiderium si quis incedere velit, meditabitur legem.

CXXIV. « Vivet anima mea et laudabit te[8]. » De futura vita loquitur. « Nam vita nostra abscondita est cum

[1] Joan. VI, 35. — [2] Ibid. 55. — [3] Psal. CXVIII, 172. — [4] Prov. XXXI, 9. — [5] Rom. XIII, 9. — [6] Psal. CXVIII, 173. — [7] Ibid. 174. — [8] Ibid. 175.

» Christo in Deo [1]. » Tunc proprie laudabo, tunc auxiliare mihi. Laudabo scilicet judicia tua illa decantata, de justo lata sine tormentis; de noxio cum tormentis.

CXXV. « Erravi sicut ovis quæ periit [2]. » Postquam opera recte a se gesta narravit, rursum ait se ovem errantem fuisse, humilitati vacans, juxta illud Domini dictum : « Cum omnia perfeceritis, dicite : Servi inutiles » sumus [3]. »

PSALMUS CXIX.

Canticum graduum [4].

ARGUMENTUM.

Primum graduum canticum, Deo canit populus in Babylone constitutus, pertæsus diuturnæ captivitatis, et rogans libertatem.

I. « Ad Dominum cum tribularer clamavi.... Domine » libera animam meam a labiis iniquis, et a lingua » dolosa [5]. » Quo pacto non iniqua Babyloniorum labia, quæ idololatriam profitebantur. Hæc autem lingua recte dolosa vocetur utpote quæ nihil rectum de Deo loquatur.

II. « Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi ad lin» guam dolosam? Sagittæ potentis acutæ [6]. » Quid ultra dari tibi postulas, inquit : aut quid aliud vis adjici tibi adversus linguas dolosas [7] ? Sagittas igne plenas a potente

[1] Colos. III, 3. — [2] Psal. CXVIII, 176. — [3] Luc. XVII, 10. — [4] Psal. CXIX, 1. — [5] Ibid. 2. — [6] Ibid. 3. — [7] Ibid. 4.

incensas. Significat autem Babyloniorum ultionem mox futuram.

III. « Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus » est [1]. » Aliud a Deo postulat, nimirum ut ab incolatu liberetur. « Habitavi cum habitationibus Cedar. » Cedar regio quædam est ad eremum versus orientem sita, et usque ad Persidem pertingens, quam incolit Saracenorum genus : « multum incola fuit anima mea [2]. »

IV. « Cum his qui oderunt pacem eram pacificus [3]. » Ea erat malitia Babyloniorum, ut nulla de causa iis qui pacem colebant bellum inferrent. Nisi fortasse respiciat supplicium quod de Chananæis et Amorrhæis sumi præcepit Deus, vetans ne amicitiam inirent cum illis. Nulla autem est ipsis amicitia cum improbis qui veram religionem execrantur. « Cum loquebar illis impugnabant me » gratis. »

PSALMUS CXX.

Canticum graduum [4].

ARGUMENTUM.

Secundum modulatur canticum, dum post solutam captivitatem, longum iter ageret Babylone Jerosolymam. Atque inter medium montium interceptus, rogat auxilium sibi impendi, quem exaudiens propheticus Spiritus respondet : Dominus custodiet introitum tuum et exitum tuum.

[1] Psal. CXIX, 5. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7. Incertus locus. — [4] Psal. CXX, 1.

I. « Levavi oculos meos in montes [1].... auxilium meum » a Domino, qui fecit cœlum et terram. » Ostendens Dei potentiam ait : « Qui fecit cœlum et terram. »

II. « Non det in commotionem pedem tuum, neque » dormitet qui custodit te [2]. Ecce non dormitabit etc [3]. » Hanc habeto spem et salvaberis. Illud autem : « non dor» mitabit, » non laborem eorum qui custodiunt exercitus, urbes, ovilia; sed impatibilitatem Dei significat illud : « Non dormitabit neque dormiet qui custodit » Israël. » Videtur autem dormitare cum turbulentis hujus vitæ negotiis et insidiis agitamur.

III. « Dominus custodiat te, Dominus protectio tua, » super manum dexteram tuam [4]. » Idipsum in decimoquinto psalmo ait : « Providebam Dominum in conspectu » meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commo» vear [5]. » Et hoc item loco dicit : Ad dexteram manum tuam constitutus, et proteget et custodiet, et omni providentia dignabitur.

PSALMUS CXXI.

Canticum graduum [6].

ARGUMENTUM.

Tertium canticum iter agentibus prædicat ut in domum Dei concedant : Quare sic loquitur.

I. « Lætatus sum in iis quæ dicta sunt mihi : in do» mum Domini ibimus. »

[1] Psal. cxx, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Psal. xv, 8. — [6] Psal. cxxi, 1.

II. « Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Jerusalem[1]. » Vox senum hæc est, qui captivitatem sustinuerunt, et narrant pedes suos quibus jam iter agerent olim stetisse in Jerusalem.

III. « Jerusalem quæ ædificatur ut civitas[2]. » Ita, inquit, civitas olim erat; non hinc inde dispersa, sed ita constructa, ut videretur una domus esse, ex domorum continua serie et concinnitate.

IV. « Illuc enim ascenderunt tribus[3]. » Omnes tribus, inquit, quæ ex Ægypto per virtutem Domini egressæ sunt, ad eam urbem properabant, ad ferendum testimonium, sive ad gratias agendas Deo Israël. « Ad confitendum nomini Domini. » Eo quod impleverit admirabilem promissionem suam. Thronos autem domus David super eam fundatos esse ait : quoniam scilicet regnum in omnes prænuntiat David. Non unius imperium memorans, sed commune, in optimos et religiosissimos quosque, a quibus regnum Davidis erigitur per gratiam Christi : qui duodecim Apostolis, super duodecim thronos sedentibus, potestatem dedit judicandi Israëlem.

V. « Quia illic sederunt throni in judicio[4]. » Secundum historiam illic regia fuit, illic sacerdotum throni; civitate seu quadam duplici corona ac diademate ornata. Jam vero omnium ruina cernitur et pristinæ felicitatis reliquiæ exiguæ. « Throni super domum David. » In hac, inquit, civitate, id est in Jerusalem, throni regii positi sunt, in quibus justorum judicium redditur. Quos prior occupavit David, ac deinde qui ex illo secundum carnem orti sunt. Quapropter domum ipsius David nuncupat.

VI. « Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem[5]. » Heus vos, cum didiceritis quænam olim Jerusalem esset, pre-

[1] Psal. CXXI, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6.

camini pro pace ejus, nihil aliud requirentes quam quæ ad pacem ejus conducunt.

VII. « Fiat pax in virtute tua, et abundantia in turri- » bus tuis[1]. » Ac si dicat, in regia tua. Rogo, inquit, tibi bona, propter inhabitantes in te, qui propinqui et fratres tui sunt. Hæc senes Jerosolymæ precantur, ut scilicet pax sit in muris ejus, per hæc enim : « In virtute, » muros intelligit. Aut secundum aliam rationem, sanctos qui in ipsa erant.

VIII. « Propter domum Domini Dei nostri quæsivi » bona tibi[2]. » Quia, inquit, o Jerusalem, in te est domus Dei nostri, accepta referens beneficia « quæsivi bona » tibi. »

PSALMUS CXXII.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Quartum canticum orationem continet eorum qui remigrantes multis annis in itinere versati fuerant. Qui defessi in via, misericordiam et miserationem a Deo impendi sibi postulant, utpote qui a gentibus nihili penderentur. Quare consolans ipsos spiritus Sanctus, respondet et ait : Opprobrium abundantibus.

I. « Ad te levavi oculos meos qui habitas in cœlis[3]. » Ecce sicut oculi servorum in manibus dominorum

[1] Psal. cxxi, 7. — [2] Ibid. 9. — [3] Psal. cxxii, 1.

» suorum [1]. » Oculi eorum qui habent spiritum servitutis in timore sunt in manibus dominorum et dominæ; ejus autem qui spiritum adoptionis habet ad Dominum Deum.

II. « Miserere nostri, Domine, miserere nostri [2]. » Reduplicatio fervorem precationis ostendit. Non quasi digni simus misericordiam postulamus, sed utpote opprobriis onerati.

PSALMUS CXXIII.

Canticum graduum.

Nisi quia Dominus erat in nobis.

ARGUMENTUM.

Quintum canticum canentes qui in Judæam ascenderunt, preces emittunt, eo quod liberati sint a captivitate, et ab inimicis quos post ea superarunt.

[1] Psal. CXXII, 2. — [2] Ibid. 3.

PSALMUS CXXIV.

Canticum graduum.

Qui confidunt in Domino sicut mons Sion.

ARGUMENTUM.

Sextum canticum canunt, postquam ad ipsum desideratum montem pervenerant. Deinde videntes urbem absque muris, murum ipsi fore postulant Domini auxilium, ac inimicorum insidias effugere posse confidunt: ex eodem nimirum auxilio Dei, qui non relinquit virgam peccatorum super sortem justorum et sanctorum suorum.

« Pax super Israël [1]. » Pax enim quæ omnem superat mentem, ei soli datur qui mente valet. Imo etiam deletis inimicis hi pace fruebantur.

PSALMUS CXXV.

Canticum graduum. [2]

ARGUMENTUM.

Septimum canticum canunt qui cum ad ipsam urbem pervenerint, liberationis a captivitate certitudinem habent. Rogant autem pro reliquis qui adhuc erant in Babylone, ut ipsi etiam redimerentur.

[1] Psal. CXXIV, 5. — [2] Psal. CXXV. 1.

I. « In convertendo Dominus captivitatem Sion facti » sumus sicut consolati. » Hæc Apostoli prænuntiant de seipsis et de gentibus. Nam Davidis tempore nulla captivitas erat. Fortasse vero hæc de spirituali captivitate dicit. Illud enim, « dicent, » futurum prophetice significat.

II. « Tunc dicent inter gentes : Magnificavit Domi- » nus etc. [1] » Hoc nos multis lacrymis deplorandos esse ab omnibus significat. Omnes enim Dei magnificentiam mirantur, quod nos ex acerba illa servitute liberaverit. Et nos quidem clamamus, neque enim vacamus sensu, cum reliquos captivos nondum receperimus, pro quibus ita supplicamus : « Converte, Domine, captivitatem » nostram sicut torrens in austro [2]. » His significant magnam adhuc multitudinem in Babylone remanere, ita ut reditus ejus, Ægyptii fluminis decursui similis dicatur. Auster hic desertum dicitur.

III. « Qui seminant in lacrymis in exultatione metent. » Euntes ibant et flebant [3]. » Rogantibus pro reliquiis captivorum, respondet Spiritus propheticus, et ait : Si fleverint pro iis qui in Babylone supersunt : reditus illis concedetur.

PSALMUS CXXVI.

Canticum graduum Salomoni [4].

ARGUMENTUM.

Octavum canitur canticum jactis fundamentis Templi, sperantibus Judæis fore ut ædificium immotum semper

[1] Psal. CXXV, 2. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5, 6. — [4] Psal. CXXVI, 1.

maneret. Latenter igitur prænuntiat futurum ejus denuo sub Romanis excidium. Adjicitque prophetiam de Christi Ecclesia. Canitur porro prophetice a Salomone. Sicut etiam revera aliqui psalmi Zachariæ sunt et Aggæi. Octava autem jure intelligatur esse principium novi Testamenti.

I. « Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum » laboraverunt qui ædificant eam. » Hæc Judæis, ait de firmitate ædificii sui alte sentientibus.

II. « Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hæredi- » tas Domini, filii [1]. » Alte de templo sentitis, inquit, quasi in illo vobis hæreditas data sit. Verum ea, hæreditas vere non est. At cum dilectos suos ex priore populo requiescere fecerit, id est, Prophetas; tunc filiis suis hæreditatem daturus est. Ecquinam ii fuerint, nisi discipuli? [*Cord.*] Nam divina promissio, et puerorum benedictio, ceu quædam merces sperantibus in eum data est. « Merces fructus ventris. » Fructus ventris est salus spiritus, juxta illud : « Parturivimus et peperimus spiri- » tum salutis, quem fecimus in terra [2]. » Hujusce fructus merces, ut et hæreditas dabitur, scilicet adoptio.

III. « Sicut sagittæ in manu potentis, ita filii excus- » sorum [3]. » Excussos vocat eos ex priore populo qui abjecti sunt. Quorum filii scilicet Apostoli, fuere sagittæ potentis. Hisce enim adversarias potestates quasi sagittis confecit.

IV. « Beatus vir qui implevit desiderium suum ex ip- » sis [4]. » Beatos prædicat eos qui ex doctrina utilitatem percipient. « Non confundentur cum loquentur inimicis » suis in portis. » Aperte prædicationis adventum significat.

[1] Psal. cxxvi, 3. — [2] Isaï. xxvi, 18. — [3] Psal. cxxvi, 4. — [4] Ibid. 5.

PSALMUS CXXVII.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Nonum canticum beatum prædicat eum qui accedit ad timorem Dei. Jure autem postquam Apostolos futuros declaravit, beatos prædicat eos qui crediderunt.

I. « Beati omnes qui timent Dominum [1]. »

II. « Uxor tua sicut vitis abundans [2]. » Timenti Deum dono datur non quævis mulier, sed quæ bonis fructibus ornata sit. Nam bona mulier, bona portio.

III. « Et videas bona Jerusalem omnibus diebus vitæ » tuæ [3]. » Spiritualia scilicet bona, « quæ oculus non » vidit etc. [4] »

IV. « Et videas filios filiorum tuorum, pax super Is- » raël [5]. » Promissiones dicit. Sicut enim primi fructus animæ erga Deum religiosæ sunt fœtus ejus; sic secundi unst promissiones.

[1] Psal. cxxvii, 1. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 5. — [4] 1 Cor. ii, 9. — [5] Psal. cxxvii, 6.

PSALMUS CXXVIII.

Canticum graduum [1].

ARGUMENTUM.

Decimum canticum multa persecutionum genera Christi populum edocet, et quo pacto omnia superaturus sit, insidiatoribus semper superior effectus. Hoc autem ait quia ab initio prædicationis persecutiones fuerunt.

I. « Sæpe expugnaverunt me. »

II. « Dominus justus contrivit cervices peccatorum [2].» Nam omnes qui persecuti sunt, mali male peribunt.

PSALMUS CXXIX.

Canticum graduum [3].

ARGUMENTUM.

Undecimum canticum orationem complectitur Martyrum, et doctrinam confessionis novo populo datam. Clare autem virtutis propitiationem prædicat, quæ Christus est. De ipso namque dictum est : Et ipse propitiatio est pro peccatis nostris [4].

[1] Psal. cxxviii, 1. — [2] Ibid. 4. — [3] Psal. cxxix, 1. — [4] I Joan. ii, 2.

I. « De profundis clamavi ad te Domine[1].... Fiant » aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ. » Aures in Deo angelicas potestates intelligimus esse, per quas supplicationes nostræ ad Deum accedunt.

II. « Si iniquitates observaveris, Domine, Domine » quis sustinebit[2]? » Illa autem reduplicatio vocis, Domine, Domine, admirantis est divinæ clementiæ magnitudinem, apud quem esse propitiationem dicit, at non in bonis operibus nostris.

III. « Propter nomen tuum sustinui te, Domine[3]. » Hæc sunt verba eorum qui non propter necessitatem spiritualem, sed propter venerandum nomen ipsum accedunt, « ac sic in patientia currunt propositum certa- » men[4], » et nullo tempore abscedunt a Deo et ab iis quæ ipsi placent.

IV. « A custodia matutina usque ad noctem speret » Israël in Domino[5]. » Oportet enim etiam in molestis rebus Dominum expectare. Non solum enim in matutina custodia, non conspicua omnia sunt; sed etiam usque ad tenebrosa negotia et eventa. Sed oriente vero lumine, mens perspicax, lætarum rerum augmentum, tristium vacuitatem accipit : speret in illum quasi in fontem : apud illum namque est misericordia qui redemptio est, et propitiatio, qui virtute multa peccata purgat.

[1] Psal. cxxix, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Hebr. xii, 1. — [5] Psal. cxxix, 6.

PSALMUS CXXX.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Duodecimum canticum docet eum qui propitiatione donatus fuit, ne fidens suo profectu exaltetur, sed humiliter sentiat.

« Domine non est exaltatum cor meum.... Neque am-
» bulavi in magnis, neque in mirabilibus super me etc. »
Ut quis non exaltetur ait, contrariam virtutem esse admodum utilem, quam Salvator docuit his verbis : « Nisi » conversi fueritis et efficiamini sicut parvuli, non in- » trabitis in regnum cœlorum[1]. » Ablactatos autem pueros dicit, tribulationem significans. Etenim non nisi cum fletibus infans a matre discedit, dolens quod lacte privatus fuerit. Ita et ego, inquit, in ærumnis degens, semper Deum precor. Quod si non ita affectus essem, extremum supplicium luerem.

PSALMUS CXXXI.

Canticum graduum[2].

ARGUMENTUM.

Decimum tertium canticum, orationem continet pro Davide. Nam cum propitiatio omnibus remissionem peccatorum conciliet, necessario Spiritus sanctus, cum

[1] Matth. xviii, 3. — [2] Psal. cxxxi, 1.

reliquis qui salutem consequuntur et cum Davide ait : Domine, memento, secundum mansuetudinem ejus retribue illi. Quemadmodum enim ille, mansuetus cum esset, dimisit Saüli injurias sibi illatas, ita et ipsi delicta remitte.

I. « Memento, Domine, David et omnis mansuetudi- » nis ejus. »

II. « Sicut juravit Domino, votum vovit Deo Ja- » cob etc. [1]. » Cum didicisset enim ex Spiritu sancto, Dominum apud homines adventurum, daturumque multorum peccatorum remissionem, et cum speraret ipse per ejus adventum salutem se consecuturum, ediscere gestit, quandonam id erit, et ubi adventurus sit, et quonam modo peregrinaturus. Hæc edoceri exoptans, in tantam sese afflictionem conjecit, ut lectum omnem recusaverit, domui vale dixerit, et ante Deum jaceat humi prostratus ante faciem sanctuarii, juratus se nunquam surrecturum nisi hæc edisceret. Ob ejus perseverantiam misericordia motus Deus, annuit : ipsi ac postquam semel juravit non frustrabitur. Quare intulit : « Ecce » audivimus eam in Ephrata, » ipsa est Bethlehem. Ecquam audivit nisi futuram peregrinationem Domini?

III. « Invenimus eam in campis sylvæ [2]. » Nam spelunca ubi natus est Christus in planitie, seu in campis est.

IV. « Introibimus in tabernaculum ejus [3]. » Ecclesias subsequenti tempore futuras significat. « Adorabimus in » loco ubi steterunt pedes ejus. » Montem olivarum dicit, ubi omnis qui pertransit, adorat.

V. « Surge, Domine, in requiem tuam [4]. » Ejus in cœlos ascensum videre gestiunt. « Tu et arca sanctifica-

[1] Psal. CXXXI, 2. — [2] Ibid. 6. — [3] Ibid. 7. — [4] Ibid. 8.

» tionis tuæ. » Arcam sanctificationis sanctam ejus carnem vocat.

VI. « Sacerdotes tui induentur justitiam [1]. » Non vestimenta de more, inquit, sed ipsam justitiam, justitia autem est Christus.

VII. « Propter David servum tuum non avertas faciem » Christi tui [2]. » Cum beneficiorum omnibus hominibus collatorum, tum Davidis memento, quem propter peccatum ad conversionem adduxisti. Servus quippe est qui ex illo secundum carnem servi formam accepit.

VIII. « Juravit Dominus David veritatem [3]. » Et quandonam juravit? cum diceret ei : « Et erit postquam im-» pleti fuerint dies tui, et dormieris cum patribus tuis, » exurget ex semine tuo alius qui erit ex ventre tuo : et » præparabo in sæculum regnum ejus, ipse ædificabit » domum nomini meo : et erigam regnum ejus in sæcu-» lum. Ego ero illi in patrem, et ipse erit mihi in » filium [4]. »

IX. « Si custodierint filii tui testamentum meum [5]. » Futurum testamentum aperte prænuntiat, quod si custodissent qui ex Davide secundum carnem erant, futurum erat ut a parato sibi regno non exciderent.

X. « Hæc requies mea in sæculum [6]. » Nam si antiquum illud templum, ob Judæorum furorem desertum sit, at ibidem loca crucis, resurrectionis, ascensionis divina gratia donata sunt.

XI. « Escam ejus benedicens benedicam. Pauperes » ejus saturabo panibus [7]. » Singuli namque eorum justi semen cum sint non egent panibus. Scribitur quoque : « Viduam ejus, » scilicet eam quæ patrocinio caret. « Pauperes ejus saturabo panibus. » Id est, eos qui se-

[1] Psal. CXXXI, 9. — [2] Ibid. 10. Implicatus locus. — [3] Ibid. 11. — [4] 2 Reg. VII, 12. — [5] Psal. CXXXI, 12. — [6] Ibid. 14. — [7] Ibid. 15.

cundum Deum pauperes sunt. Panibus autem spiritualibus.

XII. « Sacerdotes ejus induam salutari [1]. » Ipse item Christus est qui salutare est, justitia quoque supra vocatus.

XIII. « Illuc producam cornu David [2]. » Quo tempore salutare apparebit, gloria Davidis orietur. « Paravi lu» cernam Christo meo. » Hoc de Joanne ait, juxta Domini dictum : « Ipse erat lucerna ardens et lucens [3]. »

PSALMUS CXXXII.

Canticum graduum.

ARGUMENTUM.

Decimum quartum canticum declarat bonum a Salvatore, postquam illuxit hominibus, collatum, dicens.

I. « Ecce quam bonum et quam jucundum [4]. »

II. « Sicut unguentum in capite, quod descendit in » barbam [5]. » Cum congregata, inquit, fuerit Ecclesia, et quemdam ceu concentum fecerit; tum unctio sancti Spiritus ac sacerdotium inducetur, primum quidem in caput Ecclesiæ, quod est Christus : deinde in barbam, quæ est decor faciei Ecclesiæ. Hîc autem intelliguntur Apostoli. Postremo autem ad totum corpus pertransiit, id est ad omnes qui in Ecclesia Christum induerunt.

III. « Quoniam illic mandavit Dominus benedictio-

[1] Psal. cxxxi, 16. — [2] Ibid. 17, — [3] Joan. v, 35. — [4] Psal. cxxxii, 1, — [5] Ibid. 2, 3.

» nem, et vitam usque in sæculum. » Illic, ait; videlicet apud fratres habitantes in unum : « et vitam; » non quamlibet, sed immortalem. In Sion enim sanctissimi Spiritus ros vivificus in sacros Apostolos demissus est, per quem omnes qui credunt benedictionem æternam consequuntur. Illorum enim cor et anima una.

PSALMUS CXXXIII.

Canticum graduum[1].

« Ecce nunc benedicite Dominum omnes servi Do-» mini. »

ARGUMENTUM.

Decimum quintum canticum, jubet eos qui adhuc in Ecclesia catechumeni sunt laudare Deum. Servos autem vocat ipsos, utpote qui nondum adoptione dignati sint. In noctibus extollite manus vestras in sancta[2]. *In noctibus adhuc consistere illos ait, quia nondum Spiritus sancti illuminatione donati sunt.*

« Benedicat te Dominus ex Sion[3]. » Ex Sion dicit : quia hoc nomen amabile ipsis erat, ubi erat ipsis omnis sanctificationis argumentum. Exinde vero docet ex quocumque loco invocandum esse, dicens : « Qui fecit cœ-» lum et terram. »

[1] Psalmus CXXXIII, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 3.

PSALMUS CXXXIV.

Alleluia [1].

I. « LAUDATE nomen Domini, laudate servi Dominum. » Hic quoque psalmus initiatis dicitur, jubens laudare Deum. Nam illud, « allelu, » interpretatur, « Laudate, » illud autem, « ia, Dominum. »

II. « Laudate Dominum quia bonus Dominus : psallite » nomini ejus quoniam suave [2]. » Hortatur eos ad psallendum, qui olim in Ægypto idololatriæ dediti fuerant. Hi autem erant Jacobi posteri [3]. Vocati sunt autem ad Deum hymnis celebrandum. « Israël in possessionem » sibi. » Quasi dicat, electum: perspicax enim mens Israël est.

III. « Quia ego cognovi quod magnus est Dominus, » et Dominus noster præ omnibus diis [4]. » A creatrice facultate novit ipsum esse Dominum.

IV. « In mari et in omnibus abyssis. Educens nubes » ab extremis terræ [5]. » Hoc ait, quia terram exterius ambiunt maria, ex quibus nubes educit. « Fulgura in » pluviam fecit. » Hoc item symbolum fuerit divinæ virtutis, quod in eodem loco fulgurum ignem cum aqua misceat. « Qui producit ventos de thesauris suis. » Per thesauros declarat incomprehensibilem hominibus esse ventorum naturam. Simile autem huic est illud Domini dictum. « Spiritus ubi vult spirat, et vocem ejus audis : » sed nescis unde veniat aut quo vadat [6]. »

[1] Psal. CXXXIV, 1. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6, 7. — [6] Joan. III, 8.

V. « Qui percussit primogenita Ægypti ab homine us» que ad pecus[1]. » Postremam plagam primam ordine ponit, quia post ipsam libertate donati sunt. Pecora autem memorat, quia propter hominem facta sunt, et propter eum castigantur. Ita ut per augmentum terroris divinitus immissam fuisse plagam perspicuum sit.

VI. « Simulacra gentium argentum et aurum, opera » manuum hominum[2]. » Postquam divinam providentiam ostendit et laudibus celebravit. Gentibus quæ nuper ad fidem accesserunt, quasi etiamnum servis, loquens, affert deorum quos olim colebant confutationem. Postquam dixit : « Quia ego cognovi quod magnus est Do» minus, et Deus noster præ omnibus diis. » Ipse enim tanta taliaque opera edidit : illi autem dii olim vestri, solum simulacra erant mortua, et cæca, quibus similes fiant qui faciunt ea. Quomodo enim qui inanimata adorant non lapides animo sunt. Quos autem superius ex consuetudine deos vocavit, nunc confundit et vocat idola et materiæ et operæ exprobrans.

PSALMUS CXXXV.

Alleluia[3].

I. « Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam » in sæculum misericordia ejus. »

II. « Qui divisit mare rubrum in divisiones[4]. » Antiquo sermone fertur in duodecim sectiones divisum fuisse mare, ut singulis tribubus singulæ viæ darentur.

[1] Psal. cxxxiv, 8. — [2] Ibid. 15. — [3] Psal. cxxxv, 1. — [4] Ibid. 13.

III. « Qui traduxit populum suum per desertum [1]. » Non minus miraculum in deserto quam in mari editum est. Multa quippe erant quæ mortem minabantur, fames, æstus, sitis, ferarum multitudo, commodorum omnium indigentia. Illi vero nemine perterrefaciente iter agebant. Ex duobus autem fortissimis regibus, qui de robore et magnitudine gloriabantur, liberavit eos. Ex quibus Og novem longitudinis quinque latitudinis cubitos habebat, et lecto ferreo utebatur.

IV. « Sehon regem Amorrhæorum etc. [2]. » Non sine causa, aliis omissis hos memoravit reges, sed ut populo in mentem revocaret divinitus concessam victoriam. Nam de robore ipsi et potentia et corporis mole gloriabantur.

V. « Quia in humilitate nostra memor fuit nostri Do» minus [3]. » Hæc verba : « Quia in humilitate nostra » memor fuit nostri Dominus; » aptius conveniunt iis qui a spirituali sive sensibili captivitate liberati sunt.

VI. « Qui dat escam omni carni [4]. » Non enim pios tantum benignus Deus curat, sed etiam usque ad bruta animantia : ita ut congruentem singulis cibum dispenset, et providentiam suam extendat a mirabilibus cœli, usque ad vilissima terræ : et exhinc rursum ad usque cœlum progreditur. Quare post illud : « omni carni, » adjicit : « Confitemini Deo cœli [5]. » Nam licet omnium sit opifex, per excellentiam tamen Deus cœli dicitur, eorum qui isthic degunt famulatu cultus. Siquidem locus ille a peccato purus et vacuus est.

[1] Psal. cxxxv, 16. — [2] Ibid. 19. — [3] Ibid. 23. — [4] Ibid. 25. — [5] Ibid. 26.

PSALMUS CXXXVI.

Davidi per Jeremiam.

I. « Super flumina Babylonis illic sedimus et flevimus[1].» Docetur hîc, futurum ut ii qui multis post annis in Babylone propter iniquitatem habitaturi erant, flerent et anxii essent, cupientes bona repetere sua.

II. « Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur » dextera mea[2]. » Scilicet ne supernum auxilium consequar.

III. « Adhæreat lingua mea faucibus meis, si non me- » minero tui[3]. » Quæ enim utilitas instrumenti ad sermonem destinati si ad officium non moveatur. Quamobrem beati viri per totam vitam de hymnis celebrandis curam habuere dicentes : « Cantabo Domino in vita » mea[4]. » Erat autem illis veneranda civitas ob divinum cultum, ut ante dictum est : « Propter domum Domini » Dei nostri quæsivi bona tibi. »

IV. « Si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ » meæ. » Tuam, inquit, memoriam omni lætitiæ præponam. Ita enim contingit ut reliquæ omnes lætitiæ bonæ sint. Dominus item sacros cibos ante corporales inducit.

V. « Memor esto Domine, filiorum Edom etc.[5]. » Filii Edom ab Esaü Idumæi, qui capta Jerusalem, acerbe insultabant, donec eam a fundamentis dirutam viderunt.

1 Psal. cxxxvi, 1. — 2 Ibid. 5. — 3 Ibid. 6. — 4 Psal. ciii, 23. — 5 Psal. cxxxvi, 7.

VI. « Filia Babylonis misera [1]. » Propheticus est sermo, qui Babylonis excidium prænuntiat. « Beatus qui » retribuet tibi retributionem tuam. » Ille, inquit, beatus qui te in captivitatem duxerit.

PSALMUS CXXXVII.

Davidi per Zachariam [2].

ARGUMENTUM.

Præsens psalmus prophetiam continet vocationis omnium gentium, de qua gratias agit, quod non solum ipse qui rex erat, Dei adventu et conspectu dignatus sit, sed etiam multos gentium reges, eadem gratia donandos ait, quod post adventum Domini dumtaxat factum est.

I. « Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo. » Hoc præceptum dedit Salvator diviti : dicens : « Diliges » Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex totis » viribus tuis [3]. »

II. « In conspectu Angelorum psallam tibi, adorabo » ad templum sanctum tuum [4]. » Quasi scilicet præsentibus Angelis, et ejus victoriam per Dei auxilium partam semper cernentibus. « Et confitebor nomini tuo super » misericordia tua et veritate tua. » Gratias agam, inquit, quod ab umbra liberatus, et veritatem consecutus

[1] Psal. CXXXVI, 8. — [2] Psal. CXXXVII, 1. — [3] Matth. XXII, 37. — [4] Psal. CXXXVII, 2.

sim. « Quoniam magnificasti super omne nomen sanc- » tum tuum. » De gentium vocatione gratias se referre dicit. Neque tantum de collatis mihi beneficiis gratias ago; sed quod tui gloriam in omnibus contempler, creatoris scilicet, benefactoris, ultoris. Nihil quippe est in rerum natura quod magnitudinem tuam non prædicet.

III. « Diuturnam curam habebis animæ meæ virtute » tua [1]. » Πολυωρίαν dicit diuturnitatem. Hæc est autem sententia : Virtute tua transmutabis me a corruptione in incorruptionem.

IV. « Et cantent in canticis Domini ; quoniam magna » est gloria Domini [2]. » Cantica Domini descripsit, quæ ab omnibus ex gentium populo credentibus canenda prædicit.

V. « Quoniam excelsus Dominus et humilia respicit [3]. » Ne mirere, inquit, si hæc apud homines futura sint, humana quippe non a Dei providentia aliena sunt. « Et » alta a longe cognoscit. » Prædifinivit enim a constitutione mundi vocationem gentium, juxta divinum Apostolum, assumptionemque ad excelsa.

VI. « Si ambulavero in medio tribulationis vivificabis » me [4]. » Simile est illud : « Tribulationem habebitis in » mundo; sed confidite ego vici mundum. Super iram [5] » inimicorum meorum extendisti manus tuas. » Immissa quippe est adversus illos dextera Patris, id est Filius, quæ nos salvos fecit.

VII. « Dominus retribuet pro me [6]. » Postquam judicavit enim de injustitia qua læsi sumus, principem mundi ejecit.

[1] Psal. CXXXVII, 3. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Joan. XVI, 33. — [6] Psal. CXXXVII, 8.

PSALMUS CXXXVIII.

In finem Psalmus Davidi per Zachariam in dispersione[1].

ARGUMENTUM.

Refertur psalmus ad personam Zachariæ, dum filii Israël adhuc essent in captivitate et Propheta quoque cum illis. Describit autem rationem divinæ erga nos providentiæ. Et quod non solum ad universa extendatur, sed rebus etiam singulis prospiciat; ita ut neque motus nostri neque cogitationes ab ejus providentia negligantur. Admiratur œconomiæ profunditatem, vocationem gentium aperte significat, et repugnantiam israëlitici populi adversus Christum. Propter hæc omnia in finem Davidi inscriptus est. Plerumque autem diximus, psalmos ita inscriptos, ad tempus adventus Domini spectare.

I. « Domine probasti me et cognovisti me. » Utpote qui confidat, se firmam in Christum fidem habere, nihilque sibi commune esse cum iniquitate improbi populi, eum ipsum qui corda formavit evocat in testem.

II. « Intellexisti cogitationes meas de longe, semitam » meam et funiculum meum investigasti[2]. » Etiamsi Deus cogitationum motum videat, multo magis vitæ

[1] Psal. CXXXVII, 1. — [2] Ibid. 3.

cursum cognoscit. « Semitam meam et funiculum meum » investigasti. » χοινισμος est mensura quædam viæ. Dicit autem eum omnem cogitationis motum scire : per vias enim motus significat.

III. « Quoniam non est dolus in lingua mea [1]. » Et hoc est quam maximum Davidis meritum, quod neminem læserit lingua, vel mendacio, vel perjurio, vel fraude, dolove, aliaque simili ratione.

IV. « Ecce, Domine, tu cognovisti omnia novissima » et antiqua [2]. » Media tacet, quia in medio sita malitia est. Non ab initio enim fuit, nec in fine erit. « Tu for» masti me et posuisti super me manum tuam. » Etiamsi, inquit, me formaveris, formatum me tenes et servas; nam impositio manus Dei, collatum nobis Spiritus donum significat. Quemadmodum Apostoli per manuum impositionem Spiritum sanctum præbebant.

V. « Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata » est et non potero ad eam [3]. » Ejusmodi est quod dicit. Multa alia esse a Deo in se facta, quæ ipse cognoscere non possit. Nam exsuperant, inquit, facultatem meam, et eorum cognitio mente mea longe superior est, ita ut ea, nec investigare nec loqui possim. Quæcumque enim dixi parva exiguaque sunt. Divinæ siquidem virtutis notitia parvitatem meam fugit.

VI. « Si ascendero in cœlum tu illic es [4]. » Simile illud : « Cœlum mihi thronus est. Si descendero in infer» num ades [5]. » Prædicit futurum Domini descensum in infernum.

VII. « Si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero » in extremis maris [6]. » Id est, si accipiam avium alas nondum defessas; id enim significat illud, « diluculo, »

[1] Psal. CXXXVIII, 4. — [2] Ibid. 5. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 8. — [5] Matth. V, 34. — [6] Psal. CXXXVIII, 9.

integris scilicet viribus ad volandum, et robore plenas. Hæc est autem sententia. Tu, Domine, qui omnia contines, omnia priusquam eveniant cognoscis, ubique præsens, omnia imples utpote Deus. Deinde, quo me vertam, si in quodpiam peccatum incidam, et si fugæ mihi necessitas incumbat, cum tu, Domine, omnia contineas?

VIII. « Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me. » Conculcabunt[1], » id est, contegent et occultabunt me oculis tuis. Sed ipsæ tenebræ perinde tuæ cognitioni sunt atque lumen.

IX. « Sicut et tenebræ ejus ita et lumen ejus, etc.[2] » Quemadmodum enim mihi nox tenebrosa est, ita et tibi lucida. Renes autem dicit, terroris incussores. Te, inquit, semper timebam, quia mihi semper judicium tuum ob oculos versabatur. « Suscepisti me de utero matris » meæ. » Jure, inquit, tui timorem habui, quandoquidem me in utero versantem providentia tua conservat.

X. « Confitebor tibi quia terribiliter magnificatus es[3].» Opportune præmissa illa theologia, confessionem postea edit. « Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit ni» mis. » Virtus illa quæ mihi occulta est, tibi Deo conspicua est.

XI. « Non est occultatum os meum a te quod fecisti in » occulto[4]. » Non latuit, inquit, mulieris lapsus, quam ex osse meo clam efformasti, postquam me gravi somno oppressisses; sed abscondita nostra cognoscis, qui latenter illam existere fecisti. « Et substantia mea in inferio» ribus terræ. » Etiamsi dissolvar, inquit, et in pulverem abeam, illud etiam notum est tibi.

XII. « Imperfectum meum viderunt oculi tui, etc.[5] » Antequam fierem, inquit, et antequam formarer, præs-

[1] Psal. cxxxviii, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Ibid. 14. — [4] Ibid. 15. — [5] Ibid. 16.

cientiæ tuæ oculi me contemplati sunt ac præviderunt: nec simpliciter, sed ut jam positum, connumeratum et descriptum in libro tuo. « Dies formabuntur et nemo in » eis. » Omnibus vitæ suæ diebus probe et ordinate sese gesserunt, ita ut ne unam quidem diem incompositam et inordinatam egerint.

XIII. « Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui » Deus[1]. » Simile est illud : « Qui recipit Prophetam in » nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet[2]. » Dinumerabo eos et super arenam multiplicabuntur[3]. » Spes, inquit, mihi est quod amicos tuos honore prosequar, futurum ut in resurrectione cum illis consistam, et propter eos honorem a te accipiam. Tunc, inquit, peccatores occidantur, hoc est, promeritas pœnas luant.

XIV. « Si occideris Deus peccatores[4]. » Gnarus suppliciorum quibus futurum est ut afficiantur, eos quodammodo ab se segregat. « Viri sanguinum declinate a me, » quia contentiosi estis in cogitationibus. » Causam indicat cur ab se peccatores expellat. Ideo, inquit, expelluntur, quia adversus Deum loquuntur ipsique repugnant, et frustra elati, superbe agunt adversum genus humanum.

XV. « Nonne qui oderunt te, Domine, oderam[5]? » Amicos quidem tuos diligebam et in amicitiam meam recipiebam : inimicos autem tuos perfecte oderam. Inimici autem Dei sunt primo quidem et proprie impuri dæmones : secundi post illos, qui idololatriam defendunt, et hæresum principes.

[1] Psal. CXXXVIII, 17. — [2] Matth. X, 41. — [3] Psal. CXXXVIII, 18. — [4] Ibid. 19. — [5] Ibid. 21, 22.

PSALMUS CXXXIX.

In finem Psalmus David[1].

I. « Eripe me Domine ab homine malo. » Clamat ad Deum ut ulciscatur injuriam a dæmonibus humanæ naturæ illatam, et ut iniquitatem in caput iniquorum convertat. Hæc autem etiam de sensibilibus inimicis dici possint.

II. « Qui cogitaverunt iniquitatem in corde, tota die » constituebant prælia[2]. » Non tantum enim humana ratiocinia admiserunt; sed etiam opera cogitationibus adjecerunt. Illud autem : « tota die, » Symmachus : « per singulos dies, » interpretatur.

III. « Juxta iter scandalum posuerunt mihi[3]. » Hæc omnia, inquit, faciebant, ut cursum ejus ad Deum sisterent, laqueis pedes ejus complicantes, ut eum a Dei conspectu dejicerent.

IV. « Ne tradas me, Domine, a desiderio meo pecca- » tori[4]. » Ego, inquit, Domine, salutem expeto, ne igitur derelinquas me, ne ex hac via deturbatus tradar peccatori, scilicet diabolo. « Cogitaverunt contra me : » ne derelinquas me ne forte exaltentur. » Sub tegumento alarum ejus contegi rogat, et sub potenti manu ejus, a qua nemo eripere potest. Ne itaque ut in alia qualibet re magnifice sentiant.

V. « Caput circuitus eorum, labor etc.[5] » In ipsos, inquit, recidat consilium eorum. Hoc enim significat, caput circuitus eorum. Caput enim peccatorum est cogi-

[1] Psal. CXXXIX, 1. — [2] Ibid. 2. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 9. — [5] Ibid. 10.

tatio et sensus. Insidiarum quibus me circumdederunt principium et caput, imo etiam defatigatio et labor ipsorum adversum me susceptus in ipsos recidat. Quos æquum est ignis supplicio tradi.

VI. « Cadent super eos carbones in igne [1]. » Nam ceu quodam igne ira tua absumes eos. « Dejicies eos in mi- » serias, et non subsistent. » Decident in calamitates, ex quibus non evadent. Hoc autem contigit Saüli in bello adversus Alienigenas. Ibi enim confossus finem vitæ accepit.

VII. « Vir linguosus non dirigetur in terra [2]. » Excipit impios ignis æternus. Et in hac vita vir linguosus non dirigetur usque in finem. Nemo enim contentiosus et maledicus, qui in terreno quopiam proposito versetur, dirigitur : Ex eo namque quod contentiosus sit pervertitur. Cum enim hujusmodi homines peccatis dediti sint, qua ratione a virtute dirigantur? « Virum injustum mala » capient in interitu. » Quasi enim proprio sibi morbo ex sua improbitate interit, congruenti pœna mulctatus. Sola enim improbitas animam ea affectam, vice supplicii cujuslibet, in interitum conjicit.

PSALMUS *David* CXL [3].

ARGUMENTUM.

Similis est hic psalmus præcedenti; verum ad doctrinam commodior.

[1] Psal. CXXXIX, 11. — [2] Ibid. 12. — [3] Psal. CXL, 1.

I. « DOMINE clamavi ad te, exaudi me : intende voci » supplicationis meæ cum clamavero ad te. » Clamor contentionem mentis prorsus indicat. Benevolo, inquit, animo, Domine, excipe supplicationem meam.

II. « Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo [1]. » Quæ ex mente procedunt, incenso comparat, utpote quæ subtilia sint et Deo soli offerantur. « Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. » Opera per manus edita sacrificio comparat, quia sensibiliora sunt animi voluntatibus. Vespertinum autem ait, quia oportet ad finem usque, bonis operibus vacare.

III. « Pone, Domine custodiam ori meo, et ostium » circumstantiæ labiis meis [2]. » Quia novit magnam rem esse, linguam perfecte custodire : Deum rogat ut sibi concedat linguæ temperantiam.

IV. « Non declines cor meum in verba malitiæ [3]. » Id est, ne concedas mentem meam semel probe concinnatam in adversum vergere : ut non admittam, inquit, cogitationes iniquitatis.

V. « Corripiet me justus in misericordia, et increpa- » bit me etc. [4] » Omnem castigationem a justo accipiam : benedictionem autem et adulationem peccatoris ne admittam, qua veluti oleo caput meum inungunt.

VI. « Quoniam adhuc et oratio mea in beneplacitis » eorum, absorpti sunt juxta petram judices eorum [5]. » Juxta petram constituti, ait, absorbebuntur. Significat autem ipsum Christum eos in abyssum demersurum. « Audient verba mea quoniam placuerunt. » Eventus, ait, prænuntiati contra illos supplicii aderit : hinc autem veritatis et modestiæ fidem verba mea accipient.

VII. « Sicut crassitudo terræ erupta est super terram [6]. »

[1] Psal. CXL, 2. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 4. — [4] Ibid. 5. — [5] Ibid. 6. — [6] Ibid. 7.

Quod terrenum erat in nobis, inquit, dirupimus, nosmetipsos propter te humiliantes; ita ut omnis nostra virtus ad infernum usque deprimeretur. Simile est autem illi : « Propter te mortificamur tota die [1]. »

VIII. « Quia ad te, Domine, Domine oculi mei [2].» Ego vero nulli humanæ rei confido; sed tuum expecto auxilium, et rogo ut ne anima mea illo nudetur. « In te spe» ravi, non auferas animam meam. » Id est : ne effundas aut evacues quam in te positam spem habeo.

IX. « Cadent in retiaculo ejus peccatores[3]. » Incidant, inquit, in sua retia peccatores : « Singulariter sum ego » donec transeam. » Tunc, ait, sine timore et sollicitudine pertransibo, cum ipsi peccatores in sua retia inciderint. Ego vero ab iis segregatus degam, donec vitæ finem accepero.

PSALMUS CXLI.

Intellectus David, cum esset in spelunca, Oratio [4].

ARGUMENTUM.

Oratio et nihil aliud sunt isthæc. Verum intellectu opus habent; ut ediscamus nos quo pacto inter varias occasiones, mala effugere valeamus.

I. « Voce mea ad Dominum clamavi, voce mea ad » Dominum deprecatus sum [5]. Effundam in conspectu

[1] Rom. VIII, 36. — [2] Psal. CXL, 8. — [3] Ibid. 10. — [4] Psal. CXLI, 1. — [5] Ibid. 2.

« ejus orationem meam [1]. » Totam mentem suam, inquit, Domino dicavit. « Tribulationem meam ante ip-» sum pronuntiabo. » In curriculo, inquit, pro ipsa anima concertans, supplicationes offero, rogans tribulationes minui. Nosti utique me injuria persecutionem pati.

II. « In deficiendo ex me spiritum meum [2]. » Hæc, ait, faciebam malorum vehementia conspecta ; nam prope mortem ipsam versabar. « Et tu cognovisti semi-» tas meas. » Hæc verba : « Et tu cognovisti semitas » meas, » sunt fidentis in vitæ cursu et in operibus. Cum videret autem spirituales hostes curantes introduci Saülem in speluncam, Davidis capiendi causa, jure dicebat : « absconderunt laqueum mihi, » quem præsens oratio dissipavit. Nam quod homines spectabat, comprehensus spelunca, omni effugiendi via interclusus erat, nec erat qui liberaret eum, nec qui requireret animam ejus.

III. « In via hac qua ambulabam absconderunt laqueum » mihi. » Si quis speluncæ locum consideret, hæc congruenter dicta fuisse reperiet. « Considerabam ad dexte-» ram et videbam, et non erat qui cognosceret me [3]. » Apponebant virtutem colentibus congruentia malitiæ machinamenta. Videlicet ei qui cum sapientia ambulabat; abscondebant pro laqueo, sapientiam quæ secundum Deum non est : quærenti cognitionem, apponebant eam quæ falso ita vocatur. Hoc porro dictum aliquam habet cum illo affinitatem : « Juxta iter scandalum po-» suerunt mihi. » Possunt autem hic laquei per hyperbolen declarari; in quos scilicet incidit qui non sibi cavet, de quibus dicit : « Considerabam ad dexteram. » Ambitiosioribus enim ad dexteram laquei positi sunt.

[1] Psal. CXL, 3. — [2] Ibid. 4. — [3] Ibid. 5.

IV. « Periit fuga a me, et non est qui requirat animam meam. » Nulla quippe supererat fugiendi via in spelunca, cum ante ostium obsiderentur a Saüle. Nemo, ait, animæ meæ salutem quærit.

V. « Clamavi ad te, Domine [1]. » In ipsum enim solum spem salutis reponere convenit.

VI. « Educ de custodia animam meam [2]. » Hæc ait quasi ad speluncam respiciens. Symmachus autem : « Educ a conclusione animam meam. Ad confitendum » nomini tuo. » Quando me, ait, ab hujusmodi ærumna et a custodia liberasti, tibi gratiarum actionis cantica rependam. « Me expectant justi donec retribuas mihi. » Si me exhinc eduxeris, inquit, in mercedem bonorum operum, reliqui justi me in exemplum præ oculis habentes, et ex iis quæ mihi contigerunt quæ ipsos spectant secum reputantes, supplicationes offerent tibi et ad te accurrent.

PSALMUS CXLII.

Psalmus cantici David, quando persequebatur eum Abessalom filius ejus [3].

ARGUMENTUM.

Similis argumenti cum priore est hic psalmus. Rogat enim liberari a persequentibus, ut ait Apostolus. Figurate autem isthæc antiquioribus contigere, scriptaque sunt ad monitionem nostram. Docemur itaque in

[1] Psal. CXLI, 6. — [2] Ibid. 8. — [3] Psal. CXLII, 1.

occasionibus ad solum Deum confugere. Sciendum autem est, orationem referri ad personam humanæ naturæ agitatæ et afflictæ ab arrogante illo Satana, a quo per Unigeniti adventum redimi se postulat.

I. « Domine exaudi orationem meam. » Exaudiri me, inquit, postulo per veritatem tuam. Perinde autem est ac si diceret. Exaudi me, mitteque Unigenitum tuum, qui est veritas et justitia.

II. « Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi[1]. » Per obscuritatem indicat ignorantiam, in qua olim versabatur. Nihil enim, inquit, differebam a mortuo. Mortuos sæculi, vocat idololatras illos veteres.

III. « Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus » meus[2]. » In postremis occasionibus quando cujuspiam anima periclitatur id convenit dicere : neque tamen in humanis negotiis iis uti necesse est.

IV. « Auditam fac mihi mane misericordiam tuam[3]. » Matutinam Domini resurrectionem significat : aut fortasse rogat advenire matutinam Christi resurrectionem, qua misericordiam consecuti sumus.

V. « Notam fac mihi, Domine, viam in qua ambu- » lem. » Evangelicam doctrinam consequi rogat.

VI. « Eripe me de inimicis meis[4]. » Spiritualibus videlicet.

[1] Psal. CXLII, 3. — [2] Ibid. 7. — [3] Ibid. 8. — [4] Ibid. 9.

PSALMUS CXLIII.

Davidi adversus Goliath.

I. « Benedictus Dominus Deus meus [1]. » Ex gaudio tale procemium emittitur. « Qui docet manus meas ad » prælium. » Manus vocat opera cum pietate erga Deum facta, per quæ Satanam impugnamus.

II. « Homo vanitati similis factus est [2]. » Singuli homines huic mundo similes sunt.

III. « Fulgura coruscationem, et dissipabis eos [3]. » Fulgur vocat evangelicam prædicationem.

IV. « Emitte manum tuam de alto, eripe me et libera » me de aquis multis, de manu filiorum alienorum. » Quorum os locutum est vanitates [4]. » Agit de cogitationibus quæ ex dæmonum insidiis nos circumsistunt. Aut forte aquas dicit Judæorum populum qui circumdabat Apostolos, ut cohiberet ac perderet. Atque illi ipsi fuerint filii alieni, qui vana loquuntur: Et quæ vana, nisi cum Christo dicerent : « Quare tu, homo cum sis, » facis teipsum Deum [5] ? »

V. « Deus canticum novum cantabo tibi [6]. » Evangelicum scilicet : sermo autem est ex persona Davidis. « In » psalterio decachordo psallam tibi. » Psalterium decachordum est corpus, quod quinque sensus habet, et quinque animæ operationes : singulis scilicet sensibus insunt singulæ operationes.

[1] Psal. CXLIII, 1. — [2] Ibid. 3. — [3] Ibid. 6. — [4] Ibid. 7. — [5] Joan. X, 33. — [6] Psal. CXLIII, 9.

VI. « Qui das salutem regibus nostris[1]. » Sanctis scilicet Apostolis, quos Christus principes eorum constituit. « Qui redemisti David servum tuum de gladio maligno, » eripe me, et erue me de manu filiorum alienorum[2]. » Propter tua cum illis pacta, omnem nostri sollicitudinem geras. Gladium namque malignum, irruentium furorem et ferocitatem vocavit. Ipsos autem alienos vocat, utpote impios.

VII. « Quorum filii sicut novellæ plantationes in ju» ventute sua[3]. » Ejus qui secundum carnem est populi, inquit, florentes sunt : ejus autem qui secundum spiritum, humiles. Hi namque sunt qui dicunt : « Etiamsi » exterior noster homo corrumpitur, interior reno» vatur[4]. »

VIII. « Filiæ eorum compositæ, circum ornatæ ut si» militudo templi. » De ornatu terrestri loquitur. Quamobrem non templum Dei factæ sunt, sicut sanctæ credentium animæ; sed similitudo templi. Simulabant enim se secundum legem vitam agere. At in se verbum non habebant, sed malignum spiritum.

IX. « Promptuaria eorum plena, eructantia ex hoc in » illud[5]. » Recondiderunt enim non cœlestes, sed terrenas divitias.

X. « Oves eorum fœtosæ abundantes in egressibus » suis etc.[6] » Pinguia et fœcunda sunt pecora eorum. « Non est ruina maceriæ neque transitus. » Magnam, inquit, felicitatem nacti sunt. Quæ tamen ad finem usque non perdurabit. Illud enim in alio psalmo docuit his verbis : « Dejecisti eos dum elevarentur[7]. »

XI. « Beatum dixerunt populum cui hæc sunt : beatus » populus cujus Dominus Deus ejus[8]. » Et illi quidem

[1] Psal. CXLIII, 10. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12. — [4] 2 Cor. IV, 16. — [5] Psal. CXLIII, 13. — [6] Ibid. 14. — [7] Psal. LXXII, 18. — [8] Psal. CXLIII, 15.

non recte judicantes, sed quæ carnem spectant magni facientes, eum qui hæc ample possideat beatum esse existimant. Verum id nequaquam felicitas est. Sed invocare Dominum Deum suum [illud est vere felicitas.]

PSALMUS CXLIV.

Laudatio ipsi David [1].

I. « Exaltabo te Deus meus Rex meus. » Non altitudinem ipsi dat quasi ea careat; sed aliis declarat eam ipsum obtinere. Quale est illud : « Pater clarifica nomen » tuum in terra [2]. » Non rogat enim eam accipere quam non habet, sed eam quam habet manifestari : ut indicat illud : « Clarifica me claritate quam habui apud te ante- » quam mundus fieret [3]. »

II. « Per singulos dies benedicam tibi [4]. » Apud Hebræos initium præsentis versiculi est *Beth*. Docet autem, nullam esse diem absque hymnis prætermittendam. Tota igitur anima, tota mente, exaltare Deum, et benedicere illi oportet, nomenque ejus glorificare mortalibus nominibus atque verbis.

III. « Generatio et generatio laudabit opera tua etc.[5]» Ecclesiam ait ex ambobus populis congregatam, ex circumcisione scilicet et ex gentibus. Ejus autem opera narrat quæ in adventu suo fecit : multisque modis ea celebrat; virtutem, magnificentiam, gloriam, sanctita-

[1] Psal. cxliv, 1. — [2] Joan. xii, 28. — [3] Joan. xvii, 5. — [4] Psal. cxliv, 2. — [5] Ibid. 4.

tem, et mirabilia dicens. Ac rursum virtutem, magnitudinem, suavitatem, justitiam et miserationes.

IV. « Et virtutem terribilium tuorum dicent[1]. » Cum bonis operibus ita loquentur, et cum recta sententia. Quale est illud : « Terribile est incidere in manus Dei » viventis[2]. » Et illud : « jubilate Deo in voce exulta» tionis : quoniam Dominus excelsus terribilis[3]. » Hæc enim dicent quod timeant et honorent Deum. Narrabunt autem ejus magnitudinem, utpote quæ terminum non habeat, non circumscribentes eam cognitione sua, sed ut incomprehensibilem. Solus namque Filius cognoscit Patrem, et Pater Filium. Etiamsi vero Patrem manifestet quibus vult; at ut opificiis possibile est ipsum videre, habita ratione præparationis cujusque hominis.

V. « Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructa» bunt[4]. » Omnibus ipse hominibus, utpote qui Deus bonus sit, suavitatem suam impertivit, et miseratur omnia opera sua. Salutem autem consequuntur qui suavitate ejus frui volunt.

PSALMUS CXLV.

I. « Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum » in vita mea[5]. »

II. « In illa die peribunt omnes cogitationes eorum[6]. » In hora mortis, inquit, omnia cogitata ejus publica fient, nec occultum erit quidpiam eorum quæ in terra cogitavit.

[1] Psal. CXLIV, 6. — [2] Heb. X, 31. — [3] Psal. XLVI, 2. — [4] Psal. CXLIV, 7. — [5] Psal. CXLV, 1. — [6] Ibid. 2.

III. « Dat escam esurientibus [1]. » Spiritualem scilicet, iis qui omne bonum expetent.

PSALMUS CXLVI.

I. « Laudate Dominum quoniam bonus est psalmus [2]. » In præcedenti psalmo sese hortabatur in Deum solum spem ponere : In hoc autem apostolicum chorum exhibet docentem multitudinem, laudare Deum de beneficiis generi hominum collatis.

II. « Suscipiens mansuetos Dominus [3]. » Mansuetos vocat eos qui fidem ejus susceperunt, imitati eum qui dixit : « Mitis ego sum [4]. » Ego autem peccatores odio habeo, inquit, qui sunt impuri dæmones in igne habitantes.

III. « Et herbam servituti hominum [5]. » Servitutem hominum vocat boves, mulos et reliqua jumenta.

[1] Psal. CXLV, 7. — [2] Psal. CXLVI, 1. — [3] Ibid. 6. — [4] Matt. XI. 29. — [5] Ibid. 8.

S. ATHANASII

ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI

FRAGMENTA VARIA.

FRAGMENTUM I.

Ex commentariis in cantico canticorum.

I. « In gregibus amicarum tuarum quasi errabunda[1].» Ille sic eam alloquitur : Nosce teipsam prius, ut me quoque cognoscere possis. Si te nosse non possis : si non noveris, neque scias teipsam, egredere tu ad calcanea et vestigia, et pasce capellas tuas, ac nutries peccata virtutum loco. « In tabernaculis pastorum, » in concupiscentiis adversariarum potestatum, quæ te pascunt.

II. « Vocavi eum nec respondit mihi. Surgam et cir-» cuibo civitatem[2]. »

Legem legam, Prophetas legam; investigabo Evangelia. Hæc autem ait divino amore compuncta : « In lecto meo in noctibus[3]. » Lectum vocat perfectiorem boni participationem; noctem vero dicit, lecti tempus. Nomine porro noctis, indicat invisibilium rerum contemplationem, ad similitudinem Mosis, qui in caligine fuit, in qua versabatur Deus.

[1] Cant. I, 6. — [2] Ibid. III, 2. — [3] Ibid. III, 22. Ibid. III. 7.

Ejusdem.

III. Ignorabam enim quis esset qui me vulnerasset. Mihi decumbenti Dei cognitionem indidit Verbum. Ac protinus surgens quæro eum qui me vulneravit, rogoque illum ut coram me se sistat, ac circumeo quærens patruelem meum.

IV. « Egredimini et videte, filiæ Sion, Regem Salo» monem [1]. »

Judæos pudore afficit dicendo : egredimini, quasi diceret : Quousque in umbra sedetis? ecce enim ex Juda Dominus ortus est, caritatem a filiabus Jerusalem. Cogitationum firmitas, aut interiores sancti lapides. « In co» rona qua coronavit eum mater sua. Posuisti « enim, ait, « super caput ejus coronam de lapide pretioso [2].»

V. « Descendat patruelis meus in hortum suum [3]. »

Affla me, o Verbum, et doce me eloquia tua : ac præcepta tua conscribe in tabula cordis mei. Parata jam sum : possum tua auxiliante gratia, tua invisibili et omnipotente gubernante manu, et verba audire divina, et mysteriorum esse particeps.

FRAGMENTUM II.

Ex commentariis in Matthæum.

Quo pacto intelligendum illud : Qui respicit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo [4].

I. Moechatur corde cum muliere, qui perficiendo operi consensit; sed ab illicito et pravo congressu, aut loco,

[1] Cant. III, 1. — [2] Psal. XX, 4. — [3] Cant. VI, 1. — [4] Matth. V, 28.

aut tempore, aut metu Romanarum legum coercitus est. Quod autem multi, qui exterius in peccatum non proruperunt, quasi mœchi supplicio affecti fuerint, omnibus palam facere in promptu est ex Holopherne. Nam cum fœdum opus peragere gestiret, Judith, ceu lex quædam justitiæ, districto gladio caput ejus abscidit, invocato prius ad opem et patrocinium legum datore et continentiæ opitulatore Deo. Eodem quoque modo senes duo, cum Susannæ dixissent, « Ecce in concupiscentia tui » sumus[1] » etiamsi facinus non perpetrassent, ut mœchi plexi ac morte mulctati sunt. Si hoc ergo tempore quispiam sit hujusmodi, intemperans, lascivus, alienas uxores appetens, is animo fornicatur. Nam qui in affectus suos imperium habet, a quovis delicto purus et ab obscœnis dictis; hic mœchus non est, sed cupiditatis victor; quippe qui voluptatis impetum divino metu, quasi decumanum maris fluctum a solida et firma petra repressum, coërceat.

II. « Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, » et projice abs te[2], » et cætera. Incedentes autem in via nulli errori obnoxia et vivifica, oculum eruamus si nobis offendiculo sit; non quidem sensilem illum, nam cæci quoque mœchi sunt, sed spiritualem; ut si, verbi causa, Episcopus et Presbyter qui sunt Ecclesiæ oculi, improbe versentur, et populo lapsus occasio sint, abjiciendos oportet. Præstat enim in domo orationis, remotis illis, conventus agere, quam velut cum Anna et Caïpha injici in gehennam ignis. Similiter si Diaconus, qui pro manu habetur, indignum quid egerit, ab altari segregetur. Minister vero qui pro pede reputatur, si improbe ad mendacium, et ad munera, ut Giezi, accipienda decurrat; hunc quoque opus est, ut pravum et

[1] Dan. XIII, 20. — [2] Matth. V, 29.

imprudentem hominem, a ministerio submovere; ut Ecclesia sine offensione congregata servetur.

FRAGMENTUM III.

Ex Eisdem commentariis in Matthæum.

I. « Attendite ne eleemosynam vestram faciatis coram » hominibus, ut videamini ab eis : alioqui mercedem » non habebitis apud Patrem vestrum qui in cœlis est[1]. » Hortatur itaque nos Unigenitus, ut ne eleemosynam faciamus coram hominibus; non ut cunctemur fratres nostros fovere, ac egenis bene facere; sed ut ne, vanæ laudis appetentium Pharisæorum exemplo, præsentem gloriam aucupemur : sed potius mercedem fidelis et accuratæ eleemosynæ a Deo in futuro expectemus, qui non tantum de munere delectatur, quantum de opima et bona largientis voluntate, ut ex inopis viduæ, quæ duo minuta in gazophylacium misit, exemplo ediscere valemus.

II. « Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra » tua quid faciat dextera tua. » Id est, voluntates carnis, Spiritus sancti consilium ne noverint. Quî vero fieri potest, ut dum quis facit eleemosynam, manus ejus sinistra in partem operis ac beneficii non veniat? Oportet enim ambas manus se invicem in præstando beneficio prorsus juvare. Nam læva manu pecuniam sive crumenam tenente, dextera bonum semen in agro cordis pauperum spargit, ut spicam metat, non culmo hærentem;

[1] Matth. VI, 1.

sed vitam sempiternam et immortalem in cruce suspensam. Non vult autem Unigenitus, sinistras carnalesque cogitationes scire quid faciat manus dextera sancti Spiritus, ne forte bono proposito et opimæ voluntati aversentur dicentes : Opus nobis est ad multos annos cibos sumptusque curare, vestes varias, ornatas domos, argenteum ferculum, depositum aureum, mancipia ad ministerium, vicos et agros ad proventus. Dextræ enim partes sancti Spiritus nihil horum omnino curant vel concupiscunt, huic Dominicæ voci fidem habentes, « Quærite primum regnum Dei, et hæc omnia adjicien» tur vobis [1]. » Sic certe non noverit sinistra quid faciat dextera. Cum enim mens puro Deo placendi desiderio affecta, totisque nitens viribus ne ab officio recedat, legitime decertat; tunc sane nullius neque membri alicujus recordatur, nisi ejus quod ad præsens opus usu veniat; haud secus atque artifex, qui quovis tempore solum sibi necessarium instrumentum respicit. Insuper si nulla incredulitatis in fide ratio subsit, nec lux possit esse tenebrarum causa, nec cum Christo diabolus commonstrari valeat; manifestum sane est neque cum ratione esse posse, id quod rationi omnino contrarium est. Quod si cum ratione prorsus esse non possis id quod est rationi contrarium; qui ad virtutum rationem evectus est, situm rationi contrarium nescit, sed unam virtutem cognoscit; atque ideo neque dexteram quoad excessum, neque sinistram quoad defectum novit. Utrobique enim occurrit quod rationi aperte contrarium est.

III. « Orantes autem ne multum loquamini [2]. » Longas hic orationes, sed non frequentes aversatur. Jubet enim sine intermissione orare.

[1] Matth. vi, 33. — [2] Matth. vi, 7.

FRAGMENTUM IV.

Ex Eisdem commentariis in Matthæum.

Quod non judicandum sit, ex Evangelio secundum Matthæum.

« Nolite judicare, ut non judicemini; in quo enim » judicio judicabitis, judicabimini [1] : et in qua mensura » mensi fueritis, remetietur vobis. » Ait vero Dominus ea ipsa atque æqualia iis accidere qui judicant, atque iis qui metiuntur: non quemadmodum aiunt hæretici, se ipsos in errorem deducentes, « non intelligentes neque » quæ loquuntur, neque de quibus affirmant [2]. » Hi namque per insanos atque perniciosos pœnitentiæ ritus pecuniæ quæstum aucupantes, aiunt non judicandum sive damnandum esse eum qui peccata mortalia admittit : ait quippe Dominus : « Nolite judicare ut non judi- » cemini [3]. » Quod si ita se res habet ut affirmant ipsi, Noë sane vir justus damnatus fuit, quod derisorem Chamum judicaverit damnaveritque, ut esset fratrum servus [4]. Moyses item lato judicio in eum qui ligna collegerat die Sabbati, jussit eum extra castra lapidibus necari [5]. Ejus quoque successor Jesus, sententia in Achar ob furtum prolata, cum domus supellectile tota exterminavit ipsum [6]. Phinees etiam Zambri fornicationis causa damnans, ipsum hasta confodit [7]. Samuël Agag regem Amalecitarum interimit in conspectu Domini [8]. Helias falsos prophetas damnatos, quasi porcos in torrente jugulavit [9].

[1] Matth. VII, 1. — [2] 1 Tim. I, 7. — [3] Matth. VII, 1. — [4] Gen. IX, 26. — [5] Num. XV, 35. — [6] Josue. VII, 25. — [7] Num. XXV, 8. — [8] 1 Reg. XV, 33. — [9] Reg. 18. 40.

Elisæus Giezi acceptæ pecuniæ reum damnavit, effecitque leprosum [1]. Daniel vero lascivos senes sycophantiæ causa ab se damnatos, juxta legem Mosaïcam ultus est [2]. Petrus autem qui accepit claves regni cœlorum, Ananiam cum uxore, quod partem pecuniæ ex vendita propria possessione subduxissent, damnans, extinctos subito cadere fecit [3]. Et Paulus quoque Alexandrum fabrum judicavit dicens : « Reddet illi Dominus secundum opera sua [4]. » Hymenæum vero atque Philetum tradidit satanæ, ut ediscerent non ultra blasphema effari. Arguit autem ecclesias Corinthiorum, quod non judicaverint, his verbis : « Non « est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare in- » ter fratrem suum ? An nescitis quia Angelos judicabi- » mus [5] ? » Si itaque omnes justi, qui judicaverunt, non ideo condemnati, imo vero ad spirituale ministerium allecti et cooptati sunt, quæ causa est ut illi non judicandum esse censeant ? Ait itaque Dominus : « Nolite ju- » dicare, ut non judicemini, » non ideo sane ut quid faciamus vel admittamus, de quo judicium non feramus, sed quia Pharisæi et Scribæ se mutuo judicabant et damnabant, ipsi vero non sese emendabant. Sic homicidam illum secundum legem capitis damnarunt, cum ipsi interea Prophetas inique trucidarent : mœchum adulterii causa pœnas luere decreverunt, cum ipsi ceu equi lascivi hinnirent ad alienas uxores : sententiam in furem tulerunt, ipsi raptores pecuniæ alienæ. Erantque « excolantes » culicem, et deglutientes camelum [6]. » Quod autem tales fuerint Pharisæi atque Scribæ, palam est ex iis quæ singulis eorum in sequentibus ait Dominus : « Quid autem » vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ » in oculo tuo est, non consideras [7] ? Aut quomodo potes

[1] 4 Reg. v, 27. — [2] Dan. xiii, 62. — [3] Act. v. — [4] 2 Tim. iv, 14. — [5] 1 Cor. vi, 5, et 3. — [6] Matth. xxiii, 24. — [7] Matth. vii, 3.

» dicere fratri tuo : Sine ejiciam festucam de oculo tuo? » Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et » tunc perspicies ut educas festucam de oculo fratris » tui. » Quod si tu in oculo tuo habes intemperantiæ et libidinis trabem, ita ut cæcutias, qui possis proximum tuum avertere a festuca levis cujusdam peccati? Divinus autem Paulus ad Romanos scribens, de hypocritis hujusmodi, qui pietatem ementiuntur, talia fatur : « Qui » alium doces, teipsum non doces : qui prædicas non fu- » randum, furaris : qui dicis non mœchandum, mœ- » charis [1] : qui abominaris idola, sacra expilas : qui in » lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inho- » noras. » Et rursum : « In quo enim judicio judicas al- » terum, teipsum condemnas : eadem enim agis qui » judicas [2]. » Sicut et transgressores Paschatis, per Paschatis prævaricationem Christum inhonorant, cujus est Pascha. In qualibet igitur re, qui alium judicat, siquidem is idipsum peragat, seipsum judicat; velut duo illi senes, qui cum de Susanna quasi adultera judicium tulissent, eamque damnassent, secundum Mosaïcam legem adulterii ipsi quoque damnati sunt. Pharao autem in qua mensura mensus est, remensum est ipsi : qui enim pueros in fluvio demergi ac suffocari jusserat, ipse quoque submersus periit in mari Rubro. Sacerdotes vero qui Zachariam ad altare trucidarunt, ipsi quoque sub altari a Romanis jugulati sunt : ut ediscas quod in qua mensura quis mensus fuerit, in eadem remetietur ei; et per quæ quis peccaverit, per hæc et punietur.

[1] Rom. II, 21. — [2] Rom. II, 1.

FRAGMENTUM V.

Ex Eisdem commentariis.

De incontaminatis mysteriis.

« Nolite sancta dare canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, » ait Christus. Id sane recti judicii est. Neque enim Dominus indiscriminatim ac sine distinctione dixit : Date sancta et margaritas omnibus; sed, « Nolite dare sancta canibus[1], » id est malis operariis, dicente Apostolo : « Videte canes, videte malos » operarios, videte porcos[2]; » quo significantur libidinosi homines. Neque abs re sane, sed admodum congruenter porcis libidinosi comparantur. Quemadmodum enim si quis porcum ex cœno eduxerit, id sibi porcus damno esse arbitratur; ita si quis libidinosum ex cœno voluptatis avertat, is temperantiæ consiliarium non amici, sed adversarii loco habet. Ne projiciamus ergo nostras incontaminatorum mysteriorum margaritas ante homines porcis similes. At dicet quispiam, sacrorum participes esse volunt, et sunt tamen canes impudentes, et porci volutati in cœno voluptatis : tu vero ne dederis. Nam ægri quoque aquam postulant; sed medici vetant : Tyranni regiam purpuram expetunt; sed illius custodes, periculum suspicantes, non concedunt. Vide ergo tu quoque, Diacone, ne indignis purpuram impeccabilis corporis præbeas; ne rationi reddendæ, non secundum Romanas leges, sed secundum Domini dicta, obnoxius sis. « Nolite, » igitur, « sancta dare canibus, neque mit-

[1] Matth. VII, 6. — [2] Phil. III, 2.

» tatis margaritas vestras ante porcos, ne forte concul- » cent eas pedibus suis, » inconsideratis scilicet cogitationibus, « et conversi dirumpant vos, » schismata hæresesque facientes.

FRAGMENTUM VI.

Ex Eisdem commentariis.

De falsis Prophetis.

« Ait Dominus : Attendite a falsis prophetis, qui ve- » niunt ad vos in vestimento ovium, intrinsecus autem » sunt lupi rapaces : a fructibus eorum cognoscetis eos[1].» Si itaque quempiam videris, o frater, qui sit honesto indutus vestimento; ne attendas ipsi, etiamsi ovis pelle vestitus sit, et Presbyteri, Episcopi, Diaconi, vel ascetæ nomen habeat: sed ejus opera accuratius perpendas; an sit temperans, an hospitalis, an misericors: an caritatem habeat, an perseveret in orationibus, an sit patiens. Si Deum ventrem habeat, et guttur infernum, divitiarum morbo laborans, pietatem pro quæstu habens, dimitte illum : non est enim pastor peritus, sed lupus rapax. Si autem nosti arbores ex fructibus probare, quænam scilicet sint natura, gustu, pinguedine; multo magis ex operibus periculum facere debes eorum, qui Christo ad quæstum utuntur; quia dum aliquam sanctitatis famam præferunt, animam possident diabolicam. Quod si ex spinis non colligis uvas, nec ex tribulis ficus, quid opinaris posse te quid boni audire, et ex prævaricatoribus quidpiam utile ediscere? Illos itaque aversare

[1] Matth. VII, 15.

ut lupos Arabicos, et spinas inobsequentiæ, tribulos iniquitatis, arbores malas [1]. Si videris sapientem aliquem, ex consilio Sapientiæ mane vigila ad illum, stationes portarum ejus terat pes tuus, ut ab eo ediscas legis umbras, et gratiarum dona. Neque enim sophisticus sermo et habitus modestus introducunt in regnum cœlorum; sed fides perfecta ac minime curiosa, cum providentia virtutis plena et conspicua.

FRAGMENTUM VII.

Ex commentariis in Lucam.

I. « Et ecce eris tacens, et non poteris loqui, usque » in diem quo hæc fiant; pro eo quod non credidisti » verbis meis, quæ implebuntur in tempore suo [2]. » Zachariæ non credenti jure non parcit Angelus, quia ille steriles alias mulieres, quæ antea pepererant, in exemplum habuit, ut docent Scripturæ sacræ. » Ideoque » quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei [3]. » Neque solum ait Angelus ad Virginem, « quod nasce- » tur, » ne ipsi extrinsecus inductum corpus putaretur; sed illud etiam addidit, « ex te, » ut quod nascebatur ab ipsa naturaliter proditurum crederetur. Sanctum autem vocandum erat, non quasi in ipso Filius Dei habitaturus esset, atque ex participatione esset sanctificandus; sed quia utpote Filius Dei, vere ac secundum naturam sanctus esset, atque unus. « Et ecce Elisabet cognata » tua. » Cognatam autem sanctissimæ Virginis Elisabetam dixit Angelus; sive quia ex uno eodemque proavo

[1] Eccle. VI, 36. — [2] Luc. I, 20. — [3] Ibid. 35.

Jacobo ortum ducebant; sive quia ante datam legem, Aaron qui ex tribu Levi erat, Elisabetam uxorem accepit, filiam Aminadab et sororem Naasson, ex tribu Juda orti [1]. Siquidem hic regia tribus Juda, ex qua sanctissima Virgo exorta est, sacerdotali tribui Levi conjuncta est, ex qua Elisabet erat. Quamobrem admirabili prorsus modo sapientissima sanctissimi Spiritus gratia curavit, ut etiam hæc Zachariæ uxor, perinde atque illa Aaronis conjux, Elisabet vocaretur; ut vel ex nomine clare edisceremus, cognationem Virginem inter et matrem Præcursoris Elisabetam, ex alia illa Elisabeta duci.

II. Cum porro dixit sanctissima Virgo: « Ecce ancilla » Domini, fiat mihi secundum verbum tuum [2]; » id declaravit : Tabula sum in qua quidquid scribæ placet, describitur. Scribat, pro lubito agat Dominus universi. Accepta Angelus a sanctissima Virgine fidei confessione abscessit ab illa.

III. « Magnificat anima mea Dominum [3]. » Sicut enim gloriam Deo afferre, non significat ipsi laudem aliquam et honorem extrinsecus tribuere : neque etiam Dominum sanctificare, significat illi sanctitatem addere; sic magnificare Deum, non indicat ipsi conferre magnitudinis accessionem : sed qui magnificat ipsum, magnitudinis illius participationem in se recipit. Quamobrem dictum est : « Magnificat anima mea Dominum. » Quæ sane admiranda ei non videbuntur, qui probe noverit Deum nequaquam accipere, sed largiri bona.

IV. « Quia respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce » enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes [4]. » At qualis res est virginitas? Nam alias quidem virtutes si quis exercere velit, is a lege dirigitur : at virginitas

[1] Exod, VI, 23. — [2] Luc. I, 38. — [3] Luc. I, 46. — [4] Ibid. 48.

quæ legem superat, atque ad præstantiorem scopum vitæ institutum agit, indicium est futuri sæculi, atque una angelicæ puritatis imago. Multa sane de illa suppetunt dicenda; at ne manifestis in rebus moras traham; vel unum omnium instar erit, quo hujusmodi virtutis præstantiam declarem. Siquidem Deus Verbum omnium dominus, cum vellet Pater omnia erigere atque renovare, matrem corporis, quod gestaturus erat, non aliam quam virginem esse voluit : quod ita factum est ; atque ita Dominus ad nos homo peregrinatus est, ut quemadmodum omnia per ipsum facta sunt; ita quoque virginitas ex ipso oriretur, ac per ipsum hominibus isthæc gratia tribueretur, atque crescendo perseveraret. Quanta porro sit isthæc virginum gloria, et quod sit illud indicium ejus deitatis, hinc ediscere licet: si sanctorum Martyrum parentes ob filiorum fortitudinem conspicui sunt, si gaudet Sara Isaac enixa [1], et beati sunt quotquot semen habent in Sion, et familiares in Jerusalem, ut ait Propheta; quanti æstimanda est gloria sanctæ Virginis ac divinæ Mariæ, quæ Verbi mater, secundum carnis ortum, est et vocatur. Enimvero divinum hunc partum cum Angelorum exercitus celebravit, tum mulier alta voce dixit : « Beatus venter qui te portavit, et ubera » quæ suxisti [2]. » Imo ipsa Dominipara et semper virgo Maria, cum nosset id quod in se gestum erat, ait : « Ex hinc beatam me dicent omnes generationes [3]. » Quod autem in Maria gestum est, id omnibus virginibus in gloriam vertit. Ipsæ namque velut ex illa radice ceu virginei pendent rami.

V. « Et postquam impleti sunt dies purgationis eorum, » secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, » ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege

[1] Hesaï. 35. — [2] Luc. II, 27. — [3] Luc. I, 48.

» Domini : Quia omne masculinum adaperiens vulvam » sanctum Domino vocabitur : et ut darent hostiam se» cundum quod dictum est in lege Domini, par turtu» rum, aut duos pullos columbarum[1]. » Qui non ut esset et existeret, aliorum hominum more, carnem induit; sed ut carnem sanctificaret, factus est homo. Quod si quis illud, « ut sisterent eum Domino, » de ipso Domino dictum excipiat, is sane a veri similitudine labitur. Quandonam Dominus oculis Patris absconditus fuit, ut non posset ab ipso videri? Aut quis locus extra ejus ditionem positus, ut illic degens, Patri præsens non esset, nisi Jerosolymam allatus et in templum inductus esset? Cur figuratam hostiam offerebant, cum ipse sit veritas? An forte non pro illo, sed pro nobis hæc scripta sunt? Quemadmodum enim, Deus cum sit, non sui causa, natura homo, sine mutatione tamen, efficitur, carne circumciditur, baptizatur, etc. sed nostri gratia, ut nos qui homines sumus, adoptione per gratiam dii efficiamur, et circumcidamur spiritualiter, non secundum legem, sordes peccati per baptismum abluamus, crucifigamur mundo, et resurgamus Deo. Ita quod hic dicitur de purgatione eorum, et, « ut sisterent eum Domino, » et de figuratis hostiis, non ipsius, sed nostri causa gesta et scripta sunt; ut discamus, quomodo nos purgare et sistere Deo debeamus, mystice ac spiritualiter offerentes ipsi par turturum, aut duos pullos columbarum. Turtur quippe temperantiæ et quietis symbolum est : nam solitudinis amans continentissimumque animal est; ita ut sive mare, sive fœmina defunctis, neuter eorum alteri copuletur : pulli vero columbarum, innocentiæ et mansuetudinis typus sunt. Quotquot igitur sese per continentiam a carnalibus voluptatibus et concupiscentiis expur-

[1] Luc. II, 22.

gant, ac per innocentiam et mansuetudinem ab ira et furore temperant, pulchras revera hostias afferentes, Dei aspectui patent, ac in Jerusalem cœlesti se sistunt. Nihil quippe ita Deo carum est ut innocentia et continentia. Ita sane nos continentes esse expetit, ut ne quidem ad concupiscentiam usque mulierem respiciamus. De innocentia autem hæc ait : « Nisi conversi fueritis et efficia- » mini sicut parvuli [1], » non corporea quidem statura; sed iis puerorum innocentiam significat. Mansuetudinis porro et humilitatis sese in exemplum proponit dicens : « Discite a me quia mitis sum et humilis corde [2]. » Quod si quis dixerit : Quare memorata animalia bina et bina offerri præcepit, et alia quidem perfecta, alia pullos vult esse? Huic reponam, cum homo ex duobus constet, anima scilicet et corpore, duplicem a nobis continentiam et mansuetudinem Deum requirere. Nam si corpore quidem a carnalibus voluptatibus abstineam, animo autem ad earum cupidinem movear, non continens, sed mœchus sum. Nam qui respexit, ait, ad concupiscendum, jam mœchatus est in corde. Ac rursum, qui specie quidem mansuetus esse videtur; animo autem ad iram commovetur; non innocens, sed hypocrita et iracundus est, occultæ malitiæ operimentum habens ementitam illam innocentiæ speciem : quod genus hominum propheta subindicat his verbis : « Ore suo benedicebant et » corde suo maledicebant [3]. » Ac rursus : « Qui loquun- » tur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus » eorum [4]. » Quod autem alia perfecta animalia, alios pullos postulet offerri, id significat, nos prudentia et continentia perfectos esse oportere; malitia autem infantes, ut ait Apostolus. At videamus de quibus, ubi, et quando dictum sit, « Omne masculinum adaperiens

[1] Matth. XVIII, 3. — [2] Matth. XI, 29. — [3] Psal. LXI, 5. — [4] Psal. XXVII, 3.

» vulvam, sanctum Domino vocabitur : » et quodnam sit legis ænigma.

Cætera desunt.

VI. In illud : « Nunc dimittis servum tuum, Domine, » secundum verbum tuum in pace [1]. » Mortem itaque contemnamus : licet enim reformidemus illam, nihilominus tamen præfinitis a providentia temporibus moriemur. Præstat enim eam, ut repetitum debitum, cum virtute excipere; quam sine gloria oppetere. Nam qui religiose diem obit, nequaquam moritur; qui vero de tempore solum requisitus fuerit, quasi sibi ipsi vixerit; necesse est etiam ut temporis rationem reddat: et si non reddat, id audiet, « Recepisti bona in vita tua, nunc » autem hîc cruciaris [2]. » Viriliter itaque agendum, ut præcepit Apostolus; ita ut jam mortificemus membra quæ sunt super terram; atque præparanda pro exitu sunt opera nostra; ut si temporis terminus accedat, aut vocemur a Salvatore, dicamus et nos, « Nunc dimittis » servum tuum, Domine : » et si ipse Dominus venerit, nos vigilantes inveniat, nec dormientes increpet his verbis, « Sic non potuistis una hora vigilare [3]? » Somnus porro animæ, est incuria et mortis oblivio.

FRAGMENTUM VIII.

Interpretatio in Symbolum.

Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem: et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, genitum ex Pa-

[1] Luc. II, 29. — [2] Luc. XVI, 35. — [3] Marc. XIV, 37.

tre, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero, genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo et quæ in terra, visibilia et invisibilia. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, incarnatus et homo factus est, id est genitus perfecte ex Maria semper Virgine per Spiritum sanctum: qui corpus et animam et mentem, et omnia quæ sunt in hominibus, præter peccatum, vere, nec specie tantum habuit: qui passus est, id est, crucifixus, sepultus, et resurrexit tertia die, et ascendit in cœlos cum gloria in ipso corpore: sedet ad dexteram Patris, venturusque est in ipso corpore cum gloria judicatum vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. Et credimus in Spiritum sanctum, qui non alienus est a Patre et Filio, sed consubstantialis est Patri et Filio, increatus, perfectus, Paracletus: id est: advocatus: qui locutus est in lege, in Prophetis, et in Evangeliis. Qui descendit in Jordanem, prædicavit Apostolis, qui habitat in sanctis. Et credimus in unam solam hanc catholicam et apostolicam Ecclesiam, in unum baptisma pœnitentiæ, et remissionis peccatorum, in resurrectionem mortuorum: in judicium æternum animarum et corporum, in regnum cœlorum et vitam æternam. Eos autem qui dicunt, fuit aliquando cum non esset Filius, vel fuit aliquando cum non esset Spiritus sanctus: aut qui ex alia substantia vel essentia dicunt esse Filium Dei aut Spiritum sanctum, mutabilem atque variabilem, eos, inquam, anathemate damnamus, quia eos anathemate damnat Catholica mater nostra et Apostolica Ecclesia. Et anathemate damnamus omnes qui non confitentur carnis resurrectionem: omnem item hæresin, scilicet omnes qui hanc non tenent fidem sanctæ et solius catholicæ Ecclesiæ.

FRAGMENTUM IX.

Contra Macedonianos.

Si quidem nulla existente de tractanda fide occasione, scribunt, inanis damnosusque est illorum conatus: quia nulla suborta quæstione, disceptandi præbent occasionem : innocentium fratrum corda labefactantes, eaque perperam disseminantes, quæ nunquam illis in mentem venissent; quod si ea illis scribendi causa sit, quod a Macedonii hæresi sese purgare velint; oportebat sane eos malarum semina plantarum primo sustulisse, atque traduxisse eos qui talia subministrant, ac deinde contra illos recta sententia scribere; vel tandem Macedonii opinionem palam vindicare; ut ne latenter, sed publice Pneumatomachi, sive Spiritus sancti hostes, commonstrentur : sicque omnes ab illis tanquam a facie serpentis refugiant. Nunc autem et illa occultant, et de aliis dissimulanter scribunt : quemadmodum medici de carie laborantibus membris carptim agentes, de sanis edisserunt; sive ignorantes, sive arte sua vafre utentes. Nemo enim de adulterio accusatus, de furto sese purgat ; neque qui cædis crimen offert, reos patitur hanc sibi defensionem parare: non pejeravimus, imo etiam depositum servavimus. Id enim lusus potius est, quam criminis depulsio, aut veritatis demonstratio.

FRAGMENTUM X.

Contra Novatianos.

« Manens » inquit, « vobis manebat, et venumdatum » in vestra erat potestate [1]. » Quoniam, ait, Spiritum sanctum tentare aggressi estis, atque in hoc mutuo consensistis, ut voluistis experimentum illius rei capietis. Alii vero ad sanam mentem deducti, sumptaque a vobis experientia, idipsum tentare verebuntur.

FRAGMENTUM XI.

Contra eosdem.

Hic porro considerandum est, tunc initium prædicationis fuisse, ipsosque magnum facinus aggressos esse, ausos tentare Spiritum sanctum. Horum autem supplicium magnæ fratribus aliis utilitati fuit, institutis scilicet et edoctis, non audendum quidpiam esse contra Spiritum sanctum, nec tentare ipsum oportere.

FRAGMENTUM XII.

Contra Eosdem.

Quemadmodum homo a Sacerdote baptizatus, Spiritus sancti gratia illuminatur; ita qui confitetur in pœnitentia, per Sacerdotem, Christi gratia remissionem accipit.

[1] Act. v, 4.

FRAGMENTUM XIII.

De Amuletis.

Si quis in ægritudinem curatu difficilem lapsus sit, psallat, « Ego dixi, Domine, miserere mei : sana animam » meam, quia peccavi tibi [1], » precibus scilicet intentus, ac misericordiam implorans, cœlesti sapientiæ obsequens dicenti, « Fili, in tempore infirmitatis tuæ ne despicias; » sed ora Dominum, et ipse curabit te [2]. » Amuleta enim et præstigiæ, vana sunt auxilia. Si quis vero iis utatur, is clare discat, quod seipsum effecerit pro fideli infidelem, pro Christiano Ethnicum, pro prudenti imprudentem, pro rationabili irrationabilem. Atenim vetula viginti obolorum, aut quartariæ vini pretio, serpentis incantationem tibi exhaurit : tuque stas hianti ore tanquam asinus, quadrupedum sordes a collo gestans, repulso salutaris crucis sigillo. Quod sigillum non morbi tantum reformidant; sed etiam omnis dæmonum cohors pertimescit et horret. Quamobrem omnis præstigiator hujusmodi sigillo vacuus est.

FRAGMENTUM XIV.

De Trinitate.

Quod autem in Patre sit Filius, et Pater in Filio, illud est esse Filium Dei, qui ex Deo genitus est, et Deus secundum naturam, quemadmodum et Pater, in se pater-

[1] Psal. XL, 5. — [2] Eccl. XXXVIII, 9.

nam speciem repræsentans, atque in paterna hypostasi exhibitus. Unus itaque et unus, et dyas, sive dualitas illa, natura non separatur, nullius egens ad perfectionem. Tota quidem plenitudo deitatis est Pater ut Pater, tota item plenitudo deitatis est Filius ut Filius. Quoniam per ambos una species intelligitur, integre et perfecte in ambobus exhibita. Quæris autem, Quomodo hic in illo, et ille in hoc sit : quia et hic talis est, qualis ille; et ille talis, qualis hic. Sic et unum sunt illa duo, quod nec mutuo differant, neque separentur, neque secundum aliam speciem et extraneum characterem intelligatur Filius; sed sit Deus sicut et Pater.

FRAGMENTUM XV.

De statu gratiæ primariæ.

Sic et in principio, si præceptis ejus obtemperans Adam et consors ejus, a voluptate ligni abstinuissent; non defuisset sane via, qua hominum genus propagaret. Et quomodo, inquies, tot hominum millia producta fuissent? Ego vero te iterum interrogabo, quia te talis metus exagitat, quomodo Adam, quomodo Eva, nullis intervenientibus nuptiis editi sunt?

FRAGMENTUM XVI.

De imperito pastore.

Quivis homo accepta a Deo discernendi vi, supplicio afficietur, si imperitum pastorem secutus sit, et falsam sententiam ut veram amplexus sit : « Quæ enim participatio luci cum tenebris? »

FRAGMENTUM XVII.

In necem Stephani.

Multis, ut ita dicam, manibus eorum, quorum vestimenta custodiebat, Stephanum lapidasse. [Paulum scilicet putandum est.]

FRAGMENTUM XVIII.

In illud : Et accipiens circumcidit illum[1].

Ne igitur a Synagogarum aditu arceretur Timotheus, quod incircumcisus esset; ut iis adesse posset, id ita dispensavit; neque tamen illud quasi præceptum et dogma tradidit.

FRAGMENTUM XIX.

De fide.

Trinitas quidem, etiam postquam Verbum ex Maria corpus assumpsit, Trinitas est, neque additamentum, neque diminutionem accipiens; sed semper perfecta est. Et in trinitate una deitas agnoscitur.

[1] Act. xv, 5.

FRAGMENTUM XX.

De incredulis.

PRÆSTABILIUS erat dubitantes silere et credere, quam non credere propter dubitationem.

Non omnia s. Athanasii fragmenta, sed potiora tantum excudi curavimus, repudiatis quidem illis, quæ ad ipsum minime pertinent, omissis autem, quæ minoris momenti utilitatem præ se ferre videntur, aut extracta fuerunt ex aliis scriptoribus in lucem postea emittendis.

FINIS TOMI TRIGESIMI TERTII.

INDEX

TOMI TRIGESIMI TERTII.

S. ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI.

EJUSDEM

S. ATHANASII ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI FRAGMENTA VARIA.

FINIS INDICIS TOMI TRIGESIMI TERTII.